3 1761 07833915 7

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/thesaurusresolut52cath

THESAURUS RESOLUTIONUM

SAC. CONGREGATIONIS CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta, aliasque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.

OBEUNTE

R. P. D. CARRARA

Prodierunt in Causis sub annum 1783.

PROPOSITIS

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis, ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus apprimè utilis, ac necessarius.

TOMUS LII.

TRIPLICE

INDICE LOCUPLETATUS.

ROMÆ MDCCLXXXIII.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

LIBRARY
SEP 5 1968
UNIVERSITY OF TORONTO

BX
1935
A36
t.52-53

INDEX

ALPHABETICUS CAUSARUM,

Quæ in Sacra Congregatione Concilii propoſitæ fuerunt anno 1783. *per Diœceſes diſpoſitus.*

A

ADrien. Irregularitatis 31. Maii *pag.* 102.

Albinganen. Reductionis Miſſæ Conventualis 11., & 25. Januarii *pag.* 25., & 29., ac 8. Februarii *pag.* 34.

Anconitana Reductionis 15. Martii *pag.* 66., ac 5. Aprilis *pag.* 74.

Ariminen. Reductionis 19. Julii *pag.* 160., 16. Auguſti *pag.* 177., ac 6. Septembris *pag.* 191.

Auximana Emphyteuſis 29. Novembris *pag.* 215.

B

BAlneoregien. 29. Novembris *pag.* 207.

Bononien. Diſpenſationis 11., & 25. Januarii *pag.* 15., & 28.

Bononien. 21. Junii *pag.* 122.

Brictinorien. Translationis oneris Miſſarum 25. Januarii *pag.* 29., ac 8. Februarii *pag.* 34.

C

CAmerinen. Subſidii Dotalis 19. Julii *pag.* 153., 16. Auguſti *pag.* 176., ac 6. Septembris *pag.* 190.

Collen. Applicationis Miſſæ Conventualis 8. Februarii *pag.* 48., ac 15. Martii *pag.* 51.

E

EUgubina Punctaturarum 15. Martii *pag.* 66., ac 5. Aprilis *pag.* 74.

Eugubina Juris viſitandi 21. Junii *pag.* 132., ac 19. Julii *pag.* 139.

Eugubina Augmenti Congruæ 16. Auguſti *pag.* 184., 6. Septembris *pag.* 192., ac 29. Novembris *pag.* 195.

F

FAnen. & Piſauren. Funerum 21. Maii *pag.* 114., ac 21. Junii *p.* 121.

Ferrarien. 19. Julii *pag.* 140.

Feretrana Parochialis 8. Februarii *p.* 34.

Firmana Reportationis oneris Miſſarum 8. Februarii *pag.* 46., ac 15. Martii *pag.* 51.

Firmana Erectionis Parochiæ 15. Martii *pag.* 51.

Firmana 16. Auguſti *pag.* 177., ac 6. Septembris *pag.* 191.

Forolivien. Sponſalium 29. Novembris *pag.* 198.

I

JAnuen. Matrimoni 16. Auguſti *pag.* 163., ac 6. Septembr. *pag.* 189.

Imolen. Reſtaurationis Eccleſiæ Parochialis 16. Auguſti *pag.* 179., ac 6. Septembris *pag.* 192.

Interamnen. 11., & 25. Januarii *pag.* 4., & 28.

L

LIsbonen. 29. Novembris *pag.* 193.

Lunen., ſeu Sarzanen. Parochialis 15. Martii *pag.* 60., 5. Aprilis *pag.* 73., 31. Maii *pag.* 116., ac 21. Junii *pag.* 121.

M

MElevitana 8. Februarii *pag.* 40.

Montis Faliſci Reductionis 21. Junii *pag.* 128.

N

NArnien. Juris intereſſendi, & votandi 11., & 25. Januarii *pag.* 20. & 29., ac 8. Februarii *pag.* 33.

Nepeſina Unionis 15. Martii *pag.* 56., 5. Aprilis *pap.* 73., ac 29. Novemb. *pag.* 206.

Nepeſina Diſpenſationis ab Irregularitate 16. Auguſti *pag.* 183., 6. Septemb. *pag.* 192., ac 29. Novemb. *pag.* 206.

Nuce-

Nucerina Juris visitandi 11., & 25. Januarii *pag.* 8., & 28.
Nucerina Canonicatus 29. Novembr. *pag.* 211.
Nullius Guastallæ 10., & 31. Maii *pag.* 94., & 101.
Nullius S. Laurentii in Campo. Dispensationis ab Irregularitate 21. Junii *pag.* 131., ac 19. Julii *pag.* 139.

P

Perusina Juris visitandi 11., & 25. Januarii *pag.* 13., & 28.
Pisauren. Massæ communis 11., & 25. Januarii *pag.* 4., & 27., ac 10., & 31. Maii *pag.* 93., & 101.
Pisauren. 19. Julii *pag.* 156., 16. Augusti *pag.* 176., ac 6. Septembris *pag.* 190.
Placentina Jubilationis 21. Junii *p.* 129.

R

Ravennaten. Dismembrationis 5. Aprilis *pag.* 75.
Ravennaten. Patrimonii Sacri 19. Julii *pag.* 147.
Reatina Dismembrationis, & Juris decimandi 31. Maii *pag.* 110., ac 29. Novemb. *pag.* 216.
Ripana Jubilationis 8. Februarii *pag.* 41.
Romana Capellaniarum 10. Maii *p.* 88.
Romana Reductionis, seu Suspensionis oneris Missarum 21. Junii *p.* 124.
Romana Subsidii dotalis 19. Julii *pag.* 158., 16. Augusti *pag.* 177., ac 6. Septemb. *pag.* 190.

S

Sabinen. 31. Maii *pag.* 105.
Senogallien. Reductionis 10. Maii *p.* 86.
Spoletana 15. Martii *pag.* 62., ac 5. Aprilis *pag.* 73.

T

Terracinen., & Setina Reductionis 10. Maii *pag.* 89.
Tudertina 15. Martii *pag.* 71., 5. Aprilis *pag.* 74., ac 19. Julii *pag.* 152.
Tudertina 10., & 31. Maii *pag.* 98. & 102.
Tusculana 5. Aprilis *pag.* 77. ac 10. Maii *pag.* 85.

V

Verulana Restaurationis turris campanarum 5. Aprilis *pag.* 82., ac 10. Maii *pag.* 85.
Viterbien., seu Tuscanen. 11. Januarii *pag.* 1.
Viterbien. Dotium 11., & 25. Januarii *pag.* 23., & 29., ac 8. Februarii *pag.* 33.
Viterbien. Reductionis 10. Maii *p.* 91.
Viterbien. Erectionis Canonicatus 31. Maii *pag.* 117., ac 21. Junii *p.* 121.

Die Sabbathi 11. *Januarii* 1783. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

VITERBIEN. SEU TUSCANEN. Agendum erat de hujuſmodi Cauſa in Congregatione habita die 23. Novembris elapſi anni; verùm dilationem poſtulante Tuſcanenſi Capitulo, placuit EE. VV. huic petitioni annuere, & ad hanc uſque diem reſolutionem differre; Cauſa idcirco hodie reproponitur, de qua quid in facto, aut in jure animadvertendum erat, recenſetur in Folio diei 14. Septembris anni mox præteriti; Non graventur Emi Patres illud reſumere, & infraſcriptis dubiis reſpondere. *Seſſ. 23. cap. 1. & Seſſ. 24. cap. 2. de Reform.*

I. *An Synodus alternatim ab Epiſcopo convocanda ſit in Eccleſia Cathedrali Viterbien., & in altera Tuſcanen., ſeu potius ſeparatim in, & pro unaquaque ex dictis reſpectivis Eccleſiis in caſu &c.*

Et quatenus affirmativè ad primam partem.

I. *An Clerus unius Eccleſiæ Cathedralis cogi poſſit ad intereſſendum Synodo celebrandæ in altera Eccleſia in caſu &c.*

III. *An ab Epiſcopo peragenda ſint in Civitate Tuſcanen. Pontificalia, Ordinationes, & Conſecrationes Sacrorum Oleorum, ſaltem alternatim in caſu &c.*

Et quatenus affirmativè.

IV. *An Epiſcopus teneatur reſidere in Civitate Tuſcanen. per aliquod temporis ſpatium ſingulis annis in caſu &c.*

V. *An Cancellarius Epiſcopalis Tuſcanen. retinere poſſit penes Epiſcopum in quocumque loco commorantem Subſtitutum approbandum ab ipſo Epiſcopo pro conficiendis Actis reſpicientibus ſolam Eccleſiam Tuſcanen. in caſu &c.*

Et quatenus negativè.

VI. *An Acta per ipſum Epiſcopum extra Eccleſiam Tuſcanen.*

nen. commorantem gesta, & respicientia solam Tuscanen. Ecclesiam, retineri debeant per Cancellarium Episcopalem Tuscanen. etiamsi perficiantur per Acta Cancellariæ Viterbii in casu &c.

VII. *An Acta per ipsum Episcopum commorantem in Ecclesia Tuscanen. gesta, ac respicientia solam Viterbiensem Ecclesiam vicissim confici, & retineri debeant per Cancellarium Viterbiensem in casu &c.*

VIII. *An Acta examinis habendi coram Episcopo in Civitate Viterbij pro collatione Parochialium, aliarumque Dignitatum Tuscanen., conficienda sint a Cancellario Episcopali Tuscanen., seu potius ab alio quocumque arbitrio Episcopi, ita ut sit standum, vel recedendum a decisis sub die 16. Martij 1771. quoad tertium Dubium in casu &c.*

IX. *An reliquæ Scripturæ spectantes ad Ecclesiam Tuscanen., necnon expeditiones, & commissorialia Bullarum, & Acta Sac. Visitationis Ecclesiæ Tuscanen. privativè expediri, peragi, ac retineri debeant penes Acta Cancellariæ Tuscanen. in casu &c.*

Et quatenus negativè.

X. *An Vicarius Capitularis Ecclesiæ Tuscanen., Sede Episcopali vacante, compellere possit Cancellarium Ecclesiæ Viterbien. ad sibi gratis tradendas Scripturas originales, vel earum Copias privativè respicientes Ecclesiam Tuscanen. in casu &c.*

XI. *An in Actibus privativè respicientibus Ecclesiam Tuscanen., Episcopus semper, & ubique denominari debeat Episcopus Tuscanen., & Viterbien. in casu &c.*

XII. *An in Actibus communibus respicientibus utramque Ecclesiam, Viterbiensem scilicet, & Tuscanensem, cui ex eisdem Ecclesiis competat prænominatio in casu &c.*

Et quatenus affirmativè quoad Ecclesiam Viterbiensem.

XIII. *An dicta prænominatio eidem Eccles. Viterbiensi competat etiam in iis Actibus communibus, qui ab Episcopo conficiuntur, & evulgantur in Ecclesia Tuscanen. in casu &c.*

XIV. *An exequendum sit Rescriptum Episcopi sub die 4. Januarii 1779. super separata impressione Kalendarii pro Ecclesia Tuscanen., seu potius servanda sit impressio*

unius

nnius Kalendarii utramque Eccleſiam, Viterbien. ſcilicet, & Tuſcanen. complectentis.

Et quatenus affirmativè ad primam partem.

XV. *An, & cujus Eccleſiæ prænominatio ſervanda ſit in impreſſione dicti ſeparati Kalendarii, ſeu potius quomodo ſit providendum in caſu &c.*

Ad 1. Arbitrio, & prudentiæEpiſcopi quoad utramque partem, prout magis in Domino, & utriusque Eccleſiæ utilitatem expedire judicaverit. Ad II. Affirmativè, Si Synodus indicatur pro utraque Diæceſi, & Cleri utriuſque Eccleſiæ convocentur, & amplius. Ad III. Arbitrio, & prudentiæ Epiſcopi, & ad mentem, & mens eſt quod ſcribatur Epiſcopo decere interdum aliquas functiones Pontificales peragere in Eccleſia Cathedrali Tuſcanenſi. Ad IV. Arbitrio, & prudentiæ Epiſcopi. & ad mentem, & mens eſt ut in præcedenti. Ad V Negative, ſalvo tamen arbitrio Epiſcopi. Ad VI. VII. VIII. IX. X. Prævio receſſu a deciſis ſub die 16. Martii 1771. Epiſcopum poſſe adhibere in conficiendis Actis alterutriusEccleſiæ quemlibet exNotariis ſibi beneviſum, juxta tamen reſolutionem in Hortana diei 8. Junii 1624., ita tamen, quod, ſi Acta conficiantur a Cancellario Viterbienſi pro Diæceſi Tuſcanenſi, teneatur ille vel Autographum, vel Copiam authenticam, Soluta dumtaxat mercede Scripturæ, tradere Cancellario Tuſcanen: in Cancellaria Tuſcanen. Servandam; & viciſſim ad idem teneatur Cancellarius Tuſcanen., qui Acta conficiat ad Diæceſim Viterbien. Spectantia. Ad XI. Affirmative,& amplius. Ad XII. Prænominationem competere Eccleſiæ, in qua reſidet Epiſcopus; Si vero extra utramque, competere Eccleſiæ Viterbien. Ad XIII. Proviſum in antecedenti. Ad XIV. Affirmative ad primam partem, Negativc ad ſecundam, Salvo jure & poteſtate Epiſcopi, & amplius. Ad XV. Prænominationem competere utriqueEccleſiæ in ſuoKalendario & amplius.

Reliquæ non propoſitæ.

Sess. 21. cap. 3. de Reform.

PISAUREN. MASSÆ COMMUNIS. Unica hæc est, quæ ex præterita Congregatione decidenda superfuit causa; rogantur EE. VV. pro resumptione Folii Congregationis diei 14. elapsi Mensis Decembris, in quo descripta fuit, & definire.

I. *An Constitutiones Capitulares sint servandæ in casu &c.*
Et quatenus negativè.

II. *An inter Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ S. Michaelis Archangeli Oppidi S. Angeli sit locus confectioni Massæ communis omnium, & singulorum fructuum, redituum, & proventuum, jurium, & emolumentorum provenien. tam ex Hæreditate bon. mem. Joan. Baptistæ de Rubeis, quam ex Legato bon. mem. Canonici Petri Corradi in casu &c.*
Et quatenus affirmativè.

III. *An, & pro qua rata fructus, reditus, proventus, & emolumenta prædicta, etiam incerta, cedere debeant in usum Distributionum quotidianarum in casu &c.*
Et quatenus affirmativè.

IV. *An, quomodo, & inter quos hujusmodi quotidianæ Distributiones sint dividendæ, & repartiendæ in casu &c.*

Sess. 21. cap. 2. de Reform.

INTERAMNEN. Sodalitium sub invocatione Spiritus Sancti in Civitate Interamnæ erectum gravatur onere centum quinquaginta septem Missarum. Nonnullæ ex his, soluta eleemosyna manuali, celebrantur a Sodalium Capellano singulis diebus Festis postquam Confratres consuetas preces in Oratorio persolverint. Quæ supersunt ad complementum celebrari solent in Solemnitatibus Pentecostes, & Sanctissimæ Trinitatis a totidem Presbyteris hac de causa adscitis.

In Comitiis habitis die 30. Novembris anni 1781. Sodales elegerunt in Capellanum Clericum Aloysium Saluzzo Ecclesiæ Cathedralis Beneficiatum, eique rependere promiserunt singulis annis sc. 12.. Consenserunt autem, ut hanc præstationem in supplementum tituli Patrimonij Sacri sibi constitueret quousque de sufficienti congrua aliunde foret provisus. Onus tamen eidem Clerico injunxerunt applicandi unoquoque anno centum, & viginti Missas celebrandas in Oratorio Sodalitii omnibus

bus Festis hora Confratribus benevisa, reliquas vero ad libitum celebrari permiserunt. Cum autem in actu electionis protestati fuissent Sodales, quod si quandoque Clericus a celebratione Missæ in designata hora defecisset, illum a Cappellania amovere possent, hinc in aliis Comitiis diei 7. Julii anni proxime elapsi, deleta hac conditione, electionem confirmarunt, impertita facultate adimplendi per alium Missarum celebrationem, solumque in casu negligentiæ jus sibi reservarunt adeundi Episcopum, ut dictum Clericum ad suscepti oneris implementum compelleret.

Hisce peractis, confugit Clericus Aloysius ad S. Congregationem, exposuitque ipsum constitutum esse in ætate annorum viginti trium, nec ad Sacros Ordines promoveri posse ad titulum Beneficii, quod retinet in Ecclesia Cathedrali, cum illius reditus Congruam non constituant a Diœcesana lege requisitam, nec spem habere, quod de sufficienti Patrimonio aliunde provideri possit; quocirca postulavit, ut, prævia confirmatione eorum, quæ a Sodalibus sui favore præfinita fuerant, pro sufficienti Patrimonio admitteretur tum Capellania, tum Beneficium. Relata hujusmodi instantia inter Summaria precum in Congregatione diei 3. præteriti Mensis *Augusti* mandatum fuit, ut de hac petitione maturius in Folio cognosceretur; qua de re obsequendo mandatis EE. VV., dubium inferius transcriptum proponitur.

Episcopus in litteris datis die 7. Aprilis elapsi anni exposita confirmat, & præterea addit, quod ex Missis adimplendis a Sodalitio S. Spiritus una saltem celebrari debet in illius Oratorio qualibet die Festo. Commendat Oratoris indolem, morumque integritatem, illiusque petitioni annuendum esse existimat, præsertim quia Ecclesiæ utilitas id requirit. Neque obstare existimat, quod Capellania, seu Officiatura gravata reperiatur Missarum oneribus adamussim respondentibus summæ scutorum duodecim, computata manuali unius cujusque Missæ elemosyna, nam respondendo huic difficultati, hisce verbis sese explicat. *Ex inveterato, & constanti hujus Ecclesiæ stylo, ac disciplina ad effectum æquandæ summæ a Synodalibus Constitutionibus pro Congrua requisitæ, instituendus est calculus omnium fructuum Beneficii, seu Patrimonii, nulla ratione habita onerum, quibus idem Beneficium, seu Patrimonium gravatum est, idque nedum in casu, quo Beneficiatus per se ipsum celebrare teneantur*

neatur, verum etiam in casu, quo alterius persona interposita sui Beneficii oneribus satisfacere possit.

In aliis litteris diei 20. Julii anni nuper elapsi asserit idem Episcopus, deletam fuisse conditionem removendi ab Officiatura Clericum Saluzzo in casu negligentiæ. Testatur enim, quod Sodales unanimi suffragio *omnem remotionis facultatem sibi ademerunt, iusque tantummodo reservarunt Superiorem adeundi, quoties susceptorum onerum adimplementum Saluzzius detrectaret; Cum autem ipse Superior ordinariis unicè mediis Ecclesiasticorum Officialium ignaviam soleat compescere, facillimum erit, tum accurato Ecclesiæ servitio, cum necessariæ tituli stabilitati consulere* = Demum votum aperiens inquit: *Hisce ita se habentibus, optandum etiam, atque etiam esset, ne suo frustrata remaneat effectu Oratoris petitio; qua enim ipse præfulget litteratura, qua præstat morum integritate, quo flagrat virtutum amore, non supervacaneum Operarium promittunt.*

Ne Sanctuarii Ministri pro necessaria sustentatione, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere cogerentur, Tridentina Synodus *sess. 21. cap. 2. de reform.* statuit = *Ne quis deinceps Clericus Sæcularis, quamvis alias sit idoneus, ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere . . . . . Patrimonium vero, vel Pensionem obtinentes, ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel utilitate Ecclesiarum suarum, eoque prius perspecto Patrimonium illud, vel Pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint.*

Cum autem Beneficiis Ecclesiasticis ut plurimum sint adnexa Missarum onera, hinc dubitatum olim fuit, an pro sufficienti Congrua juxta taxam Synodalem computandi sint Beneficiorum reditus, deductis oneribus, quibus ea fortasse gravata reperirentur. Opinantur plerique Missarum onera esse detrahenda, quando liberum est Beneficiato illis vel per se, vel per alium satisfacere; secus vero quando Missæ personalem celebrationem requirunt. Hujus distinctionis fundamentum in eo constituunt, quod in primo casu, si Beneficiatus in morbum incidat, cujus causa impeditus sit Missam celebrare, debet alteri Sacerdoti eleemosynam elargiri, ut Missarum oneri satisfaciat, ac proinde si morbus diuturnus sit, accidere

posse

posse, ut Beneficiatus ad extremam redigatur mendicitatem, cui Tridentinum in demandanda Patrimonii constitutione voluit occurrere. Hoc tamen periculum abesset in secundo casu, quia Sacerdos, qui per seipsum celebrare tenetur, tempore quo ægrotat, aut alio detinetur legitimo impedimento, nulla afficitur obligatione celebrandi per alium juxta doctrinam *Leandri* cum aliis ab eo allegatis in *oper. moral. tom. 2. tract. 8. disp. 7. quæst. 19.*

Contra alii arbitrantur in neutro casu Missarum eleemosynam esse detrahendam; siquidem *D. Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 2. ad 2.* asserit, quod eleemosyna, quæ Sacerdoti datur pro Missæ celebratione, sit quasi stipendium suæ sustentationis; hinc nullam dicunt adesse rationem, propter quam Missarum eleemosyna computari non debeat inter reditus Congruæ ad Patrimonium requisitæ; Nec in minimo obesse ajunt, quod Sacerdos, cui liberum est celebrare per alium tempore infirmitatis, teneatur alteri stipem elargiri, qui Missas adimpleat, nam hic casus infrequens est, & ad eum jura non respiciunt. Advertunt præterea, hoc idem periculum obvenire posse, quando Beneficiatus per seipsum Sacra celebrare debet, cum eo casu, si ratione morbi a celebratione præpediatur, & infirmitas sit diuturna, non solvitur ab obligatione celebrandi per alium ad tradita per *Card. de Lugo de Sacram. Eucharist. disp. 11. sect. 2. num. 48., & 49. Passerin. de stat. homin. tom. 2. quæst. 587. art. 4. n. 1120.*

De hac quæstione actum fuit in causa *Ariminen.* diebus 8., & 29. *Augusti anni* 1722., in qua a Clerico Josepho Belluccio quærebatur, an ad titulum suscipiendi Ordines Sacros sufficiens esset Capellania perpetua sibi collata annui reditus scut. 36. 35. cum onere biscentum triginta quinque Missarum lectarum, trium cum cantu, & unius Anniversarii. Opportune ad rem Discursum edidit San. Mem. Benedictus XIV. eo tempore Sacræ Congregationis Secretarius; Cum autem tunc nulla capta fuisset resolutio, ad examen quæstio revocata est in Congregationibus habitis diebus 24. *Aprilis*, & 17. *Julii* anni 1723. in quibus propositis dubiis = *An a Beneficio, seu Capellania, ad cujus titulum quis intendit ad Sacros Ordines promoveri, detrahenda sint onera Missarum eidem adiecta, quando Beneficiatus non tenetur eas per seipsum celebrare; vel potius oneribus Missarum non detractis, sive illæ celebrandæ sint per seipsum, sive possint celebrari per alium faciendus sit calculus omnium fructuum pro constituenda summa a Synodali Constitutione, vel Religionis more requisita*

pro

pro Sacris Ordinibus ſuſcipiendis. II. An Clericus Joſeph Belluccius Sacris Ordinibus initiari poſſit ad titulum Capellaniæ in caſu &c. ſupradicta die 17. *Julii* anni 1723. reſponſum prodiit ad I. *Eſſe relinquendum arbitrio, & conſcientiæ Ordinariorum*; ad II. *Proviſum in primo*. Viden Folia hujus Cauſæ, quæ publici juris ſunt, & proſtant in *Theſauro Reſolutionum Sac. Congregationis tom. 2. pag.* 213. *ad* 220., 306. *ad* 309., & 338.

Docet San. Mem. Benedictus XIV. in opere *de Synodo Diœceſana lib*: 12. *cap.* 9. *num.* 7., quod = *abſque periculo obviandi Juri Communi, & Sacro Concilio Tridentino, tuto poterit Epiſcopus in ſua Synodo non ſolum præfinire quantitatem proventuum, qui cenſeantur ſufficientes ad alimoniam ſubminiſtrandam Clerico ſuam incolenti Diœceſim, ſed etiam ſtatuere; & determinare, num inter hujuſmodi proventus ſit numeranda, an potius detrahenda ſtipes reſpondens numero Miſſarum, ad quas celebrandas Clericus ſive per ſe, ſive per alium adigitur lege ſibi indicta a Fundatore Beneficii, quod poſſidet.*

Nulla quod ſciam hac de re adeſt Synodalis Lex in Diœceſi Interamnenſi: teſtatur tamen Epiſcopus in ea conſuetudinem vigere, ut in præfinienda Congrua pro Clericis ad Ordines Sacros promovendis non detrahantur a Beneficio ad cujus titulum ordinandi ſunt, onera Miſſarum, quibus idem Beneficium eſt obnoxium; Quare videndum an, attenta hujuſmodi conſuetudine, indulgendum ſit Clerico Aloyſio Saluzzo, ut ad ſupplementum Tituli Patrimonii Sacri aſſignare poſſit Capellaniam ſibi collatam a Sodalitio S. Spiritus Interamnæ. Hoc igitur inſpecto, reſpondendum erit dubio.

An, & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

Seſſ. 7. can. 7., & 8. de Reform.

NUCERINA JURIS VISITANDI. Epiſcopus Nucerinus, dum anno 1780. ſuæ Diœceſis Viſitationem ageret, viſitavit etiam Eccleſiam ruralem Divo Leonardo dicatam, quæ ſita eſt in Territorio Oppidi Gualdi, & pertinet ad Commendam S. Juſtini Peruſiæ Ordinis Hieroſolymitani. Nonnulla edidit decreta, quibus dictam Eccleſiam reſtaurari, & ſacris ſuppellectilibus provideri mandavit; utque omnia, quæ præceperat citius adimplerentur, ſequeſtro ſubjecit reditus quorundam bo-

norum ad dictam Commendam ſpectantium. Ubi primum hæc innotuerunt Equiti Didaco Emanueli Rovero Commendæ poſſeſſori, ſtatim ipſe de turbata juriſdictione apud Sacram Congregationem conqueſtus eſt, petiitque, ut irrita declararentur acta per Epiſcopum hac de cauſa geſta. In locum Equitis Rovero ſubrogatus deinde fuit Eques Bonacurſius, qui jura ſui Prædeceſſoris proſequitur ſub dubiis inferius deſcriptis.

Inquit, Eccleſias Ordinis Hieroſolymitani exemptas eſſe ab Epiſcopi Viſitatione, prout in pluribus Summorum Pontificum Conſtitutionibus declaratum fuit, ſolumque a S. Pio V. Epiſcopis fuiſſe permiſſum, ut jure delegato viſitarent Eccleſias, & Beneficia cum Cura animarum, coercita tamen Viſitatione ad ea tantum, quæ Sacramentorum adminiſtrationem reſpiciunt. Id ipſum a ſan. mem. Benedicto XIV. confirmatum, & Sacræ Congregationis decretis fuiſſe roboratum. Hoc igitur poſito, contendit nullo jure potuiſſe Epiſcopum Nucerinum viſitare Eccleſiam S. Leonardi, quæ Parochialis non eſt, & cujus manutentioni, & decori per Viſitationem anno 1779. expletam ab Equite Joa. Baptiſta Severi fuit abundè proviſum.

Nec obeſſe, quod eadem Eccleſia ſæpius ſubjecta fuerit Epiſcopi Viſitationi, quia non debet attendi quid quid perperam fecerunt Epiſcopi Prædeceſſores, quorum factum proſternitur a clauſula *ſublata*, *& decreto irritante*, quibus Apoſtolicæ Conſtitutiones munitæ ſunt; Maximè quia Sacr. Congregatio die 17. *Junii* 1690. in cauſa *Mantuana* declaravit non licere Epiſcopis viſitare Eccleſias non Parochiales Ordinis Hieroſolymitani, quamvis a Prædeceſſoribus Epiſcopis fuiſſent viſitatæ. Ex his omnibus infert ad II. dubium irritam eſſe Viſitationem peractam ab Epiſcopo Nucerino, & omnino circumſcribendum ex defectu juriſdictionis ſequeſtrum de ejus mandato Colonis Commendæ indictum.

Epiſcopus refert Prædeceſſores ſuos nunquam omiſiſſe Viſitationem Eccleſiæ S. Leonardi, idque comprobat atteſtationibus, tum Canonici Senioris, qui per plures annos munus Conviſitatoris exercuit, tum etiam Cancellarii Epiſcopalis, qui pervolutis Actis Viſitationum, teſtatur ab anno 1597. Epiſcopos Nucerinos pacificè ſemper dictam Eccleſiam viſitaſſe, pluraque in actu Viſitationis ediditſe decreta ejuſdem Eccleſiæ decorem, & manutentionem reſpicientia. Advertit perperam in dubium

revocari Epiſcopi auctoritatem, quam Sac. Congregatio attenta immemorabili conſuetudine, etiam lite pendente, ſemper præſervavit. Notat inſuper ſupervacaneum fore Diœceſis Viſitationem inſtituere, niſi Ordinarii locorum facultate potirentur adigendi Eccleſiarum Rectores, etiamſi Milites Hieroſolymitani ſint, ad executionem Decretorum, qua in ipſa Viſitatione edita ſunt per fructuum ſequeſtrationem: *Monacellus Formular. legal. part. 2. tit. 15. for. 1. num. 28.*

Addit ulterius, inanem eſſe quæſtionem de circumſcriptione ſequeſtri, quod Eques Commendatarius nunquam voluit attendere, cum ſingulis annis conſuetos reditus perceperit. Demum inquit = *Promothor meus Fiſcalis, cum decreverit nullam velle ſibi ſuſcipere in hac cauſa partem, declarat præfixum habere ſibi terminum, quem illi præfigere debebam juſſu EE. VV. inſtante Equite Commendatario S. Juſtini Peruſiæ. Si EE. VV. viſum fuerit ad me nullatenus ſpectare ejuſdem Eccleſiæ viſitationem, me hoc ulteriori incommodo levatum putabo, & libenter a viſitatione ejuſdem abſtinebo, cum perſuaſum mihi ſit, hoc inter jura numerandum non eſſe, quæ paſtoralis ſollicitudo debeat Eccleſiæ ſumptibus tueri.*

Ex diſpoſitione Sacri Concilii *Seſſ. 7. cap. 7. de reformatione* habetur: *Beneficia Eccleſiaſtica Curata, quæ Cathedralibus Collegiatis, ſeu aliis Eccleſiis, vel Monaſteriis, Beneficiis, ſeu Collegiis, aut Piis locis quibuſcumque perpetuo unita, & adnexa reperiuntur, ab Ordinariis Locorum annis ſingulis viſitentur . . . . . appellationibus, privilegiis, exemptionibus minime ſuffragantibus.* Rurſus in eadem *Seſſione cap. 8.* ſtatutum eſt = *Locorum Ordinarii Eccleſias quaſcumque quomodolibet exemptas auctoritate Apoſtolica ſingulis annis viſitare teneantur, & opportunis Juris remediis providere, ut quæ reparatione indigent reparentur, & Cura animarum, ſi qua illis immineat, aliiſque debitis obſequiis minime defraudentur: appellationibus, privilegiis, conſuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore præſcriptis, Judicum deputationibus, & illorum inhibitionibus penitus excluſis.*

Sub hac Tridentini diſpoſitione exiſtimarunt Equites Hieroſolymitani nequaquam comprehendi illorum Eccleſias, & Capellas, licet in illis Cura animarum exerceretur; hinc graves inter ipſos, & Locorum Ordinarios ortæ ſunt controverſiæ, quas tamen compeſcere voluit S. Pius V. Conſtitutione edita die 21. Septembris 1571., cu-

jus

jus initium eſt = *Expoſuit* = in qua §. 3. decrevit = *Omnes, & ſingulos locorum Epiſcopos, & alios Superiores tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegatos, omnes, & quaſcumque Parochiales Eccleſias, cæteraque Beneficia Eccleſiarum ſuarum, Civitatum, & Diœceſum, quibus animarum Cura imminet ad dictam Religionem* [ſcilicet Hieroſolymitanam) *ejuſdem Milites Capellanos, Miniſtros, Rectores quomodolibet pertinentia, etiam quod in eis Epiſcopalem, & Temporalem juriſdictionem Religio, & Milites prædicti haberent, eorumque Eccleſias, Rectores, Vicarios, & Miniſtros quoſcumque (in his tamen dumtaxat, quæ animarum curam, illiusque exercitium, & Sacramentorum Adminiſtrationem reſpiciunt) viſitare, omneſque actus Viſitationem concernentes exercere poſſe, & debere.*

Ulterius §. 4, mandavit, quod = *Epiſcopi, & alii Superiores Viſitationem hujuſmodi tanquam Delegati Apoſtolicæ Sedis faciant* = & tandem §. 8. expreſſe inhibuit = *dictis Epiſcopis, & aliis Superioribus, ne hac viſitandi facultate eis per præſentes conceſſa, alio utantur modo, quam præſcripto.*

Poſt relatam S. Pij V. Conſtitutionem, aliam ſan. mem. Benedictus XIV. edidit die 12. *Martij* 1753. Conſtitutionem, quæ incipit *Inter illuſtria*. In hac confirmavit omnia Privilegia a Romanis Pontificibus Ordini Hieroſolymitano conceſſa, recepitque ſub immediata Sedis Apoſtolicæ protectione Domos, Hoſpitalia, Eccleſias, Capellas, Oratoria, ac Loca, & Membra quæcumque ad dictam Religionem pertinentia. Deinde vero §. 3. juſſit, ne Epiſcopi *ullam in eos, vel ea Juriſdictionem, Correctionem, Viſitationem, Superioritatem, Dominium ſeu Poteſtatem, præter quam in his quæ ad Animarum Curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, aliiſque in caſibus per dictum Concilium* (ſcilicet Tridentinum) *ſeu per Apoſtolicas Conſtitutiones, aliaſque Ordinationes præfatas, expreſſis, & declaratis exercere, aut excommunicationis, aliaſque ſententias, cenſuras, & pœnas promulgare (etiamſi forſan hactenus per abuſum, ſeu alterius privilegium, aut negligentiam, etiam per longum tempus taliter obſervatum non fuiſſet, ſeu dicti Hoſpitalis, ejuſque Membrorum, Eccleſiæ non Parochiales, in quibus Sacramenta Fidelibus non adminiſtrantur pluries fuiſſent a Prædeceſſoribus Epiſcopis viſitatæ) poſſint, & valeant.*

Pluries de hac re actum fuit in Sac. Congregatione; Episcopi Mantuani ab anno 1576. ad annum usque 1689. quinquies visitaverant Ecclesiam S. Joannis de Templo, quæ est membrum Commendæ S. Vitalis, & Sepulcri Veronæ; de hujusmodi Visitatione conquestus est Frater Commendatarius Bernardinus della Ciaja, & proposito dubio = *An Episcopus potuerit, & possit dictam Ecclesiam ad Commendam Ordinis Hierosolymitani spectantem visitare* = Die 17. *Junii* 1690. prodiit resolutio = *Negativè lib.* 40. *decret. pag.* 396.

Rursus, cum Episcopus Spoletanus nedum Ordinaria Auctoritate, verum etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegatus visitasset Ecclesiam S. Jacobi Oppidi Nurtiæ ad Religionem Hierosolymitanam pertinentem, reclamavit Commendatarius; disputatisque dubiis in *Spoletana Visitationis* I. *An liceat Episcopo visitare Ecclesiam, de qua agitur in casu &c.* II. *An Visitatio facta sit attendenda in casu &c.* = Die 28. *Julij* 1713. rescriptum fuit ad I. *Negativè*, ad II. *Provisum in primo lib.* 63. *decret. pag.* 312. Reproposita causa die 16. *Decembris* ejusdem anni responsum est ad I. *In decisis quoad materiale Ecclesiæ; in reliquis spectare ad Episcopum.* ad II. *In decisis, dicto lib.* 63. *decret. pag.* 529.

In *Asculana Visitationis*, contendebat Episcopus visitare posse Ecclesiam S. Joannis ad Templum, quæ est Commenda Sacræ Religionis Hierosolymitanæ, non solum quia sui Prædecessores eam visitaverant, sed etiam quia Concilium Tridentinum *Sess.* 7. *cap.* 8. *de Reform.* decernit, quod locorum Ordinarii Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas visitare teneantur, atque insuper quia *Sess.* 21. *cap.* 8. *de Reform.* statuit, quod Monasteria commendata, Prioratus, & Præposituræ nuncupatæ, in quibus non viget regularis observantia, nec non Beneficia tam Curata, quam non Curata, Sæcularia, & Regularia qualitercumque commendata, etiam exempta ab Episcopis tanquam Apostolicæ Sedis Delegatis annis singulis visitentur: Hinc discusso dubio = *An, & quo jure liceat Episcopo Asculano visitare Ecclesiam S. Joannis ad Templum* = *Die* 4. *Martii* 1719. plenis suffragiis edita est resolutio *Negativè*.

Quandoque tamen in solo judicio manutentionis Sac. Congregatio præservandam censuit Episcopis visitandi facultatem. In *Mileten. Jurisdictionis*, contendens Religio Hierosolymitana Episcopo Miletensi nequaquam spectare exercitium spiritualis Jurisdictionis in Oppidis

Me-

Melicuccæ, & Druſii, quæ Oppida quoad temporalia Ordini Hieroſolimitano ſubiecta erant; Decem, & ſeptem hac de re diſcuſſa fuerunt dubia, & hæc inter VII. ſic conceptum = *An in jure viſitandi Eccleſias Parochiales, aliaſque omnes dictarum Commendarum ſit concedenda manutentio Epiſcopo, ſeu potius Commendatario. Die* 3. *Auguſti* anni 1743. prodiit reſponſio *Manutenendum eſſe in omnibus Epiſcopum.*

Demum quod attinet ſequeſtra, quibus reditus Commendæ ſubjecit Epiſcopus, ut Viſitationis decreta adimplerentur, notandum, quod Sac. Congregatio die 18. *Maii* 1590. *Epiſcopo Hieracenſi* ſic reſcripſit = *Ad id quod A. T. nomine quæſitum fuit a Sac. Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini SSmi Domini Noſtri auctoritate Interpretum videlicet, liceat ne ſibi ſequeſtrare fructus Beneficiorum, etiamsi ſint Hieroſolymitanorum Militum, ad eorum Eccleſias inſtaurandas, non obſtante Sanctiſſimi Domini Noſtri Conſtitutione, prout latius in libello continetur? Illuſtriſſimi Patres reſponderunt id utique A. T. licere = lib.* 7. *litterarum Sacræ Congregationis pag.* 165. Hiſce adnotatis definient EE. VV.

I. *An liceat Epiſcopo Viſitare Eccleſiam S. Leonardi ſpectan. ad Sacram Religionem Hieroſolymitanam in caſu &c.*

II. *An Viſitatio facta ſit attendenda, & reſpective ſervandum ſequeſtrum in caſu &c.*

PERUSINA JURIS VISITANDI. Non nullæ extant in Diæceſi Peruſina tum Parochiales Eccleſiæ, tum non Parochiales, quæ de juribus ſunt Commendæ S. Juſtini Ordinis Hieroſolymitani. Has omnes Eccleſias indiſtinctè viſitavit Epiſcopus Peruſinus in prima, & ſecunda Diæceſis Viſitatione; Verum exiſtimans Eques Bonacurſius dictæ Commendæ Poſſeſſor eaſdem Eccleſias, quæ Parochiales non ſunt, ratione Privilegiorum Sa- *Seſſ.* 7. *cap.* 7., & 8. *de Refor.*

Sacræ Religionis a Viſitatione Epiſcopi exemptas eſſe, conqueſtiones ſuas ad Sac. Congregationem detulit, & bina infraſcripta dubia ab EE. VV. definienda proponit.

Ad tuenda propria jura, repetit ipſe ea omnia, quæ deduxit in alia identifica quæſtione, quam habet cum Epiſcopo Nucerino, & ſuſtinet Eccleſias Ordini Hieroſolymitano addictas nequaquam Epiſcoporum juriſdictioni ſubjectas eſſe, ſolumque Epiſcopis licere illas viſitare, ſi Parochiales fuerint, quoad ea, quæ Curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem reſpiciunt; Nec ad hanc evertendam exemptionem prodeſſe Epiſcopis longævam conſuetudinem, cum per Conſtitutionem ſan. mem. Benedicti XIV. incipientem = *Inter illuſtria* = ſit penitus ſublata.

Epiſcopus refert, ex Codicibus Sacrarum Viſitationum deprehendi, ab Epiſcopo Ferniani Prædeceſſore ſuo anno 1733. viſitatas fuiſſe Eccleſias tum Parochiales, tum etiam non Parochiales, ac præſertim Oratorium S. Juſtini; eamdemque Viſitationem expleviſſe annis 1763., & 1768. Epiſcopum Amadei, & propterea Prædeceſſorum exempla ſecutum fuiſſe, dum in prima, & ſecunda Viſitatione dictas Eccleſias viſitare non omiſit; Addit, quod licet juxta mandata Sac. Congregationis Promothori Fiſcali præfixerit terminum ad deducendum jura, nihilominus ipſe = *nullam in hac re partem faciet, & opponere prorſus omittet, cum ego ſummum profiteor obſequium erga Sacram Religionem Hieroſolymitanam, & EE. VV. juſſibus obtemperare perlibenter promptus ero.*

Quæ ad rem conferre poſſunt, habent EE. VV. ex præcedenti cauſa *Nucerina juris Viſitandi* in præſenti Folio deſcripta; perpenſis igitur omnibus, quæ ibidem animadverſa ſunt, dignabuntur decernere.

I. *An liceat Epiſcopo viſitare Eccleſias non Parochiales ſpectan. ad Sacram Religionem Hieroſolymitanam in caſu &c.*

II. *An Viſitatio facta ſit attendenda in caſu &c.*

BONO,

BONONIEN DISPENSATIONIS. In Teſtamento, quod condidit anno 1603. Blaſius de Monaris, Beneficium inſtitui juſſit ad Altare Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis propriis ſumptibus erectum in Collegiata Eccleſia S. Blaſii Civitatis Centi. Pro illius dote reliquit Prædium Tornaturarum viginti quinque, & Beneficiatum adegit *ad celebrandum ad dictum Altare* unam Miſſam lectam quotidianam. Primum Rectorem dicti Beneficii eſſe voluit Sacerdotem Antonium de Monaris, qui *celebrare habeat dictam Miſſam planam quotidianam, & in ipſa orare debeat Deum pro anima ipſius Teſtatoris, & ejus Anteceſſorum*. Poſt iſtius Sacerdotis obitum mandavit eligi = *alium proximiorem de ſua Agnatione, & Familia* =; eo autem non exiſtente, jus eligendi Beneficiatum detulit ad Archipresbyterum dictæ Collegiatæ S. Blaſij, & ad proximiorem de eadem ſua Agnatione, & Familia. De anno 1604. ad erectionem Beneficii deventum eſt, ejuſque Rectori in ipſo erectionis inſtrumento per tunc temporis Archiepiſcopum Bononienſem mandatum fuit = *quod debeat celebrare Miſſam planam quotidianam ad dictum Altare, & in ipſa orare Deum pro anima dicti Domini Blaſii, & illius Anteceſſorum*. *Seſſ. 23. cap 6. de Reform.*

Putarunt Beneficiati Teſtatorem haud demandaſſe Miſſarum applicationem, & propterea illius voluntatem ſatis adimpleri exiſtimarunt celebrando in Altari Sanctiſſimæ Viſitationis, quin Sacrum pro ejus anima applicarent. Morem hunc improbavit clar. mem. Card. Malvetius, qui in Paſtorali Viſitatione anni 1771. declaravit Beneficiatum teneri ad quotidianam Miſſarum celebrationem, & applicationem. Cum tamen præfati Beneficii reditus vix æquarent ſummam ſc. 40. =, proindeque onus quotidianæ celebrationis grave nimis, prorſuſque impar videretur, hinc dictus Card. Malvetius eodem anno 1771., inſtante Sacerdote Andrea Monarii Beneficii Rectore, decrevit, quod ex reditibus ad dictum Beneficium pertinentibus ſcuta ſexdecim detraherentur, quibus Rector Præbendæ nomine frueretur, ſuperextantes vero erogarentur in celebrationem tot Miſſarum, conſtituta ſingularum eleemoſyna in obulis quatuordecim, nempe duodecim pro Celebrante, & duobus pro utenſilibus; Quod quidem decretum ne dum probavit, verum etiam exequi voluit modernus Emus Archiepiſcopus in Viſitatione expleta anno 1780.

Per obitum dicti Sacerdotis Andreæ Monari vacavit hujuſmo-

juſmodi Beneficium; cumque non extarent Presbyteri a Teſtatore contemplati, Bartholomæus de Monaris ſupplex petiit a SSmo Domino Noſtro facultatem nominandi unicum, quem habet Filium in undecimo ætatis anno jam conſtitutum; efflagitavit præterea deletionem oneris applicandi Miſſam, quia nunquam a Teſtatore demandatum extiterit, vel ſaltem poſtulavit, ut applicatio ad certum Miſſarum numerum coerceretur. Ablegatis precibus Sac. Congregationi, de hiſce omnibus judicium EE. VV. hodie exquiritur.

Ad I., inquit, petitam diſpenſationem denegandam non eſſe, cum agatur de perſona, quæ eſt de Familia Fundatoris, ab illo paſſivè vocata, & unica in dicta Familia, quæ capax ſit aſſequendi Clericatum; Addit præterea, huic nominationi aſſentiri Archipresbyterum Collegiatæ Eccleſiæ S. Blaſii, cui una cum Oratore Patronatus activus competit. Demum advertit, ejus Familiam ingentem pecuniæ ſummam erogaſſe pro reædificanda, ornandaque Capella, in qua erectum eſt Beneficium, eamdemque familiam multo gravatam eſſe Filiorum numero, & aliquo indigere ſubſidio. Quare gratiam denegandam non eſſe exiſtimat in his circumſtantiis, cum præſertim diſpenſatio Pueris etiam quinquennium, aut ſexennium vix excedentibus fuerit impertita.

Ad II. tuetur, ex Fundatoris voluntate pandita in ejus Teſtamento deſumi, quod ipſe celebrationem dumtaxat, non vero Miſſarum applicationem voluerit, quod etiam comprobatur ex longæva obſervantia, Archiepiſcoporum aquieſcentia, qui nunquam Miſſarum applicationem demandarunt, ac tandem ex reſcripto San. Mem. Benedicti XIV., qui Beneficii Rectori olim permiſit, ut dum Miſſas in Altari SSmæ Viſitationis juxta fundationem Blaſii Monari celebraret, poſſet eodem tempore aliud onus adimplere, cui applicatio Miſſarum juncta erat. Fatetur, quod demandata a Teſtatore Sacrorum celebratione, volita quoque cenſeatur illarum applicatio; verum ſuſtinet ab hac regula recedendum eſſe, quando celebrationis modus præfinitus eſt: Qua de re, cum Blaſius Monari, Miſſarum celebrationem indixerit ſub lege, ut *orare debeat Deum pro anima ipſius Teſtatoris, & ejus Anteceſſorum*, volita tantummodo præſumitur celebratio abſque ullo applicationis onere. Quatenus vero utrumque onus celebrationis, & applicationis Beneficiato inhærere decernatur, tunc contendit applicationem ad certum

tum numerum esse præfiniendam, nam tali modo, & Rectoris quieti, & Fundatoris suffragio magis consulitur; Maxime quia Prædium Beneficii incorporatum reperitur cum aliis bonis ad Oratorem spectantibus.

Emus Archiepiscopus de sua sententia rogatus, quod attinet ad primam petitionem inquit = *Constat de erectione, & dotatione ab uno ex Oratoris Majoribus facta, deque jurepatronatu in Agnatione manente, atque adeo ad Oratorem spectante. Cum itaque oneribus Missarum Beneficio adnexis satisfieri per alium Sacerdotem possit, veniam Oratori puto posse concedi nominandi Filium, & si propter ætatem minus iste sit idoneus ad hujusmodi Beneficium, salva tamen, & integra obligatione satisfaciendi per Sacerdotem iis oneribus, quibus per se non potest satisfacere; Nominandi quidem jus non modo ad Oratorem pertinet, sed ad Ecclesiæ Collegiatæ Archipresbyterum, qui Oratori non modo non obstat, sed in eodem nominando Adolescente cum eo planè consentit.*

De omissa a Decessoribus Beneficiatis Sacrorum applicatione, testatur = *eos in ea falsa opinione fuisse onus tantum, ut dicunt, præsentiæ, non applicationis sacrificii sibi impositum esse, ac propterea, nec pro Fundatore Sacrum obtulisse, nec pro Majoribus ejus* = Addit insuper = *Verum item esse Andream Monarium Ecclesiæ Collegiatæ Canonicum, postremumque Beneficii Rectorem petiisse a San. Mem. Benedicto XIV., & impetrasse, ut sibi liceret in Altari Visitationis eas Missas celebrare, quas ut possessor alterius Beneficii in alio Altari celebrare; & applicare tenebatur; hinc uno tempore, & in eodem Altari duabus obligationibus satisfeciisse, uni quidem per præsentiam, alteri vero per applicationem; Sed tota hæc facultas innitebatur præfatæ opinioni Rectorum hujus Beneficij, quæ si vera fuisset, locum etiam, & vim obtinuisset; contra si falsa* = Hanc autem opinionem falsam fuisse deprehendi affirmat, ex verbis ejusdem Fundatoris ex Testamento elicitis, & propterea jure meritoque Card. Malvetium Missarum applicationem decreviisse, qnod quidem decretum, & ipse quoque confirmavit.

Tandem de petitione præfiniendi numerum Missarum, quæ applicari debeant, Emus Archiepiscopus hæc habet = *Animadvertendum est Testatorem pro Beneficii fundo destinasse Prædiolum, quod in duas dumtaxat partes divisum est; extat autem in una parte Domus cum omnibus necessariis pro habitatione Coloni, & agri cultu; Etiamsi ergo*

Colonus idem colat alias terras adjunctas huic Prædiolo proprias ejusdem Familiæ Monari, videtur tamen, adhibita diligentia separari posse fructus Prædioli Beneficio adnexi ab aliis fructibus adjunctæ terræ, licet ab uno eodemque Colono utraque terra colatur. Itaque in eam facile sententiam descenderem, prohibendum scilicet auctoritate istius Sac. Congregationis Oratori, ne amplius reditus Beneficii cum aliis reditibus permisceantur, præcipiendum vero, ut ipse Orator tanquam Filii administrator, decem, qui sequantur annis separatas, distinctasque annuorum proventuum Beneficii rationes in peculiarem Codicem fideliter referat, & elapso decennio, cognitisque reditibus Beneficii, certus Missarum celebrandarum numerus sine errandi periculo definiatur. Interim vero debeat absolute quotannis non omittere celebrationem juxta formam Decretorum Sac. Pastoralis Visitationis sub obligatione etiam supplendi defectum, quatenus minor esset numerus Missarum comparate ad fructus, aut etiam se compensandi, quatenus ob eandem causam major esset. Quod si decennale hoc tempus Sac. isti Congregationi longius æquo videretur ad numerum Missarum decernendum, arbitrarer judicio Periti, primo quidem stabiliendam mensuram agri Beneficio adnexi, tum pretium agri, annuumque ejusdem fructuum liberum esse statuendum, ut sic tandem detracta Præbenda, multo citius constitueretur numerus Missarum singulo quoque anno celebrandarum =.

Alexander III. scribens Archiepiscopo Cantaurienſi ejusque Suffraganeis mandavit, ut *Nemini infra annum quartumdecimum constituto Personatum cujuslibet Ecclesiæ concedere præsumatis. Sciturі pro certo, quod inde feceritis irritabimus, & inobedientiam vestram graviter puniemus* = prout habetur in *cap. Indecorum* 3. *de ætate, & qualit. præficiend.*. Hanc disciplinam renovavit Sac. Concilium *Sess.* 23. *cap.* 6. *de reform.* in quo statuit = *Nullus prima Tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus ante decimum quartum annum Beneficium possit obtinere*.

Sustinent *Conrad. prax. Dispens. lib.* 4. *cap.* 2. *num* 8. *Piton. discept. Eccles.* 13., quod ab hac regula receditur, si agitur de persona passivè vocata, & unica ex contemplata Familia. Sac. Congregatio concurrentibus relatis circumstantiis, & accedente consensu Patronorum, quandoque indulsit, ut Ecclesiastica Beneficia obtinerentur a personis, licet nondum decimum quartum annum expleverint,

rint. *In Lucana Beneficii, seu Capellaniæ* 17. *Maij* 1749. dispensavit cum Puero quadriennii. *In Monasterien., seu Osnaburgen. Canonicatuum* 1. *Julij* 1753. eamdem dispensationem concessit Puero quinquennii, & in *Beneventana Dispensationis* Patronus nominavit ad Capellaniam institutam in Ecclesia sub invocatione SSmi Nominis Jesu cum onere celebrationis Missæ quotidianæ proprium Filium in sexto ætatis anno constitutum sub spe obtinendæ dispensationis, & proposito dubio = *An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu &c.* Die 28. *Augusti* 1779. rescriptum fuit = *Affirmativè usque quo Orator ad legitimam ætatem pervenerit pro suscipiendo Sacerdotio, adimpletis oneribus* =.

Hæc de primo dubio, quod vero attinet ad secundum. Quæstio oritur inter Doctores, an Fundator, qui Beneficiato onus imposuit celebrandi Missam, nec ullum verbum de illius applicatione adjecit, censeatur imposuisse etiam onus Missam applicandi. *Benedictus XIV. de Sacrificio Missæ lib.* 3. *cap.*9. *num.*1. affirmativam sententiam tuetur. Admittit, quod juxta *Regulam* 57. *de regul. jur. in* 6. = *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpetratio facienda*, tamen cum in *Regul.* 45. *eod. tit.*, statuatur = *Inspicimus in obscuris, quod est verisimile*. Hinc putat verisimile esse, ut ille, qui Beneficium fundavit, & onus celebrandi Missam imposuit, in ejus suffragium eamdem Missam applicari voluerit.

Hanc sententiam secuta est Sac. Congregatio in *Tinen. applicationis Sacrificii*: Expositum fuit, quod ex dispositione Testamentaria antiquitus facta a pio Testatore reperiebatur fundata quædam Capellania cum onere Capellano pro tempore Sacrum faciendi singulis Dominicis aliisque Festis diebus, nulla adjecta declaratione ad cujus suffragium applicandum esset Sacrificium, hinc Episcopus supplicavit declarari, an hujusmodi Sacrificium applicandum esset pro anima ipsius Testatoris, an vero ad libitum Capellani, uti semper factum fuerat. Die 18. *Augusti* 1668. eadem Sac. Congr. respondit = *Applicandum esse Sacrificium pro anima Testatoris lib.*26. *decret. pag.*61.

Ad casum de quo agitur præstat animadvertere, quod alias definivit Sac. Congregatio in *Vintimilien.*, cujus hæc est facti species; Sacerdos Joannes Hieronymus Luterii instituit Hæredem Sororem suam, eaque sine filiis decedente, in omnibus suis bonis substituit Hospitale S. Spi-

ritus illius Civitatis cum onere celebrare faciendi in ejus Ecclesia Missam unam quotidianam = *& in ea orare pro anima ipsius Testatoris* ; Aperta favore Hospitalis successione ad prædictam Hæreditatem, illius Gubernatores petierunt definiri = *An Sacerdos ad celebrationem Missæ eligendus teneatur illam applicare, attentis verbis Testatoris superius recensitis, videlicet* = & in ea orare pro anima ipsius Testatoris = *nulla facta mentione applicationis, cum aliud sit orare, aliud Missam applicare* = Die 27. *Aprilis* 1720. prodiit responsum = *Sacerdotem teneri ad applicationem Missæ, lib. 70. decret pag.* 187.. Hæc prænotanda erant; superest modo, quod EE. VV. definiant.

I. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu &c.*

II. *An sit locus applicationi Missarum, & in quo numero in casu &c.*

Sess. 22. cap. 4. de Reform.

NARNIEN. JURIS INTERESSENDI, ET VOTANDI. Per Apostolicas litteras diei 15. Julii anni 1733. San Mem. Clemens XII. Mensæ Capitulari Narniæ perpetuo univit bona omnia, quæ ad Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis del Ponte dictæ Civitatis pertinebant. Hujusmodi unio facta est, ut distributiones quotidianæ augerentur, & propterea ab eodem Pontifice mandatum fuit, ut reditus dictorum bonorum duas ex tribus partibus perciperent Canonici, tertiam vero partem Beneficiati. Cum autem præfata bona Canonici, exclusis prorsus Beneficiatis, privativè administrarent ; idcirco usque ab anno 1765. de hoc extrajudicialiter Beneficiati conquesti sunt apud Episcopum. Proposita illorum petitio fuit in Capitularibus Comitiis eo anno habitis, prodiitque resolutio, quod Episcopus quæstionem absque ulla judicii forma definiret.

Verum non expectata Episcopi Sententia, occasione exequendi cujusdam contractus de bonis ad dictam unitam Ecclesiam pertinentibus, Canonicis placuit Beneficiatos advo-

advocare, eorumque suffragia exquirere; Deinde tamen Canonici privativam bonorum administrationem exercuerunt; Hinc Beneficiati in Episcopali Curia judicialiter insteterunt, ut declararetur jus sibi esse ferendi suffragium in iis, quæ fiunt pro administratione Bonorum, ac rerum spectantium ad dictam Ecclesiam S. Mariæ del Ponte. Abstinuit a declaratione ferenda Curia Episcopalis, habitoque recursu ad SSmum Dominum Nostrum, instantibus Canonicis petitio ablegata fuit Sac. Congregationi, & de ea in primo dubio disputatur. Cum autem nonnulli ex Canonicis petitioni Beneficiatorum assentirentur, & litem agere recusarent, oportuit propterea alterum dubium proponere super contributione ad expensas litis. De utroque igitur modo agendum est.

Qui Canonicorum causam tuetur inquit, quod soli Canonici Capitulum constituunt, nec sub Capituli nomine Beneficiati comprehenduntur, cum isti in Canonicorum auxilium sint instituti, illorumque servitio addicti esse debeant; Quare nullum jus Beneficiatis competere ferendi suffragium in Capitulis. Idque eo magis verificari quoad Beneficiatos Ecclesiæ Cathedralis Narniæ, qui amovibiles sunt, eorumque Beneficia in titulum perpetuum nunquam conferuntur. Nec obesse, quod de reditibus Ecclesiæ S. Mariæ del Ponte tertiam partem percipiant, nam unio prædicta nec Canonicis, nec Beneficiatis, sed solum Mensæ Capitulari, quæ a Canonicis dumtaxat administrari solet facta dignoscitur, & in unionis Bulla, præter jus percipiendi fructus, nihil aliud Beneficiatis tribuitur.

Addit præterea petitioni Beneficiatorum adversari tum observantiam, tum methodum hucusque retentam in administratione bonorum Capituli, Advertit enim alias extare Massas in Cathedrali Ecclesia Narniensi, de quibus Beneficiati participant, & tamen in expediendis illarum negotiis nunquam ad suffragium ferendum Beneficiati admissi fuerunt, quemadmodum, nec eo jure usi sunt, cum oportuit aliquid agere, quod ad Ecclesiam S. Mariæ del Ponte pertineret. Hanc vero observantiam inverti haud posse per Capitulum habitum anno 1767., in quo ad deliberandum, an fieri deberet alienatio quædam de rebus S. Mariæ del Ponte, adsciti etiam fuerunt Beneficiati, suffragiumque dederunt, cum hujusmodi actus unicus sit, & de eo tempore jam controversia ad Episcopum delata fuisset.

Ad

Ad II. sustinet, teneri ad expensas litis indistincte omnes Canonicos, cum agatur de tuendo jure totius Capituli; Quin ratio habenda sit de ejusdem litis eventu, cum sufficiat, litem evidenti calumniæ nota carere, ut omnes de gremio ad illius expensas compellantur.

Contra vero Beneficiati advertunt, Ecclesiam S. Mariæ del Ponte ante unionis tempus non fuisse de juribus Ecclesiæ Cathedralis, secuta vero unione, illius bona pro duabus partibus Canonicis, pro alia tertia parte ipsis applicata fuisse, & quemadmodum pro hac tertia parte in hujusmodi Massa agitur de illorum interesse, hinc inferunt, competere sibi jus ferendi suffragium, & interessendi Capitulis, in quibus tractantur dictæ Massæ negotia. Perperamque objici contrariam observantiam, cum illam non probent Canonici, & quatenus probarent nullius esset efficaciæ post Capitulum habitum anno 1767., in quo interfuerunt, & suffragium tulerunt tam Beneficiati, quam Canonici.

Pro parte Canonicorum, qui in litem non consenserunt, nullus unquam comparuit, qui eorum jura tueretur, licet judicialiter interpellati fuerint.

Episcopus post narratam facti seriem sic ait = *Ex verbis ejusdem Bullæ etiam Beneficiati cum Canonicis expresse dignoscuntur comprehensi in unionem per dictionem = Canonicis, & Beneficiatis =, quæ siquidem dictio in casu, de quo agitur operari videtur, ut idem sit de uno, & de altero ex copulatis, ac per hujusmod dictionem æquari videntur omnia copulata, scilicet pari ratione comprehensi Beneficiati cum Canonicis, & pariformiter omnia determinari.*

Glossa in *Cap. Cum ad hoc* 16 *de Clericis non residentibus verbo Assistos* = inquit = *Vocat Assistos Beneficiatos, quia non sunt Canonici, qui servire debent Ecclesiæ, nec vocantur ad omnes tractatus cum Canonicis* = ex quo infert *Barbosa de Can., & Dignit. cap.* 4. *num.* 37. *Card. Petra comm. ad Const.* 1. *S. Leonis Magni sect.* 2. *n.* 11., quod nomine Capituli non comprehenduntur Beneficiati quamvis sint perpetui.

Advertit *Fargna part.* 2. *de jurepatronat. can.* 27. *cas.* 12. *num.* 13., quod administratio Massæ Communis ex juris dispositione privativè spectat ad Canonicos, nec isti ullam rationem gestæ administrationis reddere tenentur Beneficiatis. Verum *Card. Petra loco cit. num.* 13. existimat, quod si Beneficiati in Communi Massa interesse habeant, & illa ex bonis propriis Beneficiatorum fuerit con-

conflata, tunc ipsi una cum Canonicis ad administrationem admittendi sint.

In præsenti casu potissimum animadvertendum est, cuinam unio bonorum Ecclesiæ S Mariæ del Ponte facta fuerit. Præ oculis habenda est consuetudo, quæ observatur in Capitulo quoad alias Massas, de quorum reditibus, licet participent Beneficiati, nullum tamen jus habent quoad administrationem, ut inde dijudicari possit num sint admittendi ad ferendum suffragium quando pertractantur negotia Ecclesiæ S. Mariæ del Ponte.

Quoad litis expensas videri poterunt Resolutiones editæ *in Viterbien. expensarum litis* 28. *Januarii* 1769. *in Imolen. Juris convocandi Capitulum die* 14. *Maii* 1774., & *in Ferrarien. Confraternitatis quoad XI. dubium die* 14. *elapsi mensis Septembris*.

Vestrum nunc erit Eminentissimi PP. dijudicare.

I. *An Beneficiati Ecclesiæ Cathedralis Narniæ vocari, & suffragari debeant in Capitulis, in quibus agitur de rebus Ecclesiæ S. Mariæ delPonte in casu &c.*

II. *An expensæ hujus litis pro parte Canonicorum fieri debeant a Capitulo, seu potius a singulis Canonicis in casu &c.*

VITERBIEN. DOTIUM. De hujus Causæ meritis actum est in Congregatione diei 20. *Aprilis* anni elapsi. Perspecta tunc fuit Eminentissimis Patribus Institutio Piæ Unionis, quam vocant *del seicento*, & hæc Unio aggregata est Confraternitati Mortis, & Orationis Civitatis Centum Cellarum. Perspectæ itidem fuerunt Leges, & Statuta, quas in Dotium distributione observare tenentur Sodales. De conculcatione tamen Statutorum in dotatione annorum 1777., & 1778. conquesti sunt Paulus Ruffini, & Angelus Grazioli eo tempore Præsides Piæ Unionis; hinc disputato dubio = *An sustinea-* *Sess. 24. cap. 8. de Reform.*

neatur facta deletio ab Urna nominis Puellarum, quæ respectivis annis 1777., *&* 1778. *dotatæ fuerunt ad nominationem Gubernatoris tunc pro tempore existentis Societatis. Mortis, seu potius earum nomina retinenda sint in Urna donec fuerint sorte extracta pro altera consequenda Dote in casu &c.* supradicta die prodiit responsum = *Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam.*

Cum autem hujusmodi resolutio silentibus Confratribus capta fuerit, hinc, impertita nova audientia, Causa ad examen revocatur. Qui illorum jura tuetur inquit, in Statutis dictæ Unionis sancitum esse, quod nulla ex Puellis, quæ semel nominata pro una Dote fuit, possit aliam Dotem consequi; hinc sustinet retinendum non esse in Urna nomen Puellæ, quæ jam ad præsentationem Gubernatoris Dotem consecuta est, quia tunc non unum sed duo Dotalia subsidia assequeretur. Nec obesse exceptionem, quod sub hac lege non comprehendantur Puellæ a Gubernatoribus nominatæ, cum quælibet hac de re dubietas sublata fuerit per resolutionem editam in Comitiis habitis die 7. Februarii 1779., in quibus resolutum fuit ut removeretur ab Urna nomen Puellarum, quæ Dotem ad nominationem Gubernatoris obtinuerunt.

Nec rite objici, quod eadem resolutio utpote respiciens tempus futurum, non vero præteritum trahi non possit ad Puellas jam nominatas. Advertit enim usque ad annum 1776. in Urna reponi consueviſſe Confratrum nomina, ut qui sorte extractus fuisset, Puellam nominaret, deinde vero methodum variatam fuisse, & nomina Puellarum in Urna reposita. Cumque eo tempore præsens quæstio mota fuisset, sustinet propterea casum, de quo agitur, sub ea dispositione comprehendi.

Ex alia vero parte nihil novi allatum fuit. Dignabuntur EE. VV. Folium resumere Congregationis diei 16. *Martii* anni mox præteriti, in quo præsens Causa descripta reperitur, ac decernere.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.

ALBIN.

ALBINGANEN. REDUCTIONIS MISSÆ CONVENTUALIS. Collegiata Ecclesia S. Nicolai Castri Diani Albinganen Diœcesis quindecim numerat Canonicos. Præbendarum reditus, præter quam quod exigui sunt, cum fere omnes ex tot Censibus percipiantur, ob Debitorum paupertatem difficilis sunt exactionis. Parum etiam emolumenti percipiunt Canonici ex Massa distributionum quotidianarum; Hinc preces dederunt, quibus postulant deletionem oneris applicandi Sacrum Conventuale pro Benefactoribus. *Sess. 22. decret. de observan., & evitan. in celeb. Miss.*

Episcopus testatur de tenuitate Præbendarum, & Distributionum quotidianarum; inquit enim *Illarum* (loquitur de Præbendis) *siquidem vix una scutorum viginti trium summam attingit, cæteræ vel sex, vel trium, vel etiam longe minorem. Distributiones vero scuta fortasse centum quinquaginta annuatim exhibent inter quindecim Canonicos æquis portionibus dividenda, qui singulis diebus Choro interfint, junctis oneribus Anniversariorum viginti quinque Missarum in cantu, octuaginta quatuor & privatarum sexaginta circiter, & cum onere candelas propriis sumptibus providendi, quæ omnia ex prædictis distributionibus, scuta detrahunt fere quinquaginta. His etiam computata exigendorum fructuum difficultate, quam maximam esse non inficior, tenues admodum Distributiones evadunt, ut obligatione Missarum pro Benefactoribus gravari Capitulum minime reor.*

Certum est, & satis unicuique notum, quod ex Sacrorum Canonum dispositione Canonici Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum tenentur quotidie celebrare, & applicare Missam pro Benefactoribus = *Cap. Cum Creatura de celeb. Miss.*. Hujus disciplinæ observantiam enixe præcepit san. mem. Benedictus XIV. in Constitutione. *Cum semper oblatas* §. 11.. Verum advertens, quod in aliquibus Ecclesiis Canonici parum emolumenti perciperent tum ex Præbendis, tum ex distributionibus quotidianis, idcirco in eadem Constitutione §. 19. decernit, ut quatenus Præbendarum inopiæ occurrere non possit mediis præscriptis a Sac. Concilio *Sess.24. cap.15. de Reform.*, tunc habito ad Sacram Congregationem recursu, applicatio Missæ Conventualis ad dies Festos coerceretur.

Et revera Sac. Congregatio, probata prius Præbendarum paupertate, hujusmodi onus ad dies Festos reduxit in *Amerina Missæ Conventualis* 12. *Martii* 1746., *in Arimi-*

nen. Missæ Conventualis 18. *Septembris* 1751., *& in Ilcinen.* 14. *Septembris elapsi anni*. Ponderandum an in præsenti casu concurrant circumstantiæ, quæ reductionem suadeant, ut definiri possit.

An, & quomodo sit locus reductioni applicationis Missæ Conventualis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 25. Januarii 1783. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

UNica tantum cauſa in præſenti Folio deſcribitur; reliquas habent EE. VV. ex Folio præcedentis Congregationis, in qua ob negotiorum gravitatem definiri non potuerunt.

PISAUREN. MASSÆ COMMUNIS.

I. *An Conſtitutiones Capitulares ſint ſervandæ in caſu &c.* *Seſſ. 21. Cap. 3. de Reform.*
Et quatenus negativè.

II. *An inter Canonicos Collegiatæ S. Michaelis Archangeli Oppidi S. Angeli ſit locus confectioni Maſſæ Communis omnium, & ſingulorum fructuum, redituum, & proventuum, jurium, & emolumentorum provenientium tam ex Hæreditate bon. mem. Joa. Baptiſtæ de Rubeis, quam ex Legato bo. me. Canonici Petri Corradi in caſu &c.*
Et quatenus affirmativè.

III. *An, & pro qua rata fructus, reditus, proventus, & emolumenta prædicta, etiam incerta, cedere debeant in uſum Diſtributionum quotidianarum in caſu &c.*
Et quatenus affirmativè.

IV. *An, quomodo, & inter quos hujuſmodi quotidianæ Diſtributiones ſint dividendæ in caſu &c.*

Ad I. Providebitur in Sequentibus. Ad II. Affirmativè, & amplius. Ad III. Affirmativè ad formam Bullæ erectionis, & amplius, & ad mentem; & mens eſt, quod Scribatur Epiſcopo, qui referat an adſit Dos congrua pro Fabrica Eccleſiæ, & expenſis Sacrarii. Ad IV. Affirmativè ad formam Bullæ erectionis, & amplius.

Seſſ. 21. cap. 2. de Reform.

INTERAMNEN.

An, & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

Arbitrio, & conſcientiæ Epiſcopi.

Seſſ. 7. cap. 7. & 8. de Reform.

NUCERINA JURIS VISITANDI.

I. *An liceat Epiſcopo viſitare Eccleſiam S. Leonardi ſpectan. ad Sac. Religionem Hieroſolymitanam in caſu &c.*

II. *An Viſitatio facta ſit attendenda, & reſpective ſervandum ſequeſtrum in caſu &c.*

Negativè ad utrumque.

Seſſ. 7. cap. 7. & 8. de Reform.

PERUSINA JURIS VISITANDI.

I. *An liceat Epiſcopo viſitare Eccleſias non Parochiales ſpectan. ad Sacram Religionem Hieroſolymitanam in caſu &c.*

II. *An Viſitatio facta ſit attendenda in caſu &c.*

Negativè ad utrumque.

Seſſ. 23. cap. 6. de Reform.

BONONIEN. DISPENSATIONIS.

I. *An ſit conſulendum SSmo pro diſpenſatione in caſu &c.*

II. *An ſit locus applicationi Miſſarum, & in quo numero in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè uſque dum Orator pervenerit ad legitimam ætatem, adimpletis interim per alium oneribus. Ad II. Affirmativè ad primam partem: quo vero ad Secundam, numerum Miſſarum præfiniendum eſſe ab Eminentiſſimo Archiepiſcopo juxta peritiam faciendam fructuum Beneficii, qui integraliter erogari debeant in celebrationem Miſſarum ad taxam perpetuæ.

Reliquæ non propoſitæ.

NAR-

NARNIEN. JURIS INTERESSENDI, ET VOTANDI. *Sess. 22. cap. 4. de Reform.*

I. *An Beneficiati Ecclesiæ Cathedralis Narniæ vocari, & suffragari debeant in Capitulis, in quibus agitur de rebus Ecclesiæ S. Mariæ del Ponte in casu &c.*

II. *An expensæ hujus litis pro parte Canonicorum fieri debeant a Capitulo, seu potius a singulis Canonicis in casu &c.*

VITERBIEN. DOTIUM. *Sess. 24. cap. 8. de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

ALBINGANEN. REDUCTIONIS MISSÆ CONVENTUALIS. *Sess. 22. decret. de observan., & evitan. in celeb. Miss.*

An, & quomodo sit locus reductioni applicationis Oneris Missæ Conventualis in casu &c.

BRICTINORIEN. TRANSLATIONIS ONERIS MISSARUM. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.* Cupiens Octavius Salli Brictinorienſis ut Missa quotidiana, quam adhuc vivens pro Animabus in Purgatorio existentibus celebrare fecerat, post ejus obitum celebraretur, in Testamento exarato anno 1719. per Acta Notarii Quintili de Urbe, mandavit Hæredi usufructuario, quod Mobilia, aliasque res Hæreditarias venundaret, & pretium retrahendum erogaret in emptionem tot Locorum Montium, qui inservirent pro fundo Ca-

Capellaniæ Brictinorii erigendæ ; Prævidens tamen casum , quod ex dictorum Mobilium , ac rerum venditione capitale sufficiens ad erigendam dictam Capellaniam haberi minime posset , tunc voluit , quod Hæres prædictus pacisceretur cum aliqua Regulari Communitate , vel Loco Pio Brictinorii = *e li sborsi quello saranno d'accordo con obligo delli medesimi di celebrare giornalmente una Messa per l'Anime del Purgatorio* = Hære litatis usumfructum , & jus eligendi Capellanum reliquit Præposito Aiexandro Saffi germano Fratri , eoque defuncto, proprietatem,una cum Patronatu activo dictæ Capellaniæ, detulit Alexandro Romualdo Massi ex Sorore Nepoti .

Vix secuto Testatoris obitu , Hæres usufructuarius Capellaniam instituit ad Altare Majus privilegiatum Cathedralis Ecclesiæ Brictinorienſis cum onere Missæ quotidianæ in suffragium Animarum Purgantium . Pro illius Dote Loca Montium quatuordecim assignavit ; Patronatum activum sibi reservavit , & post ejus mortem Hæredi proprietario ejusque Filiis, & Successoribus addixit . Retinet ad præsens dictam Capellaniam Sacerdos Laurentius Aloysius Maria Babbini ex Oppido S. Petri in Balneo Diœcesis Burgi S. Sepulcri , ejusque titulo ad Ordines Sacros promotus fuit . Hic preces dedit pro translatione Missarum ad unam ex Ecclesiis dicti Oppidi S. Petri , & de hac petitione agendum modo est .

Inquit enim , ipsum esse de genere vocatorum , Testatori Consanguineum , & ad titulum dictæ Capellaniæ ad Ordines Sacros promotum ; Addit præterea , domicilium habere in Oppido S. Petri in Balneo , ubi moratur etiam Illius Mater ætate gravis , quam deserere non potest , ut Brictinorium ad celebrandas Missas se conferat ; Advertit huic oneri per alium Sacerdotem satisfieri non posse , cum ex reditibus Capellaniæ , deductis expensis utensilium , & Exactoris Locorum Montium , vix habeatur summa , quæ eleemosynæ Missarum respondeat . Ait insuper : Quod si per alium Sacerdotem Missarum Oneri adimpleri teneretur , tunc destitutus remaneret fructibus sui Patrimonii , & propterea ad eam redigeretur egestatem , ita ut nec sibi , nec propriæ Matri alimenta parare posset ; Maxime , quia in Oppido S. Petri de Balneis Missæ adventitiæ raro inveniuntur . Hinc justam adesse existimat causam indulgendæ translationis , præsertim quia nihil adversatur voluntati Testatoris , qui solum optavit suffragium Animarum Purgantium , & idem suffragium habetur quocunque in loco Missæ celebrentur.

Nec

Nec obesse dispositionem Sac. Concilii, quæ præcipit, ne Beneficia unius Diœcesis ad aliam transferantur, cum in præsenti casu non transferatur Capellania, seu Beneficii Titulus, sed solum indulgetur translatio Onerum, quibus Capellanus gravatur. Minusque obesse Testatoris voluntatem, cum is in institutione Capellaniæ nul. lam peculiarem Ecclesiam designaverit, sed tantum Defunctorum suffragium requisiverit, quod quidem magis deprehenditur ex aliis piis Legatis in eodem Testamento relictis, quæ certæ Ecclesiæ addixit, & in præfinito Altari adimpleri voluit.

Quin etiam afficiat erectio Capellaniæ de mandato Testatoris facta in Civitate Brinctinorii: Respondet enim, ideo demandatam fuisse in ea Civitate Capellaniæ erectionem, quia Alexander Saffi ejus Frater erat illius Cathedralis Præpositus; Voluit enim ejus Fratris majoris commodo prospicere in celebratione Missarum. Qua de re observat nullum jus acquisivisse Capitulum Cathedralis, neque hac de causa denegandam translationem petitam ab altero Sacerdote passivè vocato, & extra Brictinorium commorante.

Oratoris petitioni contradicit Capitulum Cathedralis, cui licet fuerit præfixus terminus, ut propria jura in Sac. Congregatione deduceret, pro eo nullus unquam comparuit; Verum ex foliis Episcopo exhibitis, illius contradictio desumitur ex ea ratione, quod Testator Capellaniam Brictinorii erigi voluerit, & ut Missæ celebrentur in Ecclesia Cathedrali, ubi major habetur Populi concursus. Capitulo adhæret etiam Episcopus, prout patet ex ejus relatione, quæ dabitur inter monumenta Causæ.

De Missarum translatione ab una ad aliam Ecclesiam non raro in Sac. Congregatione disceptatum est. Noviſſimè autem de ea actum fuit in *Firmana Translationis Oneris Missarum* in Folio Congregationis diei 3. *Augusti* anni elapsi, & in *Placentina Legati Pii*, quæ prostat in Folio Congregationis diei 14. *Septembris* ejusdem anni; In hisce Foliis habent EE. VV. quidquid in jure hac super re animadversione dignum videtur. Perpendendum tamen in facto, quod Testator Capellaniam Brictinorii erigi mandavit, & eveniente casu, quod bona pro illius Dote assignata, onerum adimplemento non sufficerent, tunc voluit, ut Hæres usufructuarius certam pecuniæ quantitatem persolveret alicui Loco Pio dictæ Civitatis,

qui

qui onus Missæ quotidianæ adimplere teneretur, atque hinc dijudicandum, an Capitulum Cathedralis jure, vel iniuria contradicat;

Ex alia vero parte ponderandum, quod Sacerdos Babbini est de Testatoris familia, passivè ad Capellaniam vocatus, & ad illius titulum ad Ordines Sacros promotus; Cumque ob Matris ætatem proprios Lares deserere non possit, ut Brictinorium se conferat ad Missas per se ipsum celebrandas, propterea videndum, an rite adigi possit ad satisfactionem Onerum per alium Sacerdotem, vel potius propter exiguos Capellaniæ reditus facilius sit translationi indulgendum. Quare definient EE. VV.

An, & quomodo sit locus translationi oneris Missarum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 8. *Februarii* 1783. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

CAuſæ, quæ aliis in præſenti folio deſcriptæ præmittuntur, in præcedenti Congregatione definiri non potuerunt, & pro illarum definitione Partes exorant.

NARNIEN. JURIS INTERESSENDI, ET VOTANDI. *Seſſ. 22. cap. 4. de Reform.*

I. *An Beneficiati Eccleſiæ Cathedralis Narniæ vocari, & ſuffragari debeant in Capitulis, in quibus agitur de rebus Eccleſiæ S. Mariæ del Ponte in caſu &c.*

II. *An expenſæ hujus litis pro parte Canonicorum fieri debeant a Capitulo, ſeu potius a ſingulis Canonicis in caſu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius.

Ad II. Affirmativè ad primam partem; negativè ad Secundam, & amplius, & ad Dominum Secretarium juxta mentem; & mens eſt, quod Univerſitas Canonicorum contribuere debeat non comprehenſis Capellanis, ſeu Beneficiatis.

VITERBIEN. DOTIUM.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c. *Seſſ. 24. cap. 8. de Reform.*

Prævio receſſu a deciſis, deletionem Suſtineri.

Sess. 22. decret. de observan. & evitan. in celeb. Miss.

ALBINGANEN. REDUCTIONIS MISSÆ CONVENTUALIS.

An, & quomodo sit locus reductioni applicationis Missæ Conventualis in casu &c.

Affirmativè pro reductione ad dies Festos de præcepto tantum.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

BRICTINORIEN. TRANSLATIONIS ONERIS MISSARUM.

An, & quomodo sit locus translationi oneris Missarum in casu &c.

Negativè

Sess. 24. cap. 18. de Reform.

FERETRANA PAROCHIALIS. Per obitum Sacerdotis Joan. Donati Fucci secutum die 10. Julij anni 1781 vacavit Parochialis Ecclesia SS. Petri, & Pauli Oppidi Frontini Feretranæ Diœcesis, cujus collatio ad Sedem Apostolicam pertinet, eo quia vacatio sequuta est in Mense reservato. Episcopus Concursum indixit pro die 23. ejusdem Mensis Julij. Quatuor comparuerunt Sacerdotes, & unus Clericus: Sacerdotes fuerunt Franciscus Tofani, Paschalis Francioni, Dominicus Antonius Ravogli, & Joseph Scaglioni, Clericus vero fuit Petrus Sersilvestri in vigesimo ætatis anno constitutus. Peracto examine, omnes fuerunt reprobati, præter Clericum Sersilvestri, qui propter ætatem Parochiam assequi non potuit. Necesse proindè fuit novum Concursum indicere habendum die 7. Augusti ejusdem anni. Præstituta die tres comparuerunt Sacerdotes Scaglioni, & Ravogli in præterito Concursu reprobati, ut iteratum subirent examinis experimentum, accessitque etiam alter Sacerdos Vincentius Benvenuti. Nullus tamen ex his ab Examinatoribus idoneus inventus fuit ad assequendam Parochiam.

Ægrè id tulit Sacerdos Benvenuti, qui die 18. dicti Mensis Augusti apud Sac. Congregationem de mala Examinatorum relatione conquestus est. Requisitus de more Epi-

sco-

scopus, auditaque illius relatione, mandatum eidem extitit, ut *procederet ad convocationem novi Concursus ad formam juris, & Sacri Concilij Tridentini*. Tertium itaque Concursum indixit Episcopus, præfinivitque diem 29. sequentis Octobris. Duo tantum Sacerdotes ad examen admitti petierunt, nempe Jo. Maria Fucci, & Dominicus Antonius Ravogli. Expleto examine Examinatores ad Scrutinium devenerunt, in quo Sacerdos Ravogli habuit vota favorabilia quinque, contraria vero quatuor. Hunc Episcopus ad regimen dictæ Parochialis Ecclesiæ præelegit, illumque suis testimonialibus litteris Eminentissimo Pro-Datario commendavit. Sacerdos Benvenuti, qui etsi reprobatus in secundo Concursu, in tertio tamen Concursu non comparuerat, Contradictorem se præbuit Sacerdoti Ravoglio, ne Parochiam assequeretur. Quarè illo instante duo inferius descripta dubia EE. VV. definienda proponuntur.

Ad I. inquit Sacerdos Benvenuti, morem invectum esse in Diæcesi Feretrana, ut in examine habendo pro collationibus Ecclesiarum Parochialium, tres vocentur Examinatores, quorum unusquisque jus habet ferendi tria suffragia, illumque adprobatum censeri, qui obtinuerit quinque suffragia favorabilia. Suffragia autem dimetienda esse sustinet a judicio, quod efformant Examinatores ad responsa casuum conscientiæ, ad explicationem textus Concilij Tridentini, & ad Conciunculam super Evangelio. Jam vero subsumit, quod si perpendatur judicium Examinatorum panditum ad ea, quæ ab ipso in secundo examine, & scripta, & responsa sunt, illico apparebit minus rectum Examinatorum judicium, cum magis probata visa fuerint, quæ ipse in secundo examine scripsit, & respondit, quam quæ in tertio examine, respondit, & scripsit Sacerdos Ravogli. Id autem manifestè patere, si acta secundi, & tertii Concursus invicem conferantur. Hæc autem cum certa esse affirmet, inquit ad II. dubium, nullimodè probari posse tertium Concursum, quoties in vim secundi Concursus sibi adjudicanda est Parochia.

Quin obstent impicta crimina, cum hæc non bene probentur ex depositionibus Testium, quorum assertiones prosternuntur ab aliis Testibus de probitate, bonisque moribus, & pietate deponentibus.

Contra vero Sacerdos Ravogli ad I. advertit, nunquam in Curia Episcopali Feretrana Sacerdotem Benvenuti appel-

laſſe a mala Examinatorum relatione, & irrationabili judicio Epiſcopi, & cum recurſus Sacræ Congregationi fuerit exhibitus elapſo jam menſe poſtquam, & relatio, & judicium prodierant; hinc ſuſtinet hanc litem ab eo promoveri non potuiſſe, quia juxta Conſtitutionem Benedicti XIV. hujuſmodi appellationes non admittuntur niſi infra decendium interpoſitæ fuerint. Fortius quia audita Epiſcopi relatione, mandavit Sac. Congregatio, ut tertius Concurſus convocaretur, & hoc modo probata ab eadem Sac. Congr. videtur, tum Examinatorum relatio, tum judicium ſuper ſecundo Concurſu ab Epiſcopo prolatum.

Intrinſecus tamen de cauſæ meritis agendo, inquit, rectam fuiſſe Examinatorum relationem, cum ex reſponſionibus datis a Benvenuto ſecundo, & tertio conſcientiæ caſui, atque ex ſermone ſuper Evangelij textu, ſatis deprehendatur ejus inſufficientia pro ſubeundo Parochi munere. Pari etiam ratione tuetur, injuriâ de irrationabilitate redargui judicium Epiſcopi, cum ſemelac Epiſcopus acta Concurſus perquiſivit, eique etiam querelæ Populi Caſtri Frontini contra Benvenutum pervenerunt, pro ſuo munere illum omnino arcere debuerat a regimine Eccleſiæ Parochialis.

Ad II. obſervat, tertium Concurſum habitum fuiſſe auctoritate Sac. Congregationis, quin novum experimentum ſubire voluerit Sacerdos Benvenuti; Addit præterea in eodem concurſu ipſum fuiſſe adprobatum, & teſtimonialibus litteris ab Epiſcopo commendatum, propterea tertium Concurſum ſuſtineri debere, ſibique adjudicandam eſſe Parochiam. Nec obeſſe, quod in præcedenti examine rejectus fuerit; Reſpondet enim, poſthabendum eſſe quidquid in aliis Concurſibus actum ſit, ſolumque inquirendum, an ritè rectèque Examinatores in tertio Concurſu ſuam dederint relationem, & impartiale prodierit Epiſcopi judicium.

Quod de moribus, & ſcientia Sacerdotis Benvenuti refert Epiſcopus, habent EE. VV. ex ejus relatione inter monumenta cauſæ circumferenda.

Sacrorum Canonum ſtatuta, quæ juxta temporum circumſtantias prodierunt, abundè teſtantur quanta cura adhibenda ſit, ut ii tantum ad animarum regimen aſſumantur, qui verbo, & exemplo oves ſibi creditas paſcere, & enutrire poſſint. Id præcipue demandatum legitur in Sac. Concilio Tridentino *Seſs. 24. cap. 18. de Reform.*, ubi ſtatuitur, quod vacante Parochiali Eccleſia Concurſus indi-

dicatur, in quo de singulorum concurrentium meritis, & doctrina diligens fiat inquisitio, & opportunum habeatur experimentum. Benedictus XIV. in Constitutione, quæ incipit = *Cum illud* = edita die 14. *Decembris* 1742. circa initium hæc habet = *Provide consultum est, regimen Ecclesiarum Parochialium iis esse committendum, quorum omnis ætas a puerilibus exordiis ad provectiores annos per disciplinæ Ecclesiæ stipendia ita cucurrisse, ut de illorum supra alios provectione, ac potiori doctrinæ, morum, ac diuturni laboris suffragio nefas esset dubitare* =.

Ut autem a Concursu quælibet doli, & fraudis suspicio arceatur, provide S. Pius V. in Constitutione incipiente = *In conferendis* sub datum die 18. *Martij* 1567. §. 7. statuit *Quod si Episcopus minus habilem posthabitis magis idoneis elegerit, possint ii, qui rejecti fuerint a mala electione hujusmodi.... appellare, & præelectum ad novum examen coram ipso appellationis Judice, & ejus Examinatoribus provocare, & constito de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis, magis idoneo per eumdem Judicem appellationis, auctoritate nostra* [*quatenus collatio ad Episcopum, a quo appellatum fuit spectaret*) *conferatur, alias eidem magis idoneo per Judicem appellationis approbatio conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio, provisio, vel institutio spectabit* = Voluit tamen, ne appellatio in suspensivo, sed tantum in devolutivo admitteretur.

Post hæc in Sac. Congregatione actum fuit de appellationibus. Per litteras Encyclicas diei 10. *Januarij* 1721. a San. Mem. Clemente XI. approbatas præscriptum fuit, ut appellatio nonnisi quam infra decem dies a mala relatione Examinatorum, & ab Irrationabili judicio Episcopi interponi liceret, utque transmitterentur ad Judicem appellationis acta Concursus = *ex quibus actis, vel autentico eorum exemplo, nisi gravamen quoad doctrinam probet is, qui sic, ut præmittitur examinatus, aut a mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili judicio Episcopi appellaverit, novum ad examen provocandi facultatem a Sac. Congregatione frustra postulabit. Quemadmodum, & in judicio appellationis prosequi jus suum frustra tentabit is, qui forte se gravatum doleat quoad reliqua, nisi interposita mature, ut dictum est, appellatione ab irrationabili judicio Episcopi, gravamen quoad illa ostenderit, vel ex actis primi Concursus, vel saltem ex attestationibus, & documentis extrajudicialibus etiam, sed non levibus* =.

Accessit postmodum nuper relata Constitutio San. Mem. Benedicti XIV. *Cum illud*, in qua nonnulla præfatis Litteris

teris addita, nonnulla clarius, & luculentius declarata sunt. Illud tamen §. 6. præcipuè cautum legitur, ut = *in ferenda sententia, ac reparando gravamine Judex* (scilicet appellationis) *innitatur solumodo probationibus ab Actis elicitis, tam respectu doctrinæ, quam aliorum meritorum. Quia vero a publica indictione, usque ad diem habiti Concursus tantum temporis intercessit, quantum satis fuit commode exhibendis necessariis juribus, attestationibus, requisitis, aliisque meritorum documentis, idcirco, ut quævis viam fraudis præcidatur, volumus, ac districtè mandamus, ne dictas attestationes, fides, tam judiciales, quam extrajudiciales, & documenta quæcumque studiosè conquæsita, & post Concursum, ut ajunt, expiscata nullo modo recipiantur. Non obstantibus supra memoratis litteris a Congregatione Concilij Tridentini Interprete anno 1721. editis, quibus ad præmissorum effectum in hac parte derogamus, illis tamen in reliquis, una cum omnibus in eis contentis, firmiter in suo robore permansuris* =.

Verum in peragendo Scrutinio non ille tantum ad Curam Animarum est præeligendus, qui scientia cæteros antecellat, sed etiam inquirendum est, ut cum doctrina probati mores, & prudentia concurrant. Id sane monuit Sac. Concilium dicta *Sess.* 24. *cap.* 18. *de reform.* inquiens *Peracto deinde examine renuncientur quotcumque ab iis idonei judicati fuerint, ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis* =.

Consonant litteræ Sac. Congregationis superius relatæ, ubi hæc habentur = *Cum non continuo si quis est doctor, is etiam aptior, seu magis idoneus ad id regimen habeatur, vel etiam habendus sit.* Nec est prætereundum, quod laudatus Pontifex Benedictus XIV. citata Constitutione = *Cum illud* = advertit = *Nec parvi pendendum esse testimonium illius Pastoris, cui divino mandatur eloquio oves suas agnoscere. Facile enim credi non potest, Episcopos suæ non minus, quam alienæ salutis, adeo immemores, ut non deterriti interminatione divini judicij odio, vel fraude moveantur, & in Sacrorum Canonum singularem injuriam, dicant malum bonum, bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Ad rem advertit *Fagnanus in cap. Eam te, de ætate, & qualitate præficiendorum num.* 24. *&* 30., ut ad effectum decidendi de irrationabili judicio Episcopi, unum potius, quam alterum præeligentis, necesse est, quod tanta meritorum inæqualitas deprehendatur, quæ manifestum excessum inducat.

Hinc

Hinc Sac. Congregatio hujuſmodi querelas quandoque rejecit. In *Nucerina Parochialis*, indicto de more Concurſu pro collatione Eccleſiæ Parochialis Oppidi Saxoferrati, plures ad Concurſum venerunt, quos inter Sacerdos Marcus Evangeliſti, qui tres ex quinque Examinatoribus habuit ſibi favorabiles, omnium tamen favorabilia vota Examinatorum conſenſerunt in Paridem de Vimercatis. Fuit hic ab Epiſcopo electus, ſed ab hoc judicio reclamavit Sacerdos Evangeliſti. & propoſito dubio = *An ſit concedendum novum examen, & quatenus negativè, an aliunde conſtet de irrationabili judicio Epiſcopi* = Die 2. *Octobris* 1721. reſponſum fuit = *Negativè*. In *Portuen. Parochialis* Emus Epiſcopus contulit Parochialem Eccleſiam Terræ Cereveteris Sacerdoti Carolo Salucci ſecundo loco approbato, quamvis primo loco approbatus fuiſſet Sacerdos Dominicus Calabreſi, cumque die 30. Julij 1763. quæſitum a Sac. Congregatione fuiſſet = *An conſtet de irrationabili judicio Epiſcopi, ita ut Eccleſia Parochialis Cereveteris ſit adjudicanda Dominico Calabreſio in caſu &c.* = prodiit reſcriptum = *Negativè in omnibus*.

At juſtis concurrentibus cauſis, & ſerio perpenſis omnium concurrentium meritis, Epiſcopi judicium improbavit. In *Æſina Concurſus* conqueſtus eſt apud Sac. Congregationem Sacerdos Marinus Moriconi, quod in collatione Parochialis Eccleſiæ S. Silveſtri Oppidi Montis Roberti poſthabitus ab Epiſcopo fuerit, licet in eo omnium Examinatorum vota conveniſſent, & per plures annos in adminiſtratione alterius Eccleſiæ Parochialis detentus fuiſſet, data præelectione Sacerdoti Hieronymo Novi a tribus tantum Examinatoribus approbato; Hinc diſputatis dubiis I. *An conſtet de irrationabili judicio Epiſcopi* =, & quatenus affirmativè II. *An, & cui ſit adjudicanda Parochia S. Silveſtri Terræ Montis Roberti in caſu &c.* Die 12. *Maij* 1736. edita eſt reſolutio = Ad I. *Affirmativè* = Ad II. *Adjudicandam eſſe Moriconio*. Rurſus in *Firmana Parochialis* Dominicus Nicolaus Paſſarini Terræ Porculæ Diœcelis Montis Alti expoſuit Sac. Congregationi, quod quamvis ipſe in ſex aliis Concurſibus fuiſſet adprobatus, nihilominus Archiepiſcopus ad regendam Parochialem Eccleſiam Caſtri Orciani præelegerit Cajetanum Moretti, diſcuſſo proinde dubio = *An conſtet de irrationabili judicio Epiſcopi, itaut Parochia S. Hieronymi Orciani ſit adjudicanda Dominico Paſſerini*

in

in casu &c. Die 21. *Augusti* 1762. prodiit responsum = *Affirmativè in casu, de quo agitur.*

Hisce animadversis, ac serio libratis actis Concursus, definient EE. VV.

I. *An constet de mala relatione Examinatorum, & de irrationabili judicio Episcopi in casu &c.*
Et quatenus affirmativè.

II. *An sustineatur tertius Concursus, & cui sit adjudicanda Parochialis in casu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius.
Ad II. Affirmativè, & Parochiam adjudicandam esse Dominico Ravoglio, & amplius.

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

MELEVITANA. Cupientes Canonicus Joannes Maria, aliique Fratres Azzopardo Castelletti ad formam Transactionis stipulatæ anno 1715. affigere gentilitium Stemma cum marmorea Inscriptione ad Aram Maximam Ecclesiæ Patrum Carmelitarum Excalceatorum Civitatis, quæ *Cospicua* nuncupatur Diœcesis Melitensis, quæstio orta est de loco, in quo Stemma prædictum apponi deberet. Siquidem Patres Carmelitæ contendebant, illud non esse apponendum in superiori basi dexteri lateris Altaris, cui binæ innituntur Columnæ, quia in eadem linea manet ejusdem Altaris Mensa, & Ciborium. Judicium hac super re exquisitum fuit EE. VV., & proposito dubio in Congregatione habita die 26. *Januarij* anni elapsi = *An, & in qua parte lateris dexteri Altaris Majoris S. Theresiæ apponendus sit Lapis cum Inscriptione, & Stemmate gentilitio Familiæ Azzopardo Castelletti in casu &c.*, nulla tunc capta est resolutio, mandatumque fuit, ut votum novi Episcopi exquireretur, qui recenter in Diœcesi advenerat.

Supervenit relatio Episcopi, qui hæc habet = *Novum non est, nec infrequens in Ecclesiis hujus Insulæ Arma gentilitia, & Inscriptiones in Altarium lateribus, Ciborio inferioribus apponere, vel in locis ab Altaribus omnino sejunctis; quapropter licet Patronis de Castellettis jus competat eorum Insignia cum Inscriptione collocandi in latere dextero Altaris Majoris Ecclesiæ S. Theresiæ, incongruus tamen mihi etiam videtur locus ab ipsis designatus, basis nem-*

nempe superior, quæ Ciborio adamussim correspondet, quod & SSmi Sacramenti majestati, & universali consuetudini Ecclesiarum hujus meæ Diœcesis adversari innumera monumenta testantur; Neque hanc consuetudinem evertunt Stemmata, quæ inveniuntur in Ecclesiis S. Mariæ Magdalenæ, & S. Margaritæ Monialium hujus Insulæ; Illa enim in Altari non existunt, sed super dictarum Monialium Cratibus ad Altare certè non spectantibus; Quamobrem nullum esse locum tam aptum Lapidi apponendo pro Insigniis prædictis existimo, quam basis inferior dicti Altaris Majoris, quæ ab omnibus conspici potest. Ne vero futuris temporibus hujusmodi Inscriptio, & Stemmata adstantium oculos fugiant, ad consulendum Patronorum juribus, & excitandos Fideles ad similia opera pietatis, putarem Stemmata prædicta cum Inscriptione appositа in dicta basi inferiori lateris dexteri dictæ Patronalis Capellæ, nunquam posse in posterum quovis sub obtentu, vel obstaculo a dictis Patribus cooperiri, ut Inscriptiones, & Insignia ad hunc finem instituta omnibus pateant, & occulta non lateant.

Hæc addenda erant iis, quæ jam exposita fuerunt in Folio Congregationis diei 22. *Decembris* 1781., in quo causa descripta reperitur. Rogantur Emi PP. illud resumere, & respondere dubio, quod iterum proponitur.

An, & in qua parte lateris dexteri Altaris Maioris S. Theresiæ apponendus sit Lapis cum Inscriptione, & Stemmate gentilitio Familiæ de Azzopardo Castelletti in casu &c.

Affirmativè juxta votum Episcopi, & amplius.

RIPANA JUBILATIONIS. Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Ripanæ, præter Archipresbyterum, & Archidiaconum duodecim numerat Canonicos, qui omnes infra annum gaudent vacatione dierum dumtaxat quinquaginta. Inter hujus Ecclesiæ Canonicos die 25. *Octobris* 1739. cooptatus fuit Sacerdos Nicolaus Sforza, qui *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

emenſo quadraginta annorum ſervitio, Jubilationis indultum efflagitavit. In Capitularibus Comitiis habitis die 16. *Junij* 1780., in quibus novem Canonici interfuerunt, Oratoris petitio per quinque ſuffragia favorabilia admiſſa fuit; reſiſtit tamen alter Canonicus Dorotheæus Tommaſi, & Sac. Congregationi expoſuit, Jubilationem denegandam eſſe, cum non verificetur in Canonico Sforza continuum, & laudabile ſervitium. Relata inter ſummaria Precum Oratoris inſtantia, rejecta fuit in Congregatione diei 16. *Junij* 1781.; Modo vero renovatis precibus, petit ab EE. VV. Jubilationis indultum, tum ob quadraginta; & ultrà annorum ſervitium jam præſtitum, tum etiam propter ejus ingraveſcentem ætatem, & adverſam, qua laborat, valetudinem.

Canonicus Sforza ſuſtinet, Eccleſiæ inſerviiſſe annos duos ſupra quadraginta, & computatis tam diebus quinquaginta vacationum, quam aliis, quibus Choro non interfuit, ejus abſentiam non excedere in unoquoque anno Trimeſtre a Sac. Concilio Tridentino permiſſum, & trium Canonicorum depoſitione probare nititur, quod Canonici integro die ab Eccleſia abſentes, novem punctis mulctantur.

Contra hanc Oratoris petitionem Canonicus Tommaſi aſſerit, ipſum aſſiduum Eccleſiæ ſervitium non præſtitiſſe, & dum Choro interfuit, modeſtiam Eccleſiaſtico Viro d gnam nunquam ſervaſſe.

Ex Capitularibus libris, ubi Canonicorum Fallentiæ adnotantur, quorum exemplar ab Epiſcopo tranſmiſſum eſt, patet, quod dictus Sforza ab anno 1740. ad annum uſque 1780. præter quinquaginta dierum vacationem ab Eccleſiæ Statutis permiſſam, ſemper fere centum, & ultra negligentiæ puncta, non raro etiam bis centena, quandoque tercenta, & quingenta habuit, & in aliquibus annis exceſſerunt octingenta.

Epiſcopus in litteris diei 26. *Auguſti* anni 1780. teſtatur, Oratoris petitionem per ſecreta ſuffragia a Capitulo probatam eſſe, quod antea factum nunquam fuiſſe comperitur, cum Capitulares in ſimilibus caſibus, conſenſum oretenus ſemper præſtiterint; Addit inſuper = *In puntaturis, quarum notulam juſſu EE. VV. hic infero, ne quid erroris irrepſerit, Canonicus ſuſpicatur, ratione quippe inita, non ita frequentes ſe multas perſolvere coactum eſſe dignoſcitur. Illud etiam parumper conqueritur, quempiam alium ejuſdem Eccleſiæ Canonicum, qui largius hac in re deliquiſſet, ſine ulla tamen Capituli contradictione*

ne hujuſmodi gratiam eſſe aſſecutum. Aliquam in ſuo obeundo munere fatetur incuriam, non eam tamen, ut magnam præſeferat culpam, ſi quadraginta annorum ſervitio comparetur . . . . . Accedit, quod præfatus Canonicus Sforza pietate ductus, ac ut ſui etiam animi tranquillati, ac ſecuritati conſuleret, pium ducentorum nummorum legatum, liberali diſpoſitione, quæ dicitur inter vivos, cujus ſubſignatum Chirographum jam Capitulo exhibuit, ſuæ Eccleſiæ adſcripſerit. Quæ cum ita ſint, Canonicus Dorothæus Tommaſi, qui petitioni obſtiterat, re maturius perpenſa, ſuumque in Chriſto Fratrem Canonicum Sforſiam omni depoſita ſimultate in gratiam, amicitiamque ſuam ſuſcipiens, ſuum illi aſſenſum libentiſſimè præbet, ut exoptatæ Jubilationis Indultum conſequatur. Idque recenſitis ex cauſis, & ego cenſeo benignè concedi poſſe.

Ex alia relatione diei 13. Decembris anni mox elapſi, idem Epiſcopus confirmat Capituli conſenſum, & Canonicum Tommaſi a contradictione ceſſaſſe fatetur, ac propterea iterum Capitulum audire abſtinuit. Poſt hæc inquit = *Illud etiam advertatur non trium menſium quolibet anno juxta Concilij Tridentini indulgentiam, ſed quinquaginta dumtaxat dierum vacationem hujus Cathedralis Eccleſiæ Canonicis eſſe conceſſam. Accedunt habitualis mala Oratoris valetudo, læthalis præterito anno ab eo paſſa infirmitas, ſenectus, quæ, & ipſa eſt morbus* = Et votum aperiens concludit = *Quibus perpenſis rationum momentis, expetitum Indultum cenſeo benigne concedi poſſe a ſumma benignitate EE. VV.*

Ex aſſueta Sac. Congregationis benignitate Jubilationis indulto remunerari ſolent Beneficiati, qui Eccleſiis ſuis ſpatio quadraginta annorum continuo, & laudabiliter inſervierunt. Plurima de hujuſmodi Indultis proſtant exempla, & cæteris omiſſis, actum de hac re fuit in *Civitatis Plebis Jubilationis*, quæ cauſa deſcripta eſt in Folio Congregationis diei 23. elapſi Menſis Novembris, in quo nonnulla ad rem animadverſa ſunt. Mox vero addere præſtat, quæ Sac. Concilium *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.* diſponit. Hæc ſunt verba Concilij = *Obtinentibus in eiſdem Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones, non liceat vigore cujuslibet Statuti, aut conſuetudinis ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe, ſalvis*

nihilominus earum Ecclesiarum consuetudinibus, quæ longius servitij tempus requirunt.

Observat *Fagnanus in cap. Licet de Præbendis num.* 48. *ad* 51. quod secluſa Consuetudine, vel Statuto Canonici Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum non possunt Ecclesiam deserere, & trium mensium vacatione gaudere, cum Sacrum Concilium in dicto decreto processerit non concedendo, quemadmodum incaute nonnulli putarunt, sed prohibendo, ne Capitulares prætextu Statuti, vel Consuetudinis ultra tres Menses abessent a residentia; nam expresse præservavit Consuetudines, quæ longius servitij tempus requirerent. Ponderandum proinde in præsenti casu, quod in Cathedrali Ecclesia Ripana, viget Statutum indulgens Canonicis vacationem dierum dumtaxat quinquaginta, hinc videndum, an Canonicus Sforza continuo, & laudabiliter Ecclesiæ suæ servitium præstiterit, cum ultra dies quinquaginta abfuerit ab Ecclesia per tempus quod trium mensium spatium fere attingit. Notandum, quod Jubilationis Indultum ne dum denegatum, verum etiam si fuerit concessum, quandoque fuit revocatum, quoties quadragenarium Ecclesiæ servitium, vel discontinuum, vel parum laudabile fuisse, compertum extitit. Ita accidit in *Costantien. Jubilationis*, in qua Franciscus Leontius Cysar Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ S. Leodegarij Lucernæ Jubilationis Indultum reportaverat; Cum autem a Capitulo oppositus fuisset defectus servitij cum qualitate continui, & laudabilis, disputato dubio = *An sustineatur Indultum, de quo agitur* = Die 4. *Maij* 1737. Sac. Congregatio respondit = *Negative* =

Cæterum cum Orator ob adversam valetudinem, & ingravescentem ejus ætatem Choro interesse non possit, præstat idcirco animadvertere, quod Gregorius IX, in *Cap. Cum percussio, de Clerico Ægrotante* = hæc scripsit = *Fraternitatem tuam hortamur, quatenus latorem præsentium ad percipienda, quæ consueta sunt ab Ecclesia tua ægritudo sua non debeat impedire: Quia si alij ejus essent exemplo deterriti, fortè non posset, qui militaret Ecclesiæ, inveniri, sed secundum ejus ordinem, quæcumque ei, si sanus esset, poterant ministrari de ipsa exiguitate, quæ Ecclesiæ potest accedere, Fraternitas tua præbeat ægrotanti* = & notat Glossa ibidem = *Quod infirmus inservire inteili-*

telligitur, & omnia percipere debet, ac si sanus esset. Satis enim afflgitur ipse infirmitate = Contona est praxis Sac. Congregationis, quæ indulta abessendi ob infirmitatem denegare non consuevit, insuperque permisit, ut, durante absentiæ tempore, Canonicus infirmus distributiones quotidianas perciperet, ut, aliis prætermissis, resolutum fuit in = *Acernen. Distributionum quotidianarum die* 11. *Aprilis* 1739.

Verum Canonici ægrotantes tempore quoque infirmitatis rejecti fuerunt a perceptione distributionum quotidianarum, si, quando incolumes erant, a Choro abesse consueverint. In una *Mantuana* Sac. Congregatio die 6. *Februarij* 1627. respondit, *Distributiones quotidianas ita demum Oratori ægroto deberi, si alias Ecclesiæ solitus erat inservire, cujus verificatio remittitur conscientiæ Episcopi lib.* 13. *deret. pag.* 197. = Id ipsum confirmavit die 12. Septembris 1648. in *Ferrarien.* in qua definivit = *Canonicos infirmos non lucrari distributiones quotidianas pro duabus Horis primis, quibus ipsi interesse minime consueverunt lib.* 18. *decret. pag.* 522., & in *Reatina* die 5. *Martij* 1667. sic decrevit = *Sac. Congregatio censuit, Oratori dandam esse declarationem alias e titam sequentis tenoris videlicet* = *Canonico infirmo durante ejus infirmitate, quamvis Choro non interfit, deberi fructus omnes sui Canonicatus, necnon distributiones quotidianas, non secus ac si omnibus Horis Divinis personaliter interesset, dummodo ante infirmitatem fuerit solitus suæ Ecclesiæ inservire. Cæterum infirmitatem ipsam cor. Judice probandam: lib.* 25. *decret. pag.* 345.

In Hyeracen. Dispensationis Paulus Nanni Decanus Ecclesiæ Cathedralis ratione senectutis, & malæ valetudinis expostulavit dispensationem a servitio Chori, & ab onere residendi; cumque Episcopus testaretur, servitium ab Oratore præstitum nec quadragenarium, nec assiduum, & laudabile fuisse, die 29. *Augusti* 1761. Sac. Congregatio rescripsit = *Quoad Jubilationem lectum*; *Quo vero ad indultum abessendi ex causa infirmitatis*, *Pro gratia ad quatuor Menses hyemales tantum arbitrio Episcopi*, cui resolutioni non acquiescens dictus Nanni, postquam in actibus Capitularibus declaraverat = *Che in caso sarà dispensato*, *ne intende*, *ne pretende*, *ne vuole godere delle distribuzioni* = curavit, quod Causa in Folio describeretur; hinc disputato dubio = *An sit standum vel potius recedendum a decisis, ita ut sit annuendum absolutæ dispensationi*

De-

Decani Nanni a Residentia in casu &c. Die 27. *Martij* 1762. prodiit resolutio = *Quoad Jubilationem in decisis, & amplius; quo vero ad Indultum, prævio recessu a decisis pro dispensatione ad annum durante infirmitate, & onerata conscientia Oratoris.*

Hisce omnibus perpensis, definient EE. VV.

An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 16. *Junij* 1781. *in casu &c.*

In decisis, & amplius.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

FIRMANA REPORTATIONIS ONERIS MISSARUM. Indultum san. me. Clementis XIV. editum per organum Sac. hujus Congregationis die 4. Februarij anni 1771. cujus vigore translata sunt ad Ecclesiam Monialium S. Andreæ Oppidi Montis Georgei onera Missarum, quæ juxta dispositionem Marini Francisci Vanni celebrari debebant in Ecclesia rurali S. Mariæ Angelorum sita prope Mænia ejusdem Oppidi, impugnavit Aloysius Boncori ejusdem Ecclesiæ Patronus in Congregatione habita die 22. Decembris 1781.; verum attento obstaculo dicti Apostolici Indulti audiri non potuit. Cum autem adversus Indultum potestas reclamandi Boncorio facta fuerit, idcirco in Congregatione diei 14. elapsi Mensis Decembris disputato dubio = *An sustineatur translatio oneris Missarum ad Ecclesiam Monialium S. Andreæ Montis Georgei, seu potius sit locus illius reportationi ad Ecclesiam Patronalem S. Mariæ Angelorum in casu &c.* = prodiit responsum = *Negative ad primam partem, affirmativè ad secundam*. Edita est hujusmodi resolutio silentibus Monialibus, quæ beneficio novæ audientiæ instant, ut causa ad examen revocetur. De viribus hujus resolutionis disputandum modo occurrit.

Qui Monialium causam agit, tuetur Missarum translationem nullo obreptionis, & subreptionis vitio laborare, cum illa decreta fuerit postquam Pontifici omnia innotuerunt, quæ in Testamento Marini Francisci Vanni de hujusmodi Missarum onere mandata fuerant; nihilque reticitum, quod ejusdem Pontificis animum a gratiæ concessione retrahere potuisset. Id autem in controversiam minime revocari posse, cum ipsum met Testamentum

una

una cum sua relatione Firmanus Archiepiscopus transmiserit. Inquit praeterea veritati niti ea omnia, quae fuerunt exposita, quod scilicet in Monialium Ecclesia adesset unica Missa, cui Moniales omnes interesse non poterant, & accidisse quandoque, ut nonnullae ex Monialibus diebus Festis Missam non audierint. Idque ipsum depromi ex plurium Testium depositionibus, qui etiam affirmant, Sacerdotes in Oppido Montis Georgei totMissarum oneribus gravatos esse, ut impossibile foret alium Sacerdotem advocare, qui alterius Missae celebrationi adimpleret.

Addit insuper, ex hac translatione nihil detrimenti obvenire Boncorio *Ecclesiae* Patrono, cum is tum Ecclesiae S. Mariae Angelorum, tum etiam Capellaniae Patronatum retineat; Nec praejudicium redundare Villicis prope dictam Ecclesiam incolentibus, cum isti perpauci sint, & absque incommodo possint, vel ad Oppidum, vel ad alias circumvicinas Ecclesias accedere, ut Missam diebus Festis audiant. Immo advertit, quod celebratio alterius Missae in Ecclesia Monialium profutura erit, & maxime commoda, tum ipsis Monialibus, tum etiam caeteris, qui ad illam se conferunt.

Ex alia vero parte Aloysius Boncori de subreptione, & obretione redarguit Apostolicum Indultum ex iis, quae in praecedenti causae propositione deduxerat. Advertit insuper posthabendos omnino esse Testes a Monialibus inductos, cum ii vel sint expiscati pendente lite, vel ad testimonium ferendum inducantur Moniales. ipsae, quarum depositiones, utpote ad proprium commodum elicitae nullam probationem constituunt.

Non graventur EE. PP. resumere Folia Congregationis diei 24. *Novembris* anni 1781., 14. *Septembris*, & 14. *Decembris* anni elapsi, in quibus praesens causa descripta fuit, ac decernere.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita cum Sequenti.

COL-

Sess. 22. decret. de Observan., & evitan. in celebrat. Miss.

COLLEN. APPLICATIONIS MISSÆ CONVENTUALIS. E vivis decedens Vincentius Gagliani in Testamento condito anno 1672. mandavit, ut de bonis suis Collegiata erigeretur in Ecclesia S. Mariæ in Cœlum Assumptæ Oppidi Podybonitij. Secuta ejus morte, anno 1685. ad Collegiatæ erectionem auctoritate Ordinaria deventum est. Præter Præpositum cum cura animarum, quatuor pro Canonicis statutæ sunt Præbendæ, nempe S. Vincentij Martyris, S. Vincentij Ferrerij, S. Augustini, & Beati Lucesij, quatuor item Mansionariæ, additique sunt duo Clerici eidem Collegiatæ inservientes. Tenentur omnes Choro quotidie interesse, & die obitus Testatoris celebrare Missas novem lectas, & unam cum cantu. Item Canonicus Hebdomadarius onus habet applicandi in ejusdem Testatoris suffragium Missam Conventualem qualibet Feria secunda, ac tandem Canonici, qui possident Præbendas SS. Vincentij Ferrerij, & Vincentij Martyris gravantur in unaquaque hebdomada onere applicandi Missas quinque pro quolibet.

Quemadmodum æqualia non sunt Capitularium onera, ita nec pares sunt illorũ proventus. Reditus namque Præbendarum S. Vincentij Martyris, & S. Vincentij Ferrerij in actu erectionis erant scutorum quadraginta pro unaquaque Præbenda, & modo redacti sunt ad scuta triginta unum; Reliquæ duæ Præbendæ habent reditus scutorũ decem. Distributiones quotidianæ pro Canonicis æquant summam scutorum viginti, & licet Præpositus ex Distributionibus duplicem partem consequatur, habet tamen onus manutenendi Sacrarium, sacrasque Supellectiles, & onus præterea habet subministrandi Canonicis ceram pro Divinorum Officiorum celebratione. Mansionariis, & Clericis nulla Præbenda statuta est, & fruuntur tantum distributionibus, Mansionarij scilicet in scutis decem, Clerici autem in scutis sex.

In dicta Collegiata nunquam Sacrum Conventuale pro Benefactoribus in genere applicatum fuit, quia præter Vincentium Gagliani Fundatorem, nullum alium habet Benefactorem; Verum Canonici ad consulendum propriæ conscientiæ securitati postulant ab EE. VV. declarari, an onus prædictum ipsis incumbat.

Episcopus exposita confirmat, & existimat, Oratores non teneri ad onus applicandi Sacrum Conventuale pro Benefactoribus in genere, insuperque advertit = *Cum enim nimis exiguus sit numerus Præbendarum, admodum parvi existant reditus Capitularium Distributionum, nec non vix*

viciſſitudinibus, imminutionibus facile obnoxiis, cumque nullus appareat modus Canonicalium Præbendarum, & Diſtributionum inopiæ occurrendi, timendum videtur, ne ſervitio Eccleſiæ aliquod detrimentum immineret, ſi detrahi deberet eleemoſyna pro applicatione Miſſæ Conventualis, quæ jamdudum ab ipſo tempore erectionis Collegiatæ applicatur a Canonico Hebdomadario ſingulis ſecundis feriis cujuslibet Hebdomadæ.

Canonici Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum tenentur quotidie celebrare Sacrum Conventuale; Id expreſſe ſtatuitur in *Cap. Cum creatura de celeb. Miſſ.*, in quo hæc habentur = *Quidam in Cathedralibus, & Conventualibus Eccleſiis, prætextu Miſſæ ſemel in die pro Anniverſario celebrandæ, Sacra Miſſarum ſolemnia, quæ ratione diei, vel Feſtis ſolent ſolemnius celebrari, culpabili negligentia prætermittunt, quaſi non ſint obligati Domino, & quaſi Dominus forte pro tantis obſequiis non ſufficeret eis æqua viciſſitudine reſpondere . . . . . Mandamus quatenus nullum in vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quominus, & pro Anniverſariis Defunctorum, & pro temporum congruentia Miſſarum ſolemnia Conventualiter celebretis*: Juxta Sententiam Sac. Congregationis probatam a ſan. mem. Benedicto XIV. in Conſtitutione = *Cum ſemper oblatas* edita die 19. *Auguſti* 1744. §. 11. Miſſa Conventualis non ſolum celebrari, ſed applicari etiam debet pro Benefactoribus.

Advertit laudatus Pontifex *Inſtit.* 107. §. 2. *num.* 15. Quod Eccleſiæ, quæ Collegiatæ non ſunt, non tenentur ad onus applicandi Miſſam Conventualem, quamvis in illis Horæ Canonicæ, quotidie perſolvantur, & Miſſa cum cantu celebretur. Ad dignoſcendum vero, an Eccleſia ſit Collegiata, vel non plura ad rem proponit *Corrad. in prax. benef. lib.* 2. *cap.* 15. *a num.* 1. *ad* 8., & concludit Collegiatarum erectionem ſolius Apoſtolicæ Sedis auctoritate fieri debere. Sac. Congregatio in *Converſana* 27. *Junij anno* 1626. definivit *Epiſcopum non poſſe Eccleſiam Parochialem in Collegiatam erigere lib.* 13. *decret. pag.* 27. Rurſus in *Cathacen.* decrevit Collegiatæ erectionem non ſuſtineri, etiamſi Ordinarius in actu Viſitationis decretum erectionis ediderit; nam diſputato dubio = *An erectio Collegiatæ facta per Epiſcopum in actu Viſitationis ſuſtineatur* = Die 1. *Septembris* 1691. reſponſum fuit = *Negative* = *lib.* 41. *decret. pag.* 133.

Videndum an Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ in Cælum Assumptæ Terræ Podybonitij, cujus erectio auctoritate Ordinarij facta est, teneantur ad applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus. In *Nullius Trium Fontium Missæ Conventualis* = Agebatur de Collegiata erecta in Ecclesia S. Nicolai Terræ S. Ædisti, nec tamen Apostolicæ Sedis auctoritas intercessit, cum quæsitum fuisset = *An Presbyteri, seu Canonici Ecclesiæ S. Nicolai S. Ædisti teneantur applicare Missam Conventualem pro Benefactoribus in casu &c.* Sac. Congregatio die 4. *Aprilis* 1772. respondit = *Negativè* =. Hisce omnibus perpensis, decernent EE. VV.

An Canonici Ecclesiæ S. Mariæ in Cælum Assumptæ Oppidi Podybonitij teneantur applicare Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere in casu &c.

Die Sabbathi 15. Martij 1783. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

DUÆ, quæ primo ordine subjiciuntur Causæ in postrema Congregatione discuti non potuerunt; aliæ septem de novo adduntur, de quarum omnium decisione EE. VV. rogantur.

FIRMANA REPORTATIONIS ONERIS MISSARUM. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

Recedendum a Decisis.

COLLEN. APPLICATIONIS MISSÆ CONVENTUALIS. *Sess. 22. decret. de observan., & evitan. in celebrat. Miss.*

An Canonici Ecclesiæ S. Mariæ in Cælum Assumptæ Oppidi Podybonitij teneantur applicare Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere in casu &c.

Negativè.

FIRMANÆ ERECTIONIS PAROCHIÆ. Cum Oppidum Serviliani maxima ex parte collapsum esset, aliud a fundamentis alio in loco excitare jussit fan. mem. Clemens XIV. Novum autem Oppidum, quod a *Sess. 21. cap. 4. de Reform.*

conditoris nomine Clementinum nuncupatur, quatuor milliaribus a veteri Serviliano distat. Nonnulli habitatores antiquum domicilium deserere noluerunt; hinc commisit dictus Pontifex clar. mem. Card. Paracciano tunc Archiepiscopo Firmano, ut in antiquo Castro Ecclesiam designaret, ubi a Parocho Sacramenta administrarentur, & Parochialia exercerentur munera. In dicto autem novo Oppido aliam Parochiam erigi jussit, assignata congrua Rectoris ex suppressione Beneficiorum, cujus reditus, deductis expensis, summam scutorum sexaginta æquarent. Præterea utriusque Parochiæ limites designari voluit = *fintanto almeno, che terminata la fabrica, e riempita di Abbitazioni, e di Abbitanti la Pianta del nuovo Castello, e consolerato quel Popolo, che rimarà negli avanzi del Vecchio, si pigliaranno determinazioni più stabili anche rispetto alle cose spirituali*.

Patronatus Ecclesiæ Parochialis diruti Serviliani pertinebat ad Sodalitium SSmi Sacramenti in eadem Ecclesia erectum. Parochus erat ad nutum amovibilis, habebatque pro Congrua ad eodem Sodalitio annua scuta quadraginta, ultra reditus duorum Beneficiorum, quæ Parochiæ unita fuerant. Ut autem SSmus Dominus Noster novo consuleret Oppido, anno 1776. per Apostolicas Litteras in forma Brevis expeditas, suppressa fuerunt duo alia Sodalitia in eodem Oppido olim erecta, illorumque bona Confraternitati SSmi Sacramenti fuerunt unita. Beneficium Parochiale, quod erat amovibile, factum ex tunc fuit perpetuum, adaucta Parochi congrua usque ad scuta centum: Permissum præterea Cardinali Paracciano Archiepiscopo, ut Beneficia omnia in veteri Ecclesia Parochiali instituta, seù ad illam ab aliis dirutis Ecclesiis præcedenter translata, ad alteram Parochiam in novo Clementino Oppido constructam transferre posset.

Secuta hac Beneficiorum translatione, accidit, quod Populus, qui in antiquo Servliano morabatur, Parochi assistentia destitutus remanserit. Familiæ, quæ in eodem Castro adhuc degunt, plurimæ sunt, & pauperiores, nec ob distantiam, & viarum asperitatem ad Ecclesiam Parochialem, hyemali præsertim tempore, accedere possunt; hinc illarum nomine Sac. Congregationi preces oblatæ fuerunt pro alterius Parochiæ erectione: Modum autem perficiendi novam hanc erectionem hunc proponunt, ut scilicet in Parochiam erigatur Ecclesia B. Virginis nuncupat: *delle Piagge* = pro cujus ornatu, sa-

sacrisque Suppellectilibus Familiæ Oratrices rependere promittunt quid quid necessarium fuerit. Pro Parochi congrua assignari postulant Beneficium, quod modo vacat sub titulo S. Sebastiani annui reditus sc. 20. in veteri Serviliani Ecclesia erectum, & ad novam Clementini Oppidi Ecclesiam olim translatum, prævia tamen illius tituli extinctione. Postulant præterea, ut adigatur Sodalitium SSmi Sacramenti ad subministrandum Parocho annua sc. 20., ac demum eidem Parocho applicetur Capellania cum onere Missæ quotidianæ erecta a quondam Madricardo Mancini, ita tamen ut onus Missæ quotidianæ ad Missas tantum biscentum redigatur. Hanc tamen Sodalitij præstationem, & Capellaniæ applicationem temporaneam futuram, quousque nempe alia vacent Beneficia, quæ uniri possint, & annua congrua pro Parocho in scutis sexaginta constituatur.

Auditi fuerunt Ministri Datariæ, qui senserunt, uniendum tantummodo esse novæ Parochiæ Beneficium S. Sebastiani: In reliquis vero adigendum Sodalitium SSmi Sacramenti ad subministranda annua sc. 20., & ad applicandam Capellaniam Mancini. Post hæc interpellatum judicialiter fuit Sodalitium SSmi Sacramenti, cujus Sodales annuæ præstationi scutorum viginti libenter assentiuntur, donec novæ Parochiæ alia uniantur Beneficia. In hisce proinde circumstantiis quid expediens sit, EE. VV. dijudicabunt.

Archiepiscopus in litteris diei 25. Julij anni elapsi testatur, quod Familiæ novæ Parochiæ adscribendæ sunt centum, & quadraginta, & omnes una, vel altera excepta, adeo pauperes, ut, pro novi Parochi subsidio, nihil contribuere, solumque operam præstare possint restaurationi Ecclesiæ, & Ædium Parochialium, atque insuper aliquam pecuniæ summam unica vice pro Sacris Suppellectilibus subministrabunt; Addit, quod eædem Familiæ, & aliæ, quæ Castrum Clementinum incolunt, decimas persolvunt Sodalitio SSmi Sacramenti ad dictum Castrum translato; Animadvertit, quod emolumenta incerta novo Parocho obventura pertingere possunt ad scuta tria, vel quatuor; Cumque ex decimis nova Parochia erigi non posse cognoscat, idcirco subdit, quod = *alia media sunt quærenda, alia comparanda subsidia, & opportuniora mihi ea videntur, quæ in adnexis precibus proponuntur; Nimirum ut reditus cujusdam Beneficij sub titulo S. Sebastiani jamdiu vacantis in Castro, futuro Parocho perpetuo tribuantur, ut Societas Sacramenti, ex*

ejus

ejus reditibus, qui singulis annis supere xtant, nummos viginti contribuat, & demum, ut quantitas nummorum Mille, quæ dotem formet cujusdam Capellaniæ a Madrigardo Mancini cum onere quotidiano institutæ (prævia Sacrificiorum reductione usque ad numerum bis centum) applicetur. Tali namque ratione, & modo, futuro Parocho nummi sexaginta ab omni onere immunes obvenient, quos in Parochi ruralis sustentationem satis esse dijudico.

Deinde sic prosequitur = *Utrumque autem, hoc est tam nummos viginti, quam dictæ Capellaniæ Capitale præstare, & cedere intendit Societas per modum provisionis, & non perpetuo, nimirum donec alia vacent in loco Beneficia, quorum reditus summam scutorum sexaginta adæquent; Expostulatam hinc Missarum reductionem, cum sit ad tempus, & non perpetua, eo facilius hanc ob causam ab EE. VV. concedenda videtur. Sed quoad ipsam reductionem illud est accurate animadvertendum, quod Capellaniæ institutor cavit in fundatione, ne ullo unquam tempore a Societate, vel ejus Officialibus exquiratur reductio; alias voluit, ut a commodo caderet, & Capitale restituere ejus Heredibus teneretur. Equidem in casu, de quo agitur, hujusmodi Missarum imminutionem non petit Societas, quæ idcirco in consensu præstito nihil de ipsa reductione egit. Sed ne alicui dissentioni pateat via, opus est, ut suprema auctoritate pactum hoc in casu, de quo agitur abrogetur: quod facilius fieri posse dijudico, quia non agitur de perpetua, ad quam Testator respexisse videtur, sed de reductione duntaxat temporanea.*

In aliis litteris diei 6. nuper elapsi Mensis Februarij refert, quod Sodales SSmi Sacramenti ab omni prorsus judiciali contentione sunt alieni, nam ipsi non renuunt nummos viginti annuos per modum provisionis in novi Parochi commodum persolvere, & novum consensum nullo discrepante iterum præstiterunt. Demum his verbis concludit = *Nil igitur reliquum est, quam ut EE. VV. pro eo, quo pollent eximio pietatis zelo rem, de qua agitur, celeriter absolvere dignentur, prout ego humiliter oro obtestorque; Extrema namque est necessitas novæ erigendæ Parochiæ, ne illa pars Populi, quæ circa dictum Castrum moratur, diutius careat prompta Sacramentorum administratione, cui sane ob iter asperum, & longum occurrere non potest, præsertim hyemali tempore, Parochus, qui in novo Castro residere obstringitur. Mihi autem datum non est huic malo occurrere, nisi hæc Parochia erigatur; Nullus namque Sacer-*

cerdos in districtu diruti Castri morari, curamque animarum suscipere vult, nisi insimul aliquod stipendium tribuatur. Sed mihi ullus non est modus, nec habeo unde hujusmodi stipendium possim desumere.

Notandum, quod pro constituenda congrua novo Parocho, petunt Familiæ Oratrices, ut inter alia bona assignetur Capitale scutorum Mille relictum a quondam Madricando Mancini cum onere Missæ quotidianæ. Quare habenda præ oculis est illius dispositio, quæ ita se habet= *Pacto adjecto, & expresse convento, quod d. Officiales, nec eorum Successores possint, & valeant, sicut promiserunt, ullo unquam tempore, tam sub prætextu, quod d. pecuniæ aliquo tempore infructuosæ remanerent, quam sub quovis alio prætextu, & causa etiam inexcogitata celebrationem dictæ perpetuæ quotidianæ Missæ retardare, aut reductionem aliquam petere, & obtinere, aut petita, & obtenta uti. Et in casu, quo per Societatem, ejusque Officiales ullo modo procuretur reductio dictarum Missarum, aut illarum celebratio non adimpleatur, tunc, & eo casu cadat a dicto commodo, & teneatur restituere dicta scuta Mille eidem D. Madricardo, suisque &c., & tali casu, quod tam ipse D. Madricardus, quam ejus hæredes possint propria etiam auctoritate accipere possessionem dicti census per dictam Communitatem imponen., & census libere redire ad hæredes absque ullo onere* = Videndum num adsit sufficiens causa petendi Misarum reductionem, & an illa saltem ad tempus indulgeri possit, quando expresse obstat Fundatoris voluntas.

Advertendum insuper, quod pro erectione Parochiæ in novo Clementino Castro jussit san. mem. Clemens XIV., ut tot supprimerentur Beneficia, ex quorum reditibus constitueretur pro Parocho annua summa scutorum sexaginta; Cum autem translata fuerit ad dictum Castrum antiqua Serviliani Parochia, hinc videndum, an ad occurrendum necessitati Populi in antiquo Serviliani Oppido commorantis præscribi possit, quid quid pro Populo novi Castri Clementini fuit constitutum · Hisce omnibus maturè perpensis, dignabuntur EE. VV. definire.

An, & quomodo sit locus erectioni novæ Parochiæ in casu &c.

Affirmativè juxta votum Archiepiscopi, dempte tamen suspensione Missarum Legati Mancini; & ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo juxta mentem.

NE-

Sess. 21. cap. 5. de Reform.

NEPESINA UNIONIS. Duæ extant in Oppido Campaneani Parochiales Ecclesiæ ; Altera Collegiata sub invocatione S. Joa. Baptistæ, a cujus Archipresbytero cura animarum exercetur ; Altera divo Andreæ dicata, cujus Parochus Rectoris titulo decoratur . Per obitum Sacerdotis Januarij Nido secutum die 21. Junij anni 1781 vacavit Parochialis S. Andreæ. Paulus Trojani Archipresbyter Collegiatæ preces exhibuit Sac. Congregationi, quibus narravit, quod Parochialis S. Andreæ Populo erat fere destituta, & vix in illa sex Personæ morabantur ; Id autem evenisse, quia Parochia prædicta in humili, & viliori Oppidi parte sita reperiebatur, a qua Oppidani propter aeris insalubritatem discesserant, seseque ad superiorem Oppidi partem contulerant, ibique transtulerant domicilium. Hac proinde de causa adauctum fuisse numerum animarum Parochialis Collegiatæ S. Joa. Baptistæ, quæ quingentos supra mille habitatores enumerat . Ex hoc augmento plurimum laboris, absque ullo tamen emolumento Archipresbytero obvenisse . Hinc postulavit ; ut vacans Ecclesia S. Andreæ uniretur Archipresbyteratui S. Joa. Baptistæ .

Auditus de more fuit Vicarius Capitularis, qui exposita confirmavit, & petitam probavit unionem, sub obligatione tamen retinendi in posterum Œconomum, qui teneretur una cum Archipresbytero Parochi officium exercere, & cum onere construendi Cæmeterium pro tumulandis defunctis. Juxta hanc relationem die 15. Septembris 1781. sequens prodiit rescriptum = *Pro facultate uniendi Parochiam S. Andreæ alteri Ecclesiæ Collegiatæ arbitrio, & juxta votum Vicarij Capitularis, accedente tamen consensu Capituli Cathedralis ad formam Sac. Concilij Tridentini Cap. 5. sess. 21. de reformatione, & cum onere manutenendi Ecclesiam S. Andreæ, & dummodo Capitulo Collegiatæ nullum novum jus acquiratur ex præsenti unione .*

Verum de unione conquesta est Communitas ; cumque jam decesserit Vicarius Capitularis, qui relationem Sac Congregationi dederat, alter Vicarius Capitularis in mortui locum suffectus, unionem improbavit ; Hisce igitur in circumstantiis sapientissimum EE. VV. judicium exquiritur .

Sustinet Archipresbyter Trojani, quod duæ Parochiales Ecclesiæ invicem uniri possunt, quando de necessitate constiterit ; Utramque In præsenti casu concurrere existimat. Necessitatem ex eo desumit, quod in toto circui-

cuitu Parochialis S. Andreæ unica tantum superfuerit Familia, quæ tribus constat personis, nec ulla spes effulgeat, ut in posterum Populus augeatur, cum ob æris crassitudinem Incolæ discesserint, ædes fere omnes collapsæ sint, & pro derelictis habeantur. Addit habitatores omnes, qui in prædicta Parochiali S. Andreæ domicilium, retinebant, ad alteram S. Joa. Baptistæ commigrasse, qua de causa numerum animarum ad mille, & quingentas excrevisse, quibus omnibus unicus Sacerdos supplere non potest, præsertim quia fines Parochiæ *S.* Joa. Baptistæ extra mœnia Oppidi Campaneani longe protenduntur, & sub illa extat Hospitale pro recipiendis Infirmis.

Hæc de necessitate; quo vero ad utilitatem, advertit, quod reditus Archipresbyteratus non excedunt summam scutorum 74. = a quibus detracta pensione sc. 36. = superstant pro congrua sc. 38. = Hanc vero summam satis non esse pro adimplendis oneribus Missarum Præbendæ inhærentium, nec sufficere ad honestam Parochi sustentationem. Contra vero per unionem augeri reditus Præbendæ Archipresbyteratus, & posse Archiptesbyterum alium Sacerdotem auxiliarem advocare. Aliud præterea bonum ex unione procedere, quod in futuris vacationibus Sacerdotes magis idonei ad Concursum accedent, & inter dignores, qui dignissimus, & inter aptiores, qui aptissimus præeligi poterit.

Ad impediendam unionem frustra Communitatem proferre proprij juris læsionem. Respondet enim Parochiam S. Andreæ esse liberæ collationis, illamque ad præsentationem Communitatis nunquam fuisse provisam; Capellanos pro aliquibus anni Festivitatibus in Ecclesia S. Andreæ intervientes semper ab illius Parocho fuisse electos; Communitatis Deputatos curam habere tum Fabricæ Ecclesiæ S. Andreæ tum etiam Collegiatæ, nec ullam gerere administrationem de reditibus ad Beneficium parochiale S. Andreæ pertinentibus; Ac tandem nullimode per unionem abrogari jus distribuendi dotem, quod intactum Deputatis permanet: Neque attendendam esse relationem Archipresbyteri Mecarocci Vicarij Capitularis, unioni contrariam, cum ipse met Vicarius Capitularis, dum interfuit Comitiis habitis a Capitulo Cathedralis unionem tanquam utilem, & necessariam probaverit.

Pro parte Communitatis nihil deductum est. Ex Precibus tamen ejus nomine porrectis habetur expetitam ab Archipresbytero Trojani unionem lædere jura ejusdem Com-

munitatis, quæ Patronatum habet Ecclesiæ S. Andreæ, Eligit tum Capellanos, qui in illa inserviunt, tum Administros, qui curam habent redituum Fabricæ, ac nonnulla subsidia dotalia pauperibus Puellis confert.

Defunctus Vicarius Capitularis in litteris datis die 18. Septembris 1781. testatur reditus Archipresbyteratus S. Joa. Baptistæ vix attingere annua scuta 74; = non detractis oneribus Missarum, & aliis eidem Archipresbytero infixis. Reditus vero Ecclesiæ S. Andreæ æquare summam lc. 67. 80; Refert etiam Parochianos S. Andreæ, quinque tantum exceptis personis, domicilium transtulisse ad Parochiam S. Joa. Baptistæ, cujus Parochiani ad quingentos supra mille pertingunt. Post hæc inquit = *His vere, & realiter stantibus, Archipresbyter, & Parochus Orator æquum putavit EE. VV. supplicem libellum, offerre, humiliter postulando, quatenus dignarentur unire Parochiam S. Andreæ cum altera S. Jo. Baptistæ ab Oratore possessa, & sic de duabus Parochiis ad unam reduci, cum obligatione perpetua retinendi Oeconomum, qui teneatur supplere cum Parocho Archipresbytero pro tempore in officio Parochi; Et hoc est utile toti Populo Terræ præfatæ, qui habebit futuris temporibus duos Parochos, nempe Archipresbyterum, & Oeconomum, qui equidem in tam numerosa Parochia otiosi non remanerent.* Demum advertit, quod = *Per Capitulum, & Canonicos ejusdem Collegiatæ capitulariter congregatos hæc petita unio fuit æquo animo commendata, & adprobata.*

Vicarius Capitularis Mecarocci in relatione data super precibus a Communitate Campaneani, porrectis Parochiarum unionem improbat, & ait = *Si id forte contingeret, in grave illius Populi detrimentum eveniret; tunc enim vix unus adesset Parochus, qui eis in spiritualibus necessitatibus opitularetur, ex quo facto, quæ absurda, præjudicia, & dissentiones in Populo oriri possent difficile est explicare ex causa novitatis non necessaria, cujus spiritus, & natura, ut plurimum animi tranquillitatem solet perturbare; Cui damno ut obsistatur, non sat esse putarem substitutionem a dicto Archipresbytero unius Viceparochi nominatam ad unionem de qua, agitur facilitandam; ipsum enim semper retinuit propriis expensis Archipresbyter pro sui necessitate, & adhuc retinet, ex eo quia per seipsum solum magno Populi numero, quem ejus Parochia includit in longe majori quantitate constituto alterius Parochiæ S. Andreæ præsto esse non posset . . . . . Neque pariter sufficiens causa videtur pro tali petita unione major numerus*

rus animarum auctus Parochiæ S. Jo. Baptistæ, attentis alterius excidiis; etenim [majori semper Populi utilitate spectata] sat est ut Parocho S. Andreæ aliquis animarum numerus augeretur, ejus Parochiæ fines protendendo ex ea parte Parochiæ S. Jo. Baptistæ, quæ est illi S. Andreæ proximior.

Ex Concilio Tridentino *sess. 21. cap. 5. de reform.*: hæc habentur = *Ut etiam Ecclesiarum status, ubi sacra Deo Officia ministrantur ex dignitate conserventur, possint Episcopi, etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegati, juxta formam juris, sine tamen præjudicio obtinentium, facere uniones perpetuas, quarumcumque Ecclesiarum Parochialium, & Baptismalium, & aliorum Beneficiorum Curatorum, vel non Curatorum cum Curatis propter earum paupertatem, & in cæteris casibus a jure permissis, etiam si dictæ Ecclesiæ, vel Beneficia essent generaliter, vel specialiter reservata, aut qualitercumque affecta* =. Ex quo Concilij decreto deprehenditur, quod non solum ex causa paupertatis, sed aliis etiam de causis ad unionem Parochialium deveniri potest.

Justa autem unionis causa est Ecclesiæ necessitas, vel utilitas = *Cap. Exposuisti 33. de Præbendis, & Dignitatibus.* Necessitas autem intercedit, quando Ecclesia est destructa = *Cap. quia Monasterium 2. de Religiosis Domibus*: Item quando Ecclesiæ sunt ita propinquæ ut pauci in una, paucique de Populo in altera commorentur. Sane in *Cap. Et temporis 18. caus. 16. quæst. 1.* ita disponitur = *Et temporis qualitas, & vicinitas locorum nos invitat, ut Cumanam, atque Misenatem unire debeamus Ecclesias: quoniam nec longo itineris spatio a se sejunctæ sunt, nec (peccatis facientibus) tanta Populi multitudo est, ut singuli sicut olim fuit habere debeant Sacerdotem. Quia igitur Cumani Castri Sacerdos cursum vitæ hujus explevit, utrasque nos Ecclesias præsentis auctoritatis pagina uniisse, tibique commendasse cognosce: propriumque utrarumque Ecclesiarum scito te esse Pontificem.*

Verum ad decernendam duarum Parochialium unionem ex deficientia Populi unius Parochiæ, præstat præ oculis habere, quæ constituta sunt in *Cap. Unio 3. caus. 10. qu. est. 3.*, in quo sic legitur = *Sed ad hoc necessario instituendum deligimus, ut plures Ecclesiæ uni nequaquam committantur Presbytero, quia solus per totas Ecclesias, nec officium valet persolvere, nec Populis Sacerdotali jure occurrere, sed nec rebus earum necessariam curam impendere, ea scilicet ratione, ut Ecclesia, quæ usque ad decem*

habuerit mancipia super se habeat Sacerdotem; quæ vero minus decem Mancipia habuerit aliis conjugatur Ecclesiæ. Hisce omnibus perpensis dijudicabunt EE. VV.

An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 15. Septembris anni 1781. in casu &c.

Non proposita cum reliquis.

Sess. 24 cap. 18. de Reform.

LUNEN.; SEU SARZANEN. PAROCHIALIS. Cum de Mense Majo præteriti anni vacasset Parochialis Ecclesia S. Michaelis Oppidi Trebiani, Episcopus Concursum de more indixit pro die 28. ejusdem mensis. Plures comparuerunt Sacerdotes, quos inter Sacerdos Bartholomæus Ratto quinquaginta sex annos natus, Præpositus Ecclesiæ Parochialis Montis Marcelli, ad Sacramentales Confessiones usque ab anno 1751. approbatus, quique anno 1761. fuerat vacantis Ecclesiæ S. Michaelis Œconomus. Adstitit etiam alter Sacerdos Daniel Fratescbi, qui, & ipse ab anno 1778. fuerat Œconomus ejusdem vacantis Ecclesiæ, necnon approbatus in Concursu ad Ecclesiam Parochialem Vallerani, præterea approbatus etiam in aliis Concursibus pro Ecclesiis Parochialibus Triveniæ, & S. Stephani, ac a pluribus annis Concionator pro Missionibus - Peracto examine coram tribus Examinatoribus, octo favorabilia vota habuit Sacerdos Fratescbi, quinque vero Sacerdos Ratto. Hunc Episcopus præelegit, & Emo Pro-Datario commendavit. De Episcopi judicio conquestus est apud Sac. Congregationem Sacerdos Fratescbi, eoque instante dubium inferius transcriptum EE. VV. definiendum proponitur.

Contendit enim, Episcopos in Parochialium collationibus ex Sac. Concilij Tridentini dispositione judices esse constitutos, ut dignorem eligant. Ab hac autem Tridentini lege recessisse Episcopum dum præelegit Sacerdotem Ratto, se ipso posthabito, qui doctrina, & experientia magis probatus fuerat, Atque hinc Episcopi judicium irrationabile censendum esse.

Despiciendam vero præsumptionem militantem pro recto judicio Episcopi, cum præsumptio cedat, quando ex conjecturis constet Episcopum humana quadam affectione fuisse

fuisse allectum. Hanc affectionem erga Sacerdotem Ratto desumit ex illius relatione ad Sac. Congregationem transmissa utpote, quæ multa contineat a veritate aliena. Alienum quippe a veritate esse dicit, quod Populus Trebiani ad Episcopum tumultuarie accesserit, & ab eo petierit eligi in Parochum ipsum Sacerdotem Fratescbi. Alienum pariter, quod Parochianorum subscriptiones appositæ in precibus ipsius favore Episcopo porrectis fuerint expiscatæ. Alienum quoque, quod sanior Populi pars pro Sacerdote Ratto supplicaverit. Sustinet enim postulationem Sacerdotis Fratescbi factam fuisse a Deputatis in publicis Comitiis ad id electis; Parochianos autem coram Prætore locali preces obsignasse. Ac præterea pluribus attestationibus probare nititur Sacerdotem Ratto esse Populo invisum.

Addit injuriam sibi illatam ex actis ejusdem Concursus patere; Cum Examinatores in illorum relatione, nedùm Concurrentium doctrinam, verum etiam illorum mores, aptitudinem, atque dexteritatem in munere Parochi sedulo perpenderint; Hinc concludit, quod sicuti ipse Fratescbi majora favorabilia suffragia habuit, ita doctior, & aptior ad regimen Parochialis dijudicatus fuerit; cum præsertim in aliis concursibus fuerit adprobatus, & pluribus aliis requisitis polleat, quæ in Sacerdote Ratto desiderantur.

Pluries monitus fuit dictus Sacerdos Ratto, nec tamen jura sua deducere curavit.

Episcopus in sua relatione, quæ dabitur inter monumenta causæ pluribus adductis rationibus tuetur, quod ideo Sacerdotem Bartholomæum Ratto altero Sacerdoti Fratescbi præposuerit, quia omnibus mature perpensis, illum magis dignum, magisque idoneum ad regendam Parochialem Ecclesiam Trebiani deprehenderit.

Recens est causa *Feretrana Parochialis* descripta in Folio postremæ Congregationis, ubi adnotata fuerunt ea omnia, quæ ad hujus quæstionis decisionem conferre possunt; hinc ne supervacanea repetitione tædio afficiantur Emi Patres, rogantur illud resumere, & assuet a maturitate definire.

An constet de irrationabili judicio Episcopi in casu &c.

SPO-

Sess. 24. Cap. 13. de Reform.

SPOLETANA. Parochiale Beneficium Oppidi Meggiani Spoletanæ Diœcesis reditus habet annuos sc. 25. 33. com. præhensis Funerum incertis. Parochus præter applicationem Missæ pro Populo, gravatur quolibet anno onere celebrandi in satisfactionem plurium legatorum Missas octuaginta sex. Tenetur etiam erogare sc. 2. 25. in adimplementum aliorum onerum Parochiæ inhærentium; Hinc ducto calculo omnium expensarum, & onerum, vix Parocho supersunt sc. 6. 28. Ignorantur peculiares fundi unius cujusque legati, uno excepto prædiolo relicto a Maria Magdalena Statera cum annuo onere Missarum sex. Die 21. Novembris 1767. ex decreto Sac. Congregationis unitum fuit dictæ Parochiæ alterum legatum Missarum eiusdem Mariæ Magdalenæ Statera, ea conditione, ut Parochus celebrare teneretur tot Missas lectas cum eleemosyna manuali juxta redituum quantitatem deductis expensis pro Sacris Uiensilibus. Ducto calculo per decennium, compertum est, annuas Missas triginta, & unam quolibet anno fuisse celebratas.

A multo jam tempore vacat prædicta Parochialis Ecclesia, & ob illius redituum tenuitatem inveniri non potuit, qui illam assequi curet; Ne igitur diutius proprio careat Pastore, Populus ejusdem Castri exposuit EE. VV., quod Bernardinus Antonini testamento mandavit, ut defuncta ejus Uxore universa sua hæreditas erogaretur in erectionem Capellaniæ ad Altare Sanctissimi Crucifixi situm in Ecclesia Parochiali Oppidi Meggiani, cujus patronatum quibusdam Familiis reliquit, & Capellanum amovibilem ad nutum Patronorum esse voluit. Addidit Capellanum gravatum fuisse onere subministrandi ceram pro expositione Sanctissimi Sacramenti explenda qualibet Feria sexta mensis Martij; insuperque celebrandi Sacrum iisdem diebus, ac in aliis designatis viginti tribus Festivitatibus post Missam Parochialem; Hanc vero Capellaniam nunquam erectam fuisse, cum bonorum reditus onerum adimplemento non sufficiant, & propterea supplicavit, ut hæreditas hujusmodi Parochiali Beneficio uniretur, ac insuper indulgeretur reductio tam Missarum 86., quas Parochus pro legatis Parochiæ adimplere debet, quam alterius legati Mariæ Magdalenæ Statera, quod jam Parochiæ unitum est,

Episcopus exposita confirmat; refert etiam imminutionem redituum Parochiæ evenisse propter decrementum usurarum Censuum, quæ ab octo pro quolibet centenario, & anno ad quatuor, vel quinque reductæ sunt; testa-

tur

tur nullam ſpem adeſſe augendi Parochiæ reditus mediis a jure præſcriptis, cum deſint Beneficia ſimplicia, aut Capellaniæ, nec ſtatui poſſit collecta a Populo ſolvenda, cum ſumma prematur egeſtate. Poſt hæc inquit = *Ex aliis introitus, & exitus, hic reverenter adnexis, compertum fuit reditus vix attingere ſummam annuatim ſc. 25. 33., ex quibus, deductis Miſſarum oneribus tam pro Populo, quam pro legatis a Parocho quolibet anno ſatisfaciendis, aliiſque expenſis in quantitate ſc. 19, 05., calculatur fructus Eccleſiæ Meggiani in ſumma ſc. 6. 27.; Miſſæ ſingulis diebus Feſtis celebrandæ pro Populo numerantur circiter octuaginta duo; Aliæ Miſſæ pro undecim legatis celebrandæ diebus aſſignatis ad Altare a Teſtatoribus præfixum, & ſatisfaciendæ cum reditibus dictæ Eccleſiæ computantur octuaginta ſex, quorum legatorum, nec ex Tabella, nec ex libris celebrationis Miſſarum, nec alibi apparent fundi, ſive dotes, uno excepto recenter inſtituto a quondam Magdalena Statera, quæ reliquit prædiolum terræ cum onere Miſſarum ſex quolibet anno in perpetuum, quod pariter adimpletur a Parocho ex reditibus jam adſignatis, & ita omnia, & ſingula prædicta legata cenſentur impoſita ſuper bonis, & cenſibus in folio introitus deſcriptis; Adjungitur aliud legatum, ſive hæreditas quondam Mariæ Magdalenæ Statera in variis ſtabilibus conſtituta, & cum debitis facultatibus eidem Parochiali Eccleſiæ unita cum onere celebrandi tot Miſſas, quot fructus ad rationem manualis eleemoſynæ, ad quem effectum bona illius hæreditatis diviſim adminiſtrantur, & habito decennij computo, conſtat celebratas fuiſſe Miſſas triginta, & unam quolibet anno; conſequenter fructus dicti legati annuatim recenſentur in ſc. 3. 10.*

Loquitur deinde Epiſcopus de hæreditate Bernardini Antonini, & ait = *Tandem remanet expendenda hæreditas quondam Bernardini Antonini, cujus reditus perveniunt ad ſummam ſcut. 7. 11., & deductis ſcut. 2. 80. pro Miſſis celebrandis quotannis numero viginti octo, nec non oneribus Cameralibus obul. 35. ſuperſunt fructus in quantitate ſcut. 3. 96.. Ultima voluntas Ipſius Antonini multa continebat, videlicet onus erigendi Capellam, Capellanum nominandi amovibilem, celebrandi diebus deſignatis, nimirum qualibet die Veneris Martij, prima Dominica cujuslibet Menſis, & aliis Feſtivitatibus Miſſas, quæ in totum conſtituunt numerum ſuperius indicatum viginti octo.*

Omnia

Omnia neglecta fuere, quia ultra vires hæreditatis, ideoque obsecratur Populus Orator, hanc quoque hæreditatem uniri, & incorporari bonis dictæ Curatæ Ecclesiæ, ut aliqua congrua sustentatio cumulari valeat ad Parochum inveniendum, & retinendum, dictæque unioni consentiunt Capellæ Patroni.

Demum sententiam proponens suam, concludit = *Igitur fructus omnes tam Curæ, quam Legatorum, sive quæ sunt unita, sive quæ possunt uniri, efformant summam scut. 32. 94., super quibus insunt onera Missarum pro Populo octuaginta duarum; Pro legatis centum quadraginta quinque: supersunt fructus in scutis 10. 24. Quare in hoc rerum statu, peracta quoque unione omnium, & singulorum legatorum, prædictæ Curæ fructus in quantitate scut. 10. 24. non sufficiunt pro congrua Parochi sustentatione, nec suppetit aliud medium, nisi imminuere numerum Missarum ab ipso Parocho celebrandarum, honestamque reductionem statuere, adeout Curatus pro adimplemento omnium, & singulorum legatorum teneatur celebrare Missas dumtaxat sexaginta, causa exempli, ad libitum infra annum, præter Missas applicandas pro Populo: tunc adest augmentum sc. 8. 50., & ita in totum scut. 18. 74., hoc pacto censeretur satis provisus.*

Plura a Sacro Concilio pro Ecclesiarum Parochialium administratione statuta sunt. In casu, de quo agitur, præstat ad opportunitatem animadvertere, quid ad occurrendum illarum indigentiis definierit *Sess. 24. cap. 13. de Reform. In Parochialibus etiam Ecclesiis, quarum fructus æque adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit Episcopus, si per Beneficiorum unionem, non tamen Regularium, id fieri non possit, ut primitiarum, vel decimarum assignatione, aut per Parochianorum Symbola, aut Collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione tantum redigatur, quod pro Rectoris, & Parochiæ necessitate decenter sufficiat.* Cum tamen Episcopus affirmet, exequi non posse, quæ in eodem Concilij decreto præfinita sunt, hinc ponderandum, an ope petitæ legatorum applicationis, & unionis, onerumque Missarum iisdem legatis inhærentium reductionis, occurri possit. Sac. Congregatio in *Syracusana Missarum* die 10. *Martij* 1759. nonnulla Missarum onera reduxit, ut in Ecclesia Collegiata S. Bartholomæi Civitatis Siclis augerentur distributiones quotidianæ.

Verum instat Populus pro unione legati Bernardini Antoni-

ni,

ni; quare non abs re erit diligenter expendere illius dispositionem. In ejus Testamento usumfructum hæreditatis propriæ Uxori reliquit, eique etiam facultatem indulsit hæreditaria bona alienandi in casu indigentiæ; Post Uxoris obitum mandavit, ut Capellania erigeretur ad Altare SSmi Crucifixi Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli Castri Meggiani; Capellanum ad nutum amovibilem esse voluit, eique injunxit onus submministrandi ceram pro Expositione SSmi Sacramenti peragenda qualibet Feria sexta Mensis Martij; Adegit præterea dictum Capellanum ad celebrationem Missæ supradictis diebus, ac etiam in unaquaque prima Dominica cujuslibet Mensis, & in quibusdam aliis Festivitatibus, quæ in unum constituunt numerum viginti octo Missarum; Has vero Missas celebrari præcepit = *sempre dopo finita la Messa Parochiale, acciò quelli stati alla Messa Parochiale possano sempre sentire anche quella di detto Capellano, e che quelli non potuti intervenire alla predetta Messa Parochiale abbiano il commodo di poter ascoltare quella da celebrarsi successivamente*.

Addidit præterea = *E perche la mia volontà è, che il Popolo del Castello di Meggiano mia Patria abbia il commodo di poter maggiormente attendere alla divozione, e orazione, e principalmente, che in detto luogo vi siano due Messe nelle di sopra espresse Feste, cioè quella del Paroco, e l'altra di detto Capellano, perciò proibisco, che quelli, a quali do il jus di elegere il Capellano, non possano elegere per Capellano il Paroco di detto Castello, ed ad esso Capellano, e Padroni di detta Capella proibisco di poter far sodisfare gl' Oblighi sudetti in dette Domeniche, e Feste al predetto Paroco, e ciò facendo, voglio s'intenda di non essere stato in conto alcuno adempito alla mia volontà* = In eventu autem, quod bona relicta onerum adimplemento non sufficerent, facultatem tribuit Episcopo Spoletano illa reducendi. Demum Capellaniæ patronatum addixit Deodato Guerrieri, ejusque descendentibus, quorum in defectu substituit descendentes a Philippo Bonanni.

Hac igitur posita Bernardini Antonini dispositione, inquirendum modo est, an bona ab eo pro Capellaniæ erectione relicta assignari possint Parocho pro Congruæ augmento; Ponderandum, an exigui Parochiæ proventus justam præbeant causam commutandi illius voluntatem. Cumque dictorum bonorum reditus onerum satisfactioni pares non sint, hinc videndum, an, & quæ ex dictis

-oneribus reduci queant. Omnibus mature perpensis de-
-cernent EE.VV.

An, & quomodo sit providendum in casu &c.

Sess. 24. cap. 4. de Reform.

ANCONITANA. Comes de Tauroleonibus hæres Familiæ de Armenticiis nonnulla Missarum onera satisfacere tenetur in rurali Ecclesia a Jacobo Armentici extructa intra fines alterius Ecclesiæ Plebaniæ nuncupatæ *del Poggio* Diœcesis Anconitanæ. Cum autem de præciso Missarum numero dubium oriretur, rem omnem clar. mem. Cardinalis Bufalinus olim Episcopus Anconitanus Sacræ Congregationis judicio submisit. Hinc binis propositis dubiis *I. An, & in quo numero consistet de onere celebrationis Missarum in Oratorio, seu Ecclesia, de qua agitur, in casu &c. II. An sit locus reductioni earumdem Missarum in casu &c.* Die 13. Julij anni elapsi prodiit responsum *Ad I. Affirmativè in omnibus juxta votum Emi Episcopi. Ad II. Negativè, & amplius.*

Resolutioni primi dubij non acquievit dictus Comes de Tauroleonibus, quia nempe ex Episcopi Voto non satis constat de præcisa Missarum quantitate; qua de re, illo instante, causa ad examen revocatur. Dignabuntur EE.VV. resumere Folium Congregationis diei 8. Junij 1782., in quo prædicta causa relata fuit, ac decernere.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum dubium in casu &c.

Sess. 5. cap. 1. de Reform.

EUGUBINA PUNCTATURARUM. Anno 1744. auctoritate san. mem. Benedicti XIV. erecta fuit in Collegiatam Ecclesia S. Andreæ Civitatis Pergulæ. Injunctum fuit Canonicis, ut alternis hebdomadibus inservirent, excepto tamen tempore Adventus, Quadra-

dragesimæ, cæterisque Festivis diebus, in quibus omnes Choro interesse tenerentur. In erectionis Bulla cautum fuit de constituenda Massa Distributionum quotidianarum ex reditibus bonorum quondam Anselmi Bruni, qui superessent, detracta dote pro Canonicatu, & Mansionariis ex ejus dispositione instituendis.

Successivè Canonici pro Ecclesiæ Collegiatæ regimine, Capitulares ediderunt Constitutiones, in quibus *Capite* 8. de Distributionibus sic statutum legitur = *Cum vero ex bonis Anselmi Bruni relictis ex Testamento Societati S. Anselmi, detracta prius dote, & portione Canonicatus, & Beneficiatorum ab eadem Societate nominandorum, residuum eorumdem bonorum, & redituum ex Bulla erectionis arbitrio Episcopi partiri debeat in distributiones quotidianas lucrandas per futuros, & pro tempore existentes Dignitates, Canonicos, & Beneficiatos interessentes Divinis Officiis: Cumque in actu erectionis ab, iisdem Dignitatibus, Canonicis, & Beneficiatis supplicatum fuerit, quod præfatum residuum converteretur, & applicaretur in utilitatem Ecclesiæ, & loco Distributionum iidem met se se obstrinxerunt solvere de proprio pœnas, seu Punctaturas, ad ratam non interessentiæ, quæ pœnæ in unum collectæ accrescerentur, & distribuerentur interessentibus. Dominatio Sua Illustrissima petitioni benignè annuens, residui applicationem pro utilitate Ecclesiæ, & Sacristiæ, nec non præfatam subrogationem faciendam de proprio ab omnibus etiam successoribus nomine expressam approbatam, & juramento subscriptam approbavit, & confirmavit, & ita observari mandavit.*

Inter Canonicos hujus Collegiatæ cooptatus fuit Clericus Paulus Gineuri, qui ut Studiis incumberet, anno 1778. Indultum abessendi a residentia ad biennium a Sac. Congregatione obtinuit sub expressa tamen conditione, ut quotidianas Distributiones amitteret, vel tertiam partem fructuum sui Canonicatus non lucraretur, si omnes Canonicatus fructus in Distributionibus quotidianis consisterent. Hoc Indultum anno 1780. ad aliud biennium prorogatum fuit. Præsidio hujus gratiæ, immunem se esse censuit Canonicus Gineuri a Punctaturarum præstatione per id tempus, quo absuit a residentia. Capitulares vero contrarium sentientes, recursum habuerunt ad Sac. Congregationem, cujus judicium hac de re modo exquiritur, propositis dubiis in calce transcriptis.

Ad I. Advertunt Capitulares, Punctaturas, quas Canonici divinis Officiis non interessentes persolvunt ex Statuto

Ecclesiæ subrogatas esse loco Distributionum quotidianarum, cum bona pro Distributionibus relicta in favorem, & utilitatem Ecclesiæ fuerint assignata; Statuti observantiam juris jurandi religione a quolibet Canonico in actu possessionis fuisse promissam, nec proinde posse Canonicum Gineuri illius executionem impugnare, se seque eximere a solutione Punctaturarum per id tempus, quo Choro non interfuit.

Nec obesse Indultum a Sac. Congregatione obtentum; quia si in suis precibus Clericus Gineuri naturam, & qualitatem hujusmodi Punctaturarum narrasset, utique ad illarum præstationem adactus fuisset. Cæterum contendunt nullum ex eodem Indulto sibi præsidium capere posse, cum Concilium Tridentinum duo onera Canonicis indixerit, scilicet residentiam in loco Beneficij, per quam Præbendæ redditus percipiunt, & divinis Officiis personalem interessentiam, ob quam Distributiones lucrantur; Hoc posito, Indulti tenorem expendunt, & sustinent veniam eidem factam fuisse percipiendi fructus Præbendæ, atque idcirco dispensatum dumtaxat a residentia, non autem ab interessentia propter adiectam in Indulto conditionem amissionis Distributionum quotidianarum.

Despiciendum pariter esse diffugium mutuatum, vel a contraria observantia, vel ex facto Capituli quod Indultum admisit absque ulla Punctaturarum præservatione; Ad primum enim respondent invectam in eorum Ecclesia esse consuetudinem juri conformem, ut tantum infirmi, & absentes pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ Punctaturas non persolvant, neque hanc consuetudinem trahi posse ad casum absentiæ causa studiorum. Ad secundum autem inquiunt nulla opus fuisse præservatione, quatenus ex lege Indulti factus fuerat locus amissioni Distributionum quotidianarum.

Ad II. contendunt, Punctaturas persolvendas esse pro rata temporis, quo Canonicus Gineuri Choro non interfuit. Nec prodesse eidem posse præsumptionem bonæ fidei, cum sæpius fuerit extrajudicialiter pro solutione requisitus. Ac præterea advertunt, bonam fidem neminem excusare a solutione proprij debiti, & unumquemque teneri ad solutionem Punctaturarum, etiam si fuissent a Capitulo remissæ.

Contra vero Canonicus Gineuri ad I. inquit a Choro abfuisse cum Indulto Sac. Congregationis, ut Theologiæ stu-

ſtudio iucumberet; Juſtam propterea fuiſſe abſentiæ cauſam, ut etiam abſens fructus Præbendæ perciperet; Hinc infert ad Punctaturarum ſolutionem non teneri, ſolumque rejici a comparticipatione illarum, quæ a Canonicis abſque legitima cauſa abſentibus fuerint perſolutæ, cum iſtæ intereſſentibus accreſcant. Fortius quia hujuſmodi Punctaturæ per modum pœnæ ſtatutæ fuerunt, nec ſubjici poſſe alicui pœnæ, qui Indulto munitus a reſidentia diſceſſit.

Advertit præſervatos ab Indulto eidem fuiſſe fructus Præbendæ, quod quidem inutile foret, ſi ad Punctaturas adigeretur, cum Punctaturæ fructus Præbendæ non ſolum abſorbeant, ſed immo excedant. Addit Capitulum, dum conſenſum præſtitit, ut abeſſet, deſignaſſe aliqua onera ab eo impleuda, nec verbum quidem feciſſe de Punctaturis; Suſtinet præterea, Canonicos eamdem ob cauſam a Choro abſentes nunquam Punctaturas perſolviſſe, quare favere ſibi dicit tum Capituli conſenſum, tum etiam obſervantiam, quæ ab ipſa Collegiatæ erectione trahit originem.

Perperamque opponi, tum decreta Sac. Congregationis præcipientia, ut abſentes cauſa ſtudiorum amittant Diſtributiones quotidianas, tum etiam Conſtitutiones Capitulares, ubi Punctaturæ in locum Diſtributionum quotidianarum ſubrogatæ fuerunt. Notat enim vetitum a Sac. Congregatione fuiſſe, ne abſentes de quotidianis Diſtributionibus participent, nunquam vero ad ſolvendas Punctaturas adactos fuiſſe; Conſtitutiones autem Capitulares, & ſi ab abſentibus Punctaturas ſolvi præcipiant, expreſſe tamen non ſtatuunt, ut hujuſmodi pœna coerceantur etiam ii, qui cauſa ſtudiorum, & prævio Indulto abeſſent.

Contendit ad II., quod quatenus Punctaturas ſolvere deberet, non prius illarum ſolutioni locus eſſe poterit, quam ab anno 1781., quo tempore Capitulares conqueri cœperunt, nam antea ipſe Orator pacificè, & ſumma cum bona fide fructus omnes ſuæ Præbendæ perceperat.

Epiſcopus relata facti ſerie ſic concludit = *Tandem de mea ſententia requiſitus, reverenter dicam inſtantiam Canonicorum, & juri communi, & legi in Indultis expreſſæ initi, ac propterea mereri, ut eam exaudiant, & favore benigno proſequantur EE. VV.*

Honorius III. *in Cap. Super Specula de Magiſtris* ſtatuit = *Doctores in Theologica facultate, dum in Scholis docuerint, & ſtudentes in ipſa, integrè per annos quinque per-*

ci-

cipiant de licentia Sedis Apostolicæ proventus Præbendarum, & Beneficiorum suorum, non obstante aliqua alia consuetudine, vel statuto; cum denario fraudari non debeant in Vinea Domini operantes. Id ipsum confirmavit Innocentius IV. *in cap. Cum de diversis de Privilegiis in 6.*, ubi hæc habentur: *Volumus, & statuimus, ut Studentes in Scholis ipsis penes Sedem eamdem, talibus privilegiis omnino, libertatibus, & immunitatibus gaudeant, quibus gaudent Studentes in Scholis, ubi generale viget studium, ac recipiant integrè proventus suos Ecclesiasticos sicut illi* = Concilium Tridentinum *sess. 5. cap. 1. de reform.*, hujusmodi privilegia præservavit, voluitque, quod = *Docentes ipsam Sacram Scripturam, dum publicè in Scholis docuerint, & Scholares, qui in ipsis Scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum Præbendarum, & Beneficiorum suorum in absentia a jure communi concessis plene gaudeant, & fruantur.*

Quamvis autem absentes causa studiorum, sive studuerint, sive docuerint pro præsentibus habeantur, & integros fructus suæ Præbendæ lucrentur, Distributiones tamen quotidianas amittunt. Idem Honorius III. *in cap. Licet de Præbendis* scribens Abbati, & Priori S. Genovefæ ita loqultur = *Licet vobis dixerimus scripta nostra, ut Magistro N. Eboracen. Archidiacono in Sacra pagina cupienti studere proventus suos Ecclesiasticos faciatis integrè ministrari, nolumus tamen, ut quotidianas Distributiones, quæ tantum residentibus in Ecclesiis, & iis, qui intersunt horis Canonicis exhibentur, ei tribui faciatis* = Sac. Congregatio in *Maceraten.* 10. *Decembris* 1616. censuit = *Canonicos studiorum causa absentes eam tantum portionem amittere, quam residentes non percipiunt, nisi divinis interfuerint; aliam vero partem, quam residentes lucrantur, & si Ecclesiæ non inserviant, deberi absentibus studiorum causa, quia Sacris Canonibus pro residentibus habentur: lib. 11. Decret. pag.* 186. Sustinet *Card. Petra in Commentar. ad Constit. IX. Bonifacii VIII. num.* 18., & 19., quod privilegiati causa Studiorum, cum tantum ficte dicantur præsentes, non participant de quotidianis Distributionibus, pro quibus percipiendis non ficta, sed vera præsentia requiritur.

Cum tamen in Ecclesia Collegiata S. Andreæ Civitatis Pergulæ, loco Distributionum quotidianarum ex Capitulari Statuto subrogatæ fuerint Punctaturæ solvendæ ab iis, qui Choro non interfunt, hinc videndum, an ea quæ de Distributionibus quotidianis statuta sunt, locum etiam habere

bere debeant quoad Punctaturas. In *Nullius Farfen. Distributionum quotidianarum*. Julius Manfredi Canonicus Ecclesiæ S. Antonini Terræ Pharæ Indultum abessendi causa Studiorum obtinuerat cum solita clausula *amissis Distributionibus quotidianis*. Cum vero Ecclesiæ statuto cautum fuisset, ut loco Distributionum quotidianarum Punctaturæ a Canonicis absentibus persolverentur, hinc quæstio orta est, an dictus Canonicus Manfredi Punctaturas persolvere teneretur, propositisque Dubiis = *I. An Canonicus absens ex causa studiorum teneatur ad pœnam Punctaturarum indictam in Statuto Ecclesiæ contra non interessentes divinis Officiis, & quatenus affirmativè II. An eadem pœna sit solvenda ex tertia parte Fructuum ex Indulto relinquenda, & repartienda interessentibus?* Die 20. *Decembris* 1738. Sac. Congregatio ad utrumque respondit = *Affirmativè* = . Vestrum nunc erit Eminentissimi Patres decernere.

I. *An Indultum concessum Canonico Gineuri eidem suffragetur etiam ad effectum non solvendi Punctaturas.*

Et quatenus negativè.

II. *An, & a quo tempore sint solvendæ dictæ Punctaturæ in casu &c.*

TUDERTINA. Disponens de bonis suis Philippus Mattioli Civis Tudertinus, in Testamento ab eo exarato anno 1750. usumfructum suæ hæreditatis reliquit Mariæ Antoniæ quondam Antonij, & Luciæ istius Filiæ cum onere dimittendi æs alienum Testatoris, ac persolvendi non nulla Legata. Post illarum mortem jussit, ut universa hæreditas erogaretur in celebrationem tot Missarum in suffragium ejus animæ, dictæque Mariæ Antoniæ, & Luciæ; Executionem suæ voluntatis commisit Parocho pro tempore Ecclesiæ Cathedralis Tudertinæ. *Sess. 22. Cap. 6. de Reform.*

Cum autem jam obierint hæredes usufructuariæ, Cyprianus Petrucci Parochus Ecclesiæ Sanctissimi Salvatoris d. Civitatis preces exhibuit Sanctissimo Domino Nostro, qui-

quibus narravit reditus dictæ Parochiæ vix ascendere ad scuta decem, & octo, vel viginti-circiter, gravatum vero esse onere celebrandi octo Missas quolibet anno, & applicandi Missam pro Populo singulis diebus Festis, ac tandem subministrandi Oleum pro lampade, ceram, & alia utensilia, quæ ad usum suæ Eccl. siæ necessaria sunt; Exposuit etiam, quod ad prædicta onera subeunda impares omnino sunt Parochiæ tructus, qua de re supplicavit, ut dictæ Parochiæ uniretur hæreditas quondam Philippi Mattioli, sub qua vivens degebat, cum onere celebrandi in unoquoque anno Missarum numerum, quem præfinire placuerit. Ablegatis precibus Sac. Congregationi, de illis agendum modo est.

Episcopus exposita confirmat, & ait hæreditatem Philippi Mattioli ascendere ad sc. 638., reditus vero Parochiæ Sanctissimi Salvatoris adeo tenues esse, ut detractis expensis, vix Parocho supersint sc. 9. 63.; Addit petitæ unioni assensum præstitisse Executorem Testamentarium, qui Parochus est Ecclesiæ Cathedralis, citra tamen præjudicium sui emolumenti; Ac tandem votum suum sic pandit = *Attenta igitur paupertate Ecclesiæ Oratoris destituti Congruæ, cui subministrationi impares ejus Parochiani, ut mihi relatum est, reputantur, & concurrente pietatis, & necessitatis causa, crederem profecto optime meritum, & dignum Oratorem vestræ Clementiæ, & ejus votis benignè annuendum existimarem.*

Dum agitur de commutatione ultimarum voluntatum, concurrere debet necessitas, vel utilitas; An autem saltem alterutra ex his in præsenti casu concurrat decernent Eminentissimi Patres, dum quæritur.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 5. Aprilis 1783. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

NON dedignentur EE. VV. Folium reſumere præcedentis Congregationis, cauſaſque in eo deſcriptas, aliaſque in præſenti adjunctas aſſueta maturitate definire.

NEPESINA UNIONIS.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis ſub die 15. Septembris 1781. in caſu &c. — *Seſſ. 21. cap. 5. de Reform.*

Dilata, & audiatur Epiſcopus, qui præfigiat terminum Communitati ad deducendum Jura ſua coram eodem Epiſcopo.

LUNEN. SEU SARZANEN. PAROCHIALIS.

An conſtet de irrationabili judicio Epiſcopi. — *Seſſ. 24. cap. 18. de Reform.*

Negative.

SPOLETANA.

An, & quomodo ſit providendum in caſu &c. — *Seſſ. 24. cap. 13. de Reform.*

Ad Dominum Secretarium cùm Sanctiſſimo juxtà mentem.

Sess. 21. cap. 4. de Reform.

ANCONITANA.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum dubium in casu &c.

In decisis juxta modum; nempè pro Missis viginti Legati Jacobi Armentici, & pro aliis octo Mariæ Armentici, & quoad reliquas Missas duodecim, Scribatur Vicario Capitulari pro informatione, transmissis particulis præcedentium Visitationum, & Tabellis, & perquisitis actis Cancelariæ.

Sess. 5. cap. 1. de Reform.

EUGUBINA PUNCTATURARUM.

I. *An Indultum concessum Canonico Gineuri eidem suffragetur etiam ad effectum non solvendi Punctaturas in casu &c.*

Et quatenus Negativè.

II. *An, & a quo tempore sint solvendæ dictæ Punctaturæ in casu &c.*

Ad I. Negativè pro tertia parte tantum fructuum sui Canonicatus, & amplius.

Ad II. Affirmativè a die non interessentiæ Choro, & ad mentem; & mens est, quod videatur particulariter de examine Statuti Collegiatæ, transmissa per Episcopum ipsius particula, & decretis approbationis Episcopi.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

TUDERTINA.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Dilata, & Scribatur Episcopo juxta instructionem, quod transmittat consensum liberum, & absque reservatione Executoris Testamentarii, quod referat an aliud medium adsit, quo Suppleri possit indigentiæ Parochiæ, & referat de ipsius Parochiæ reditu certo.

RA-

RAVENNATEN. DISMEMBRATIONIS. Parochus Ecclesiæ S. Nicolai Oppidi Mensæ, Sacramenta etiam administrat Populo Villæ Canutij, quæ in districtu illius Parochiæ sita est. Populus novam Parochiam in sua Villa petiturus, retulit intercedere distantiam quatuor circiter Milliarium ab Ecclesia S. Nicolai. Addidit viam asperam a Flumine Savo interciſam Hyberno tempore propter aquarum redundantiam accessum ad Parochiam præpedire, & quandoque accidisse, quod aliqui sine Sacramentis, & sine assistentia Parochi decesserint; Hinc novæ Parochiæ necessitatem inferri, eamque erigi posse affirmat in Ecclesia S. Mariæ Angelorum, quæ in medio Villæ constructa reperitur, & congruam Parocho assignari posse existimat ex veteris Parochiæ reditibus. Cum autem huic petitioni contradicat Parochus S. Nicolai, expedit idcirco, ut EE. VV. de illa dijudicent. *Sess. 21. cap. 4. de Reform.*

Ad I. inquit Populus ex Processu juſſu Sac. Congregationis confecto, atque etiam ex defuncti Archiepiscopi testimonio satis resultare Villam Canutij a Parochiali Ecclesia Oppidi Mensæ per quatuor Milliaria distare, & hanc distantiam impedimento esse, ne Senes, & Mulieres diebus Festis ad Ecclesiam accedere valeant, ut Divinis Officiis assistant, nec Pueri, ut rudimenta fidei addiscant. Hyemali vero tempore iter adeo arduum, & impervium esse, ut nec homines quidem floridæ ætatis, aut Parochialem, aut Auxiliarem Ecclesiam adire possint; Verificari proinde sustinet casum demandatæ a Concilio Tridentino novæ Parochiæ erectionis, etiam invito Rectore.

Perperam autem objici, quod aliæ adsint viæ, per quas brevius est iter ad Parochialem, & procul ab omni Fluminis periculo, insuperque nec accidisse, quod aliquis absque Sacramentis decesserit. Respondet enim, vias hujusmodi esse privatas, non publicas, easque Dominorum arbitrio claudi posse. Ait ulterius, Concilium Tridentinum non requirere pro forma substantiali novæ erectionis, ut Parochiani sine Sacerdote obierint, sed sufficere gravem difficultatem, & distantiam a Parochia. Cæterum confirmat, plures absque Sacramentis decessisse.

Addit novæ Parochiæ erectionem denegari non posse ob detrimentum Parochi Ecclesiæ S. Nicolai, cum is conspicuos reditus habeat sc. 341., & idcirco ab illius Præben-

benda avelli facile posse annua scuta centum pro congrua novi Rectoris. Maxime quia Gregorius Ghiselli pro nova hac erectione obtulit bona annui redditus sc. 40. cum reservatione juris nominandi Parochum sibi, suisque tribuendum. Ex his infert ad II. Dubium, indigentiis habitantium in Villa Canutij aliter occurri non posse, quam per dismembrationem ejusdem Villæ a veteri Parochiali, novamque Parochialis erectionem in Ecclesia S. Mariæ Angelorum.

Pro parte Parochi nihil deductum est.

Defunctus Archiepiscopus hac super re diligentem dedit informationem, quam inter monumenta Causæ habebunt EE. VV.; in qua Sententiam suam aperiens sic inquit = *Illud mihi vere videor esse dicturus, expetitam novæ Parochiæ institutionem, vel Capellani curati appositionem, tum pro erudiendis Christi doctrina Pueris, quos ut plurimum in ea rudes inveni* [*licet Parochi vitio tribuendum non sit, qui per se, & per Capellanum Puerorum institutioni in Parochiali, & in subsidiaria Ecclesia Ulmi assidue incumbit*] *tum pro curanda animarum salute, componendis dissidiis, ac reconciliandæ inter partes pace, atque concordia plurimum utilitatis fore allaturam.*

Alexander III *in Cap. Ad Audientiam 3. de Ecclesiis Ædificandis*, scribens Eboracensi Archiepiscopo sic loquitur = *Ad audientiam nostram noveritis pervenisse, quod Villa, quæ dicitur H. tantum perhibetur ab Ecclesia Paro hiali distare, ut tempore hyemali cum pluviæ inundant, non possint Parochiani sine magna difficultate ipsam adire; unde non valet congruo tempore Ecclesiasticis Officiis interesse: Quia igitur dicta Ecclesia ita dicitur redditibus abundare, quod præter illius Villæ proventus Minister illius convenienter valeat sustentationem habere: Mandamus quatenus si res ita se habet, Ecclesiam ibi ædifices, & in ea Sacerdotem, sublato appellationis obstaculo, ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ Majoris cum canonico fundatoris assensu instituas, ad sustentationem suam ejusdem Villæ obventiones Ecclesiasticas percepturum: providens tamen, ut competens in ea honor pro facultate loci Matrici Ecclesiæ servetur.*

Hanc Alexandri constitutionem renovavit Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 4. de reform.* decernens quod Episcopi = *In iis* [Ecclesiis Parochialibus) *in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & divina officia audienda accedere non possunt, novas Parochias*

etiam

etiam invitis Rectoribus, juxta formam Constitutionis Alexandri III., quæ incipit: Ad Audientiam, constituere possint. Animadvertunt Doctores, inter quos *Fagnanus in cit. cap. Ad Audientiam num. 19.* ad novæ Parochiæ erectionem sufficere distantiam loci sine difficultate, & vice versa difficultatem sine distantia. Minime tamen definitum noscitur qualis esse debeat hujusmodi distantia, vel difficilis accessus, sed totum id relinquitur Judicis arbitrio *Ric. in praxi resolut. 476. num. 5. Pax Jordan. elucubrat. can. tom. 3. lib. 19. tit. 31. num. 5.*

Sac. Congregatio justa, & rationabili concurrente causa, Parochiarum divisiones admisit, ut in *Aquen. dismembrationis 13. Julij 1720. & 2. Augusti 1721. In Imolen. Dismembrationis 8. Junij 1720. in Asculana Dismembrationis 15. Decembris 1719.* Hisce vero causis deficientibus, & præsertim si necessitati satis consultum sit ope Sacerdotis Auxiliaris, vel Vice Parochi semper denegavit, ut in *Cassanen. Dismembrationis 17. Decembris 1740., Aquilana. Dismembrationis 8. Februarij 1744., & in Comen. Dismembrationis 7. Augusti 1743.* Definiant itaque EE. VV.

I. *An sit locus Dismembrationi Parochialis Ecclesiæ S. Nicolai Villæ Mensæ, ad respective erectioni Ecclesiæ B. M. Virginis Angelorum Terræ Canutij in novam Parochiam in casu &c.*

Et quatenus negativè.

II. *An, & quomodo sit providendum in casu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius.

Ad II. Providendum esse per translationem Capellani Curati ab Ecclesia S. Eleuterii ad Ecclesiam S. Mariæ Angelorum, facta obligatione ab Hominibus Villæ Canutii præstandi Domum eidem Capellano Curato, & amplius.

TUSCULANA. Carolus Antonius Fallani anno 1727. Patrimonium constituit Sacerdoti Alexandro Gaspari Gregori ejus Nepoti, assignavitque quamdam Vineam sitam in loco qui dicitur alla *Montagna*, nunc ad Olivetum redactam annui redditus sc. 26. Cum autem prædicta summa juxta Synodum Tusculanam non sufficeret, idcirco Zenobia Fallani, & Franciscus Gregori dicti Sacerdotis Alexandri Genitores addiderunt alia scuta decem retrahenda ex pensionibus Domus cum Cripta, & Cella Vinaria, ex quibus annua sc. 45. retrahebantur. *Sess. 21. cap. 2. de Reform.*

Hoc

Hoc autem augmentum factum legitur donec = *Il Signore Alesandro loro figlio sarà provisto di qualche idoneo e sufficiente Beneficio Ecclesiastico, e poi li sudetti scudi dieci annui .... debano ritornare ad essi cedenti, ed assegnanti.*

Conciliatis vero nuptiis inter Clementinam Bianchi praefati Alexandri Gasparis Gregori ex Sorore Neptem, & Josephum Marini, idem Sacerdos Alexander die 12. Januarij 1768. contemplatione hujus Matrimonij Sponsæ dotem auxit in aliis scutis quatuorcentum nempè = *Scudi duecento in un Oliveto spettante a detto Signor D. Alesandro posto nel vocabolo la Montagna, ed altri scudi duecento in una Vigna allo stesso Signor D. Alesandro spettante posta nel Vocabolo la Selva di Monte Dragone* = & licet expressè cautum fuisset, ut fructus istorum bonorum non prius Conjuges percipere possent, quam post obitum Sacerdotis constituentis, nihilominus iste in actu stipulationis declaravit = *cedergli tutte le raggioni, ed azioni a sola riserva del usufrutto di detto Oliveto, e Vigna vita durante del detto Signore D. Alesandro* = Addita pro contractus firmitate Clausula *Constituti, & Precarij*.

Deinde dictus Sacerdos die 30. Aprilis ejusdem anni 1768. in novum, ac pinguius dotis augmentum cessit Nepoti= *La metà della Casa, Grotta, e Tinello ad esso Signore Alesandro appartenente, e spettante, non solo per assegna fattagli in Patrimonio Sagro, ... ma ancora come erede della quondam Zenobia Fallani sua Madre, ... con espressa legge, e dichiarazione, che il dominio, proprietà, ed usufrutto della medesima metà di Casa, Cantina, e Grotta non s'intenda trasferito a favore di essa Clementina Bianchi, se non dopo seguita la morte di esso Signor D. Alesandro*. Validitatem istorum contractuum quoad ea tantum bona, quæ in Patrimonium Sacrum constituta fuerant, Impugnat modo Sacerdos Gregori, utpote gesta absque Ordinarij auctoritate.

Inquit enim, ex Concilij Tridentini dispositione statutum esse, nemini licere alienare, cedere, aut distrahere Patrimonium Sacrum, nisi Ecclesiastica accedat auctoritas; immo vetitam esse quamcumque permutationem, etiamsi Ordinatus alia bona possideret, vel Beneficium Ecclesiasticum obtineret; Addit, non licere Clerico Patrimonium Sacrum distrahere, quamvis usumfructum sibi ad vitam reservaverit. Hinc irritos esse contractus a se ipso stipulatos favore Clementinæ Bianchi ob defectum consensus Ordinarij ad illorum firmitatem omnino requisiti.

Nec

Nec juſtitiæ, & bonæ fidei repugnare eam, quam modo proponit, contractuum nullitatem, cum liceat donanti impugnare donationes, quæ ipſo jure irritæ ſint ex defectu formæ ſubſtantialis; Et obſervat ulterius, ritè donantem petere reſciſſionem donationis, quando non ex animi levitate, aut ira vel odio id faciat, ſed ut aliquo modo ſuccurrere valeat neceſſitatibus Proneptum, quæ Patre deſtitutæ gravi in egeſtate verſantur.

Minime vero quadrare hodiernæ diſputationi ſimilitudinem mutuatam a Mulieribus. & Minoribus, qui in contractibus conſtitutionis dotis non tenentur ſervare ſolemnitates a jure requiſitas. Notat enim Mulieres, & Minores nullis adhibitis ſolemnitatibus dotem conſtituere, vel promittere poſſe, quando ad id ex jure, vel ſtatuto adiguntur; nulli autem ex obligatione ipſum obſtrictum fuiſſe ad conſtituendam dotem Nepti ſuæ, quam proinde conſtitutionem, utpote ſine facultate expletam, ſuſtineri non poſſe affirmat.

Contendit inſuper dici non poſſe, quod bona Patrimonij Sacri non taxativè, ſed demonſtrativè tantum aſſignata, hypothecæ ſubjecerit pro dotis ſecuritate. Nam reſpondet, nullimode potuiſſe hypothecare bona Patrimonij, cum eadem ratione, qua vetita erat alienatio, eadem etiam hypotecatio erat interdicta. Cæterum ſuſtinet contractum non præſeferre ſimplicem hypothecam, ſed veram alienationem, attenta clauſula *Conſtituti*, quæ in donatarium illico transfert dominium.

Contra hæc, qui pro Clementina Bianchi cauſam agit, fatetur, alienari non poſſe bona Patrimonij Sacri abſque proprij Epiſcopi licentia; verum tuetur dotis augmentum factum a Sacerdote Gregori non importare alienationem. Ait enim vetitam a Concilio Tridentino, & Synodo Tuſculana Patrimonij diſtractionem, ne Clerici mendicare cogantur; Contractus vero a Sacerdote Gregori celebratos nec Concilio Tridentino, nec Tuſculanæ Synodo adverſari, cum Bonorum dominium, illorumque uſumfructum quoad vixerit in donatariam non tranſtulerit. Expendit Inſtrumentum diei 11. *Januarij* anni 1768., & advertit dotis augmentum non in qualitate, ſed in quantitate factum eſſe, & deſignata dumtaxat fuiſſe bona unde ſumma ſcut. 400. deſumenda erat, non autem, ut illorum dominium transferretur, præſertim quia cautum in eodem Inſtrumento legitur, quod poſt Donantis obitum dictorum bonorum fructus Donataria perciperet. Differit de alio Inſtrumento diei 30. *Aprilis*

ejuſ-

ejuſdem anni 1768., & notat Sacerdotem Gregori, nec proprietatem medietatis domus, nec illius uſumfructum alienaſſe, cum utrumque ſibi uſque ad mortem reſervaverit, ex quo deducit ſatis obſervatam fuiſſe legem Concilij Tridentini, qua bonorum Patrimonialium diſtractiones prohibentur.

Nec obeſſe, quod Sac. Congregatio quandoque improbaverit donationes Bonorum Patrimonij Sacri, etiam cum reſervatione uſusfructus, cum eædem Reſolutiones editæ fuerint quando veram donationem ſtipulatam eſſe aperte dignoſcitur; At in præſenti caſu contendit non interceſſiſſe donationem, ſed ſimplex dotis augmentum cum reſervatione proprietatis, & uſusfructus. In his circumſtantiis cum nulla ſecuta fuerit alienatio, nulla propterea ad validitatem contractus neceſſaria erat Ordinarij licentia.

Quid hac de re ſentiat Regia Celſitudo Emi Epiſcopi Tuſculani, dignoſcent EE. VV. ex ejus informatione, quæ dabitur inter monumenta cauſæ.

Concilium Tridentinum præcipit, ut in ſeligendis Eccleſiæ Miniſtris non ſolum perſpecta ſit illorum pietas, & ſcientia, ſed inſuper ipſorum decori proſpexit, voluitque, ut congruum Patrimonium haberent, ne in dedecus Ordinis mendicare, aut vile aliquod miniſterium exercere cogantur; Quapropter *Seſs. 21. cap. 2. de Reform* ſtatuit, quod nullus ad Sacros Ordines promoveatur, niſi Beneficium Eccleſiaſticum obtineat; Juſſit præterea, quod = *Patrimonium vel Penſionem obtinentes ordinari poſthac non poſſint, niſi quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum; eoque prius perſpecto Patrimonium illud, vel Penſionem vere ab eis obtineri, taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint, atque illa deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſint, donec Beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliunde habeant unde vivere poſſint: antiquorum Canonum pœnas ſuper his innovando.* Hinc arguunt *Fagnanus in cap. Epiſcopus de Præbendis, & Dignitatibus, & Benedictus XIV. Inſt. 26. num. 28. ad 30.* nullam ipſo jure eſſe quamcumque alienationem de Bonis Patrimonij Sacri inſcio Epiſcopo factam, quamvis Ordinatus de Eccleſiaſtico Beneficio fuerit proviſus.

Sæpe in Sac. Congregatione ad examen revocati fuerunt contractus celebrati a Clericis de Bonis Patrimonij Sacri; nec abs re erit reſolutiones referre, quæ aliquando prodie-

dierant. Die 10. Octobris 1636. disputatum fuit dubium = *An Presbyter possit absque licentia Episcopi donare Patrimonium, ad cujus titulum est ordinatus reservato sibi usufructu ad vitam* = , & fuit responsum = *Non posse* = *lib.* 29. *decret. pag.* 286. . In *Parmen.* Agebatur de Clerico, qui nullum Beneficium habebat, nec præter bona Patrimonij Sacri, alia possidebat, ex quibus sustentari posset; In emphyteusim perpetuam absque licentia Episcopi eadem bona concesserat cum reservatione annui Canonis, qui fructibus responderet. Quæsitum fuit = *An hujusmodi contractus sustineatur non obstante dispositione Sac. Concilij Tridentini cap.* 2. *Sess.* 21. *de Reform.* : = & die 20. *Julij* 1641. sequens prodiit resolutio = *Secundum ea quæ proponuntur, contractum supradictæ concessionis in emphyteusim absque licentia Episcopi factæ non sustineri lib.* 16. *Decret. pag.* 569. Præterea in *Aquilana* die 24. *Februarij* 1952. Sac. Congregatio declaravit *Renunciationem Patrimonij, ad cujus titulum Clericus Sacris Ordinibus fuit initiatus, absque licentia Episcopi factam non sustineri, etiam post assecutionem Beneficij ad ejus vitam sufficientis*, ut in *lib. Decret.* 19. *pag.* 172.

Juxta mentem Sac. Congregationis sicuti interdicta est alienatio bonorum Patrimonij Sacri, ita prohibita quoque est illorum obligatio, & fidejussio Episcopo inconsulto. Supplicatum in Sac. Congregatione fuit = *An dispositio Sac. Concilij in cap.* 2. *Sess.* 21. *de Reform. prohibens alienationem Patrimonij Clericorum absque licentia Episcopi extendatur ad fidejussiones per eosdem Clericos factas, ita ut respectu dicti Patrimonij obligatio non sustineatur* = Et die 15. *Martij* 1642. respondit = *Extendi etiam ad fidejussiones juxta tamen distinctionem factam in declaratione hujus Sac. Congregationis tenoris sequentis. Die* 5. *Februarij* 1604. *Sac. Congregatio Concilij censuit, neque in hujusmodi Patrimonio, neque in ejus fructibus ad Clericum alendum necessariis executioni locum esse; licere autem capere in causam judicati eam fructuum portionem, quæ quot annis supereffent, ultra eam, quæ ad Ordinati sustentationem non laute, sed tenuiter vivendo, Judicis Ecclesiasticis arbitratu fuerit necessaria. Posse autem ipsum Creditorem accipere in solutum, atque vendere jus sibi competens ad hujusmodi Patrimonium, quod post mortem ipsius promoti ad Creditorem, uti re hæreditaria pertinebit* = *lib.* 17. *Decret. pag.* 18.

Denique certum est Episcopi licentiam in alienatione bonorum Patrimonij requiri etiam in casu, quo Clericus aliunde se sustentare valeat. In *Bitecten.* instante Josepho Grego propositum fuit *I. An qui Patrimonium suum, ad*

cujus titulum est Sacris Ordinibus initiatus, alienare possit, si aliunde se sustentare valeat, & quatenus affirmativè. II. An Episcopi licentia sit necessaria secundum disposita per Concilium Sess. 21. cap. 2. de Reform. Die 16. *Novembris* 1686. sequens prodiit resolutio = *Sacra Congregatio censuit, danda esse decreta alias edita tenoris sequentis; Quæritur an verbà illa Concilij cap. 2. sess. 21., atque illa deinceps alienare, ita intelligenda sint, ut post quam Ordinatus adeptus fuerit Beneficium, vel aliunde habeat, unde commode vivere possit, requiratur etiam licentia Episcopi? die 5. Augusti* 1602. *Sac. censuit requiri licentiam quamvis Ordinatus sit adeptus Beneficium lib.* 36. *Decret. pag.* 499., & 500.

Præ oculis etiam habendum est quid de Patrimonio Clericorum ad suscipiendos Ordines disponit Synodus Tusculana celebrata anno 1763.; In *Cap.* 15. *art.* 4. *num.* 3. hæc habentur = *Ut Ordinandus juramento polliceatur, se nunquam alienaturum, seu permutaturum Patrimonium, nisi eidem nostro accedente consensu expresse subrogetur Beneficium Ecclesiasticum, cujus pacificam possessionem adierit, & cujus reditus ad honestam sustentationem sufficiant, vel alia immobilia bona, quorum certum dominium, & pacificam habeat possessionem, ut horum omnium publicum Instrumentum in nostra Episcopali Cancellaria fiat, & in ea diligentissime custodiatur.* Hisce omnibus perpensis definient EE. VV.

An Instrumenta dierum 12. *Januarij, & 30. Aprilis* 1768. *sustineantur in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

VERULANA RESTAURATIONIS TURRIS CAMPANARUM. Ecclesia Collegiata Sanctæ Mariæ Oppidi Frusinonis habet Turrim Campanariam, ubi præter Campanas, quibus utitur Capitulum, extat etiam Horologium, ad Communitatem pertinens. Cum autem hujusmodi Turris ruinam minaretur, Canonici penes Communitatem institerunt, ut ipsa necessarias restaurationes conficeret. Sed Communitas reparationis opus Capitulo inhærere censuit. Urgente igitur restaurationis necessitate, quæritur ad EE. VV. quis ad illam teneatur.

Qui Capituli jura tuetur, non impugnat, quod cum agitur de restauratione Ecclesiæ, erogandi in hanc causam primo sint reditus Fabricæ, qui & si deficiant, adigi debere tum eos, qui Decimas percipiunt, tum Parochum, Beneficiatos, & deinde Patronum, postremo tandem Populum

ſum ; verum ſuſtinet hunc ordinem minime ſervari, quando diverſa inducta ſit conſuetudo , tunc enim conſuetudinem unice ſpectandam contendit . Quid quid diſpoſitum eſt de Eccleſiis, nullimode convenire affirmant in caſu reſtaurationis Turrium Campanarum, de quibus; cum nihil in jure cautum ſit , idcirco tenent Canoniſtæ , & ſenſit Rotæ Tribunal ad reſtaurationem eos teneri , quibus ex Statuto , vel Conſuetudine hujuſmodi onus incumbit. Vigore autem Conſuetudinis onus refundi in Communitatem , cum conſtet illud ſubiiſſe annis 1674. , 1678. , 1703. , & 1710. , & anno 1743. , quo ampliata Eccleſiæ latitudine , & Sacra Turri denuo extructa , illius Culmen pecuniis publicis anno 1763. fuit confectum ; Quare concludit perperam Communitatem refugere onus, quod ipſi ex conſuetudine incumbit . Fortius , quia Turris Campanaria altius erecta fuit anno 1743. , ut ibi Horologium collocaretur .

Ex alia vero parte Communitatis Defenſores contendunt Patronatum Eccleſiæ Collegiatæ ad Capitulum pertinere , illudque proinde, deficientibus Fabricæ reditibus, teneri etiam ad reſtaurationem Turris Campanariæ , quæ pars eſt Eccleſiæ. Maxime, quia anno 1743. pro novæ Turris conſtructione Capitulum propriis ſumptibus comparavit ſitum , ubi Turris conſtituenda erat , & Communitas aliquam ſummam tantum conferre non detractavit = *a titolo di mera limoſina* = & ſub expreſſa reſervatione = *che non debba reſtare per detto pagamento in alcun modo pregiudicata al mantenimento di detto Campanile* .

Perperamque obiici Communitatem quandoque aliquam ſummam præſtitiſſe pro hujuſmodi explendis reparationibus . Advertunt enim dictas præſtationes factas fuiſſe privata auctoritate , aut ex mera Communitatis liberalitate , aut pro Horologij cuſtòdia , quod ad Communitatem pertinet ; neque retorqueri contra ipſam poſſe quid quid ex actu mere gratuito proceſſit . Similiter nec obeſſe , quod Communitas quandoque expenſas obtulerit pro Campana Majori , & Horologio , cum Campana , & Horologium ad ipſam pertineant. Verum tamen ab hiſce expenſis nullam inferri obligationem inducentem onus reſtaurationis Turris Campanariæ .

Epiſcopus in ſua relatione ſic ait = *Rationes in foliis exhibitas præ oculis habui , & cum factorum ſeriem variam, & involutam deprehenderim , nihil certi ex his ſtatui poſſe arbitratus ſum ; quapropter rem veluti ex integro ac -*

cipiendam esse duco ; proindeque impensæ . quæ pro reparatione præfatæ Turris necessariæ existimantur , illas ab utraque parte , & pro rata impendendas esse censeo . Capitulum enim retinet in ea Campanas , quibus utitur ad Divina Officia , & Funera explenda , & pro his ultra annuos sufficientes reditus , proventus pariter Funeribus adnexos qualibet vice Canonici percipiunt ; Communitas vero facultate gaudet in illa publicum retinendi Horologium in totius Civitatis beneficium ; Cum igitur commodum commune sit utrinque , incommodum pariter utrumque sentiat oportet =

Videndum in præsenti casu , an ea quæ de restauratione Ecclesiarum constituta sunt, trahi etiam debeant ad restaurationem Turris Campanariæ . Ponderandum quanti habenda sit consuetudo , quæ a Capitulo proponitur . Demum notandum , quod Canonici Campanis utuntur pro Divinis peragendis Officiis ; Communitas vero , & Horologium , & propriam retinet in eadem Turri Campanam pro Populi commoditate . Quæritur .

An, & a quo sit restaurandum Campanile S. Mariæ Frusinonis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 10. *Maij* 1783. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

REſumpto Folio poſtremæ Congregationis, dignabuntur Emi PP. definire cauſas in eo relatas, aliaſque in præſenti adjunctas.

TUSCULANA.

An Inſtrumenta dierum 12. *Januarij, &* 30. *Aprilis anni* 1768. *ſuſtineantur in caſu &c.* *Seſs.*21. *cap.* 2. *de Reform.*

Non ſuſtineri Inſtrumentum diei 12. Januarii 1768. quoad Olivetum tantum, ſalvis juribus Conjugum Bianchi competentibus prout de jure: Suſtineri autem Inſtrumentum diei 30. Aprilis 1768., & amplius.

VERULANA RESTAURATIONIS TURRIS CAMPANARUM. *Seſs.*21. *cap.* 7. *de Reform.*

An, & a quo ſit reſtaurandum Campanile S. Mariæ Fruſinonis in caſu &c.

In caſu de quo agitur reſtaurandum eſſe ſumptibus Communitatis tantum.

SENO-

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

SENOGALLIEN. REDUCTIONIS. Fabius de Innocentiis in Testamento exarato anno 1622. Canonicarum erigi jussit in Ecclesia Collegiata S. Medardi Oppidi Arcis contradæ. Præbendæ reditus præfinivit in annuis scutis quinquaginta; Canonico autem injunxit onus interessendi Choro tempore Quadragesimæ, & omnibus diebus Festis, necnon celebrandi duas Missas in qualibet Hebdomada, ac insuper celebrandi Festum SS. Innocentium cum celebratione octo Missarum, & demum excipiendi Sacramentales Fidelium Confessiones. Secuto Testatoris obitu, illius Hæredes fiduciarij assignarunt Sacrario dictæ Collegiatæ Ecclesiæ prædium annui reditus scutorum sexaginta sex cum expressa lege persolvendi singulis annis scuta quinquaginta possessori dicti Canonicatus, & superextantes fructus erogandi in usum Sacrarij. Post hæc ad erectionem Canonicatus deventum fuit. Imminutis tractu temporis prædij reditibus, factum est, ut anno 1646. Collegiatæ Sacrarium prædium libere dimiserit, illudque acquisierit, qui Canonicatum possidebat. Canonicatum modo possidet Sacerdos Hyeronimus Bellini, qui onerum reductionem efflagitat, eo quod reditus adeo sint imminuti, ut vix ad annua scuta decem & octo pertingant.

Emus Episcopus exposita confirmat, & testatur, quod ducto calculo per decennium, prædij fructus non excedunt scuta viginti quolibet anno; hinc subductis expensis Missarum, & Utensilium putat parum emolumenti Canonico superesse; Hujusmodi decrementum evenisse opinatur partim ex prædij natura, utpote quia in montuoso, & declivi loco situm sit, partim vero ex culpa prædecessoris Canonici, contra cujus hæredes inutilem dicit actionem, cum nimia laborent egestate. Addit latere prorsus num alia adsint hæreditaria Testatoris bona, quæ subsitui possint, ac demum concludit, *Qui rerum statum perspectum habent, ii scilicet, quorum interest, quique Patroni, & Capitulum sunt, quorum sententia publicas in tabulas exarata apud me servatur, Sacrorum imminutioni assentiuntur; ego autem ad unum tantum in qualibet hebdomada id onus contraherem, cæteris omnibus oneribus, uti Institutori placuit firmis manentibus. Cæterum Oratoris culpa redituum decrementum non accidit, neque expedire censerem eum a Chori obsequio abducere, cum ad dies tantum Festos, & Quadragesimæ tempus id onus redigatur, quibus diebus psallentium numerum frequentiorem esse decet.*

Re-

Redituum imminutio justum, & rationabilem præbet causam reducendi onera Missarum. Verum si Beneficio, ultra Sacrorum celebrationem, adjunctum sit onus Choro interessendi, tenet *Monacellus form. legal.* 19. *tit.* 10. *part.* 1. *num.* 25., quod melius sit reducere Chori servitium, quam Missarum numerum imminuere, quia Missarum celebratio excellentior est servitio Chori *Garzias de Benefic. part.* 7. *cap.* 1. *num.* 126., & plus suffragij consequuntur animæ defunctorum ex Missarum celebratione, quam ex aliis piis operibus *Fagnanus Cap. Ex parte de Constit. num.* 34. *Passarin. de Statu Hominum tom.* 2. *quæstr* 187. *num.* 1095. Receditur tamen ab hac regula, si Testatoris voluntas contraria dignoscatur. Idem *Passarinus tom.* 2. *quæst.* 183. *num.* 1101.

Sac. Cong. in *Bracharen. reductionis onerum*, in qua agebatur de sex Cappellaniis, quæ onus habebant celebrandi Missam quotidianam, & recitandi juxta consuetudinem Ecclesiæ Bracharensis Horas Canonicas; cum imminutis reditibus factus esset locus reductioni onerum, requisitus fuit de sua sententia Archiepiscopus, qui censuit = *quod numerus Missarum pro qualibet Capellano posset reduci ad dimidium, ut scilicet in quolibet Mense satisfacerent dicendo quindecim Missas quilibet ex his pro manuali eleemosyna, & quod pro obligatione recitandi in Choro Horas Canonicas quotidie, nihil immutetur circa salaria* = Proposito autem dubio = *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum, & Chori, seu potius reducendum, vel delendum sit tantum onus Chori in casu &c.* = Die 11. *Septembris* 1717. Sac. Congregatio = *Commisit Archiepiscopo, ut utrumque onus juxta modum propositum pro suo arbitrio, & conscientia reduceret* = *lib.* 67. *decret. pag.* 373.

In *Aquen. Reductionis*. Possessor Beneficij B. Mariæ Virginis Dolorum erecti in Ecclesia Burgi majoris illius Civitatis tenebatur quotidie celebrare Sacrum, & excipere qualibet feria IV. Fidelium Confessiones; Ob redituum deficientiam institum fuit pro onerum reductione; & disputato dubio = *An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.* = Die 27. *Junij* 1772. prodiit resolutio = *Deleto onere audiendi Confessiones, non esse locum reductioni Missæ quotidianæ* = Verum reproposita causa sub dubio = *An, & quomodo sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.* = Die 19. *Decembris* ejusdem anni rescriptum fuit = *Prævio recessu a decisis, esse locum reductioni Missæ*

Missarum ad rationem perpetuæ, firmo remanente onere audiendi Confessiones. Hisce animadversis definient EE. VV.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Pro gratia juxtà Votum Emi Episcopi.

Sess. 23. cap. 5. de Reform.

ROMANA CAPELLANIARUM. Descripta reperitur hujusmodi causa in Folio distributo pro Congregatione diei 10. *Februarij* 1770. in qua proposito Dubio = *An, & quomodo sit providendum pro summis deficientibus, tàm præteritis, quam in posterum decurrendis ad formam resolutionis diei* 17. *Julij* 1700. *in casu &c.* = responsum prodiit = *Dilata, & firmetur status integræ hæreditatis juxta mentem* = quæ fuit, ut inde Causa reponeretur super congruis Dubiis. Confecta Peritia, causa ad examen revocata est in Congregagatione habita die 15. *Martij* anni 1777., qua die ob suffragiorum scissuram nulla prodiit resolutio. Cum autem Archiconfraternitas Sanctissimæ Annunciationis instet pro decisione, denuo hodie reproponitur. Rogantur Eminentissimi PP. resumere Folia dictarum Congregationum, quæ publici juris sunt in Thesauro Resolutionum Sac. Congregationis Tom. XXXIX., & XXXXVI., ac decernere.

I. *An constet de deficientia effectuum destinatorum pro augmento dotium in casu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An, & quomodo, & contra quos sit providendum pro summis deficientibus, tam præteritis, quam in posterum decurrendis in casu &c.*

Ad I. Dilata, & ad mentem: & mens est quod per Dominum Secretarium novus eligatur Peritus Ratiocinator, qui strictè referat super hodierno Statu Activo, & Passivo hæreditatis Valtrinæ; & deindè Causa iterum proponatur sub Dubiis: I. An constet de deficientia effectuum hæreditariorum pro executione voluntatis Testatoris? Et quatenus affirmativè. II. An, & cujus culpa bona defecerint, & quis teneatur ad eorum reintegrationem.

Ad II.

Ad II. Affirmativè, & persolvenda esse quotannis in posterum ab Archiconfraternitate scuta 14. 50. Capellanis, retrahenda ex vestibus Puellarum, quas Archiconfraternitas præstare minimè debeat; Sed servet omninò formam dotandi a Testatore præscriptam.

TERRACINEN.; ET SETINA REDUCTIONIS. Anno 1747. Paulinus *Aquilante* per contractum inter vivos laicalem Capellaniam instituit ad Altare Conceptionis B. M. Virginis erectum in Ecclesia S. Sebastiani Terræ Arcis Gurgæ. Pro illius dote assignavit nonnulla bona. Capellanum gravavit onere applicationis Missæ quotidianæ, celebrandæ diebus Ferialibus in Aurora, diebus vero Festivis hora, qua Confratres Artis Agrariæ ad Divinas Laudes persolvendas in dicta Ecclesia S. *Sebastiani* conveniissent. Capellaniam conferri voluit Sacerdoti Jacobo Orsini, eoque defuncto Patronatum activum concessit Antonio Aquilante ejusque hæredibus, & successoribus, quibus facultatem tribuit retinendi bona Capellaniæ, dummodo onerum adimplementum non negligerent. Tandem jussit, quod hujusmodi dispositio executioni mandaretur post sui obitum, & post obitum Verdianæ Uxoris suæ. *Sess. 24. cap. 4. de Reform.*

Paulino defuncto, Antonius Aquilante anno 1756. jus nominandi Capellanum cessit Francisco Cocchi cum obligatione satisfaciendi onera injuncta. Is bonorum Capellaniæ possessionem adeptus, nedùm Missæ quotidianæ celebrationem neglexit, quin immo bona ipsa deseruit: qua de re instituto judicio in Tribunali Rev. Fabricæ S. Petri mandatum executivum pro summa sc. 420. contra dictum Chocchi ob onerum inadimplementum relaxatum fuit, & pro administratione bonorum dicti Paulini Aquilante Æconomus fuit deputatus. Post hæc Thomas Troja Paulini Aquilante Nepos obtinuit a Fabrica S. Petri jurium cessionem; & licet executioni subjecerit tum bona Capellaniæ, tum alia patrimonialia bona Francisci Cocchi, nunquam tamen judicium pro illorum subhastatione prosequi potuit; Astiterunt namque coram Judice Rev. Fabricæ S. Petri Canonicus Jo. Baptista Cocchi dicti Francisci germanus Frater, & Maria Felix istius Uxor, & allegarunt jura sibi competentia pro assequen-

da portione paternæ hæreditatis, & jura pro credito dotis: hinc executio facta super bonis patrimonialibus Cocchi revocata fuit, mandatumque extitit, ut procederetur ad subhastationem, & deliberationem bonorum ad Capellaniam spectantium cum oneribus eidem Capellaniæ infixis.

Datæ fuerunt Ædictales litteræ, ut bona prædicta subhastari possent. Verum non comparuerunt oblatores, fortasse deterriti ab ingenti onere Missarum iisdem inhærentium, ad quarum adimplementum reditus non sufficiunt; Ne autem diutius protrahatur satisfactio onerum Capellaniæ, Andreas Troja, cui Thomas Troja cessionarius Rev. Fabricæ jura sua renunciavit, adjudicari sibi intendit bona juxta proportionatam onerum reductionem, quam ab EE. VV. decerni postulat. Inquit enim Missarum onera esse omnino reducenda, quoties reditus bonorum, quæ pro illorum satisfactione destinati sunt, fuerint imminuti; Redituum decrementum evenisse ex prava administratione bonorum gesta a Francisco Cocchi, contra quem inutile dicit judicium pro reintegratione, cum ea, quæ possidet bona absorpta remaneant a credito dotali illius Uxoris, & a portione paternæ hæreditatis germano Fratri debita; Addit præterea ipsummet Paulinum Aquilante Capellaniæ institutorem tot reditus haud assignasse, quot Missæ quotidianæ adimplemento præfinitis horis responderent.

Interpellati fuerunt Franciscus Cocchi, Antonius Aquilante, & reliqui omnes, qui in hac causa interesse habere possunt, & nemo contradictorem se præbuit.

Episcopus relata facti serie sic concludit = *Ame auditi fuerunt juxta EE. VV. mandata omnes interesse habentes, & nihil in contrarium deduxerunt: Essem in sensu, quod indulgeri possit instantiæ Oratoris, firma remanente obligatione Missæ celebrandæ diebus Festivis pro commodo Confratrum Rusticorum, & in aliquibus feriatis dummodo sic placuerit EE. VV.*

Testator peculiaribus quibusdam assignatis bonis Capellaniam erigi voluit; In hisce circumstantiis legatum taxativè conceptum dicitur, & deficientibus reditibus, cum hæres ad suplementum adigi non possit, tunc onera reduci debent = *Benedictus XIV. de Synod. Diœcesana. lib. 13. cap. ultimo num. 32.* = Videndum tamen, an reductioni obstet negligentia Francisci Cocchi, qui bona

Ca-

Capella niæ deseruit, & an exercibilis, aut profutura contra ipsum sit actio pro damnorum emendatione.

Eminentissimi PP. dignentur responsum dare.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Negativè, & Missas esse celebrandas pro intranti quantitatem redituum ad rationem taxæ perpetuæ; & Episcopus incumbat executioni, & rectæ administrationi.

Sess. 25. cop. 4. de Reform.

VITERBIEN. REDUCTIONIS. Parochialis Ecclesia S. Simeonis Viterbij habet in bonis stabilibus reditus sc. 34. 80.; Gravatur tamen onere manutenendi Fabricam Ecclesiæ, necnon Sacrarium Sacris Supellectilibus, & Lampadem accensam ante Augustissimum Sacramentum. Pro his omnibus, comprehensa eleemosyna Missæ pro Populo, requiruntur annua scutor. 28. 20. nonnulla insuper eidem Ecclesiæ inhærent Missarum Legata, quæ a Parocho adimplentur; Legatum nempe Lancetti unius Missæ in qualibet hebdomada, cujus reditus non excedunt sc. 4. 57. Legatum Jacobuzi duarum Missarum unoquoque Mense, pro quo legato nullum in præsens Ecclesia fundum possidet; Legatum Mosacchi cum onere celebrandi Missam unam singulis Mensibus, pro cujus adimplemento aderat census, qui modo periit; Legatum Vitali Missarum octo, pro quo habet reditus obul. 75.; Legatum Sannelli annuarum Missarum triginta cui assignati sunt reditus scutorum trium; Legatum Jacomucci, quod importat celebrationem annuarum Missarum quinquaginta duarum, quod habet reditus sc. 12.; Ac demum Legatum Valori cum onere celebrandi in qualibet hebdomada duas Missas, ac bina Anniversaria in unoquoque anno, & istius reditus pertingunt ad annua sc. 13. 50.

Parochus dictæ Ecclesiæ S. Simeonis modo est Sacerdos Aloysius Varchi, qui recogitans reditus bonorum pro adimplemento unius cujusque Legati impares esse, reductionem postulat, quam obtinere confidit etiam quia Parochia exiguis est ditata redditibus; De hujus igitur reductione inquirendum est.

Defunctus Episcopus retulit, quod Parochiæ reditus pinques olim erant, hodie vero sive ob Antecessorum negligentiam, sive ob temporum injuriam multum decre-

verunt ; nam deductis oneribus manutentionis Fabricæ, Supellectilium , Lampadis , & Missæ pro Populo , vix superstint sc. 6. 60. Addidit præterea alios habere reditus incertos , qui non excedunt annua sc. 15. , Testatur insuper eidem Ecclesiæ nonnulla Missarum legata inhærere , quæ a Parocho adimplentur : verum illorum bona , vel in parte perierunt , vel omnium Sacrorum celebrationi non sufficiunt . Hisce igitur præmissis,quoad instantiam Parochi super reductione ita sententiam suam exponit = *Si enim de Missis Dominicis , Festisque diebus de præcepto pro Populo applicandis loquatur ,harum reductioni censeo fieri non posse locum ; Si autem intelligat de Missis pro satisfaciendo Legatorum onere celebrandis, annuendum putarem ejus precibus quoad Legatum Lancetti , ita ut reductio Missarum fiat juxta quantitatem redituum , & pro unaquaque Missa consuetum manuale stipendium detur . Quoad Legata Jacobuzj , & Mosacchi , quorum fundi , & fructus absque Parochi culpa , quantum videre potui omnino jam defecerunt , crederem absolvi posse Parochum ab obligatione , Missas 24. pro primo , & 12. pro altero quotannis celebrandi , atque insuper in reductione , vel absolutione concedenda præscribendum putarem Parocho , ut horum piorum Fundatorum semper commemorationem faciat in Memento . Denique ad cætera legata quod attinet , cum pro adnexis Missarum oneribus satisfaciendis congruum , consuetumque stipendium ad eleemosynam manualem ex eorum fructibus habeatur , causam quare illorum reductio fieri possit non video ; Atque ita, licet modicum, levamen , & subsidium darem Parocho , cui nunc per Beneficiorum unionem succurrere non datur , & per Parochianorum symbolam , & Collectas opem ferre expediens non videtur , ne Lites , & Odia ipsum inter , & Parochianos oriantur .*

Inter Legata, de quibus reductio quæritur, nonnulla sunt , quæ pro onerum adimplemento sufficientes habent reditus , & quoad istos reductioni locum esse non videtur ; Alia vero recensentur , quorum reditus in parte sunt imminuti , & quoad istos videndum an sit locus reductioni juxta rationem eleemosynæ manualis . Alia tamen sunt , quorum fundi perierunt , & in hoc casu advertunt = *Perez; de Anniversf. , & Capellan. lib. 1. cap. 15. num. 8. Pasqualig. de Sacrific. Miss. tom. 2. quæst 105. num 1. , & 2.* , quod si bona defecerint culpa Legatarij, non cessat obligatio celebrandi ; Sin autem cla-

citra culpam Legatarij perierint, tunc onus Missarum deleri debet. Quid in præsenti casu statuendum erit, decernent EE. VV. dum quæritur.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Affirmativè juxta Votum Episcopi.
Reliquæ non propositæ.

PISAUREN. MASSÆ COMMUNIS. Perspecta sane est EE. VV quæstio excitata in Collegiata Ecclesia S. Archangeli Oppidi S. Angeli Pisauren. Diœcesis inter Canonicos institutos a Joanne Baptista de Rubeis, & alios possidentes Præbendas erectas a Petro Corradi. De hujusmodi quæstione actum est in Congregatione habita die 25. *Januarij* currentis anni, in qua demandata fuit institutio Massæ Communis ad formam Bullæ erectionis. Quatuor hac de causa disputata fuerunt dubia, inter quæ dubium III. sic erat conceptum = *An, & pro qua rata fructus, reditus, proventus, & emolumenta prædicta, etiam incerta, cedere debeant in usum distributionum quotidianarum in casu &c.* Huic dubio prædicta die prodiit resolutio = *Affirmativè ad formam Bullæ erectionis, & ad mentem*, quæ fuit, ut exquireretur ab Episcopo, *an adesset dos congrua pro Fabrica Ecclesiæ, & expensis Sacrarij*. *Sess. 21. cap. 3. de Reform.*

Mandatis Sac. Congregationis obtemperans Episcopus refert = *Quod Loci Communitas est obligata propriis sumptibus ad manutentionem Fabricæ Ecclesiæ vigore Testamenti quondam Andreæ Mariæ Giovanetti publicati anno 1699. prout revera semper onus hujusmodi sic assumptum adimplevit ad casuum opportunitates. Adest ulterius pro Fabrica ejusdem Ecclesiæ Legatum in Testamento bon. mem. Joannæ Mariæ Rossi publicato anno 1715., ita ut nec Capitulum nec Canonici quidquam contribuere tenentur. Quo vero ad aliam partem, nec dos, nec ullum assignamentum extat pro expensis Sacrarij; Sed quilibet Canonicus ad formam Constitutionum Capitularium solvit in ejus ingressu scuta decem Ducalia pro una vice tantum, & alia scuta decem similiter quolibet anno, quæ pro sumptibus inserviunt ejusdem Sacrarij; Contributio tamen ista cessare poterit, quatenus EE. VV. a communi Mas-*

Massa distributionum nuper decreta ad formam Bullæ, prius separari præcipiant impensas pro Sacrario.

Præstat hìc referre quid in præsenti casu Capituli Statutum disponat. *In cap.* 12. hæc habentur = *Atteſa la povertà della noſtra Sagreſtia ogni nuovo Canonico dopo il termine di un anno, che averà preſo il poſſeſſo dovrà pagare in mano del Camerlengo ſcudi dieci Ducali quali dovranno interamente impiegarſi in Paramenti Sagri per l'iſteſſa Sagreſtia* = Ulterius in *cap.* 13. ſtatuìtur = *Dovrà il Canonico Amminiſtratore ritenerſi ogni anno dieci ſcudi per ogni Canonico ad effetto di pagarli al Canonico Camerlengo, con i quali danari dovrà ſupplirſi alle ſpeſe, che occorrono alla giornata. Un egual contribuzione dovrà ogni anno nel Meſe di Gennaro farſi per l'iſteſſo effetto da Canonici Roſſi.*

Ponderandum, num Sacrarij manutentioni expediat ſervare modum a Statuto Capituli præfinitum, potiusquam executioni demandare methodum ab Epiſcopo propoſitam. Veſtrum hoc erit Emi PP. definire, & dubio reſpondere.

An, & quomodo ſit providendum in caſu &c.

Seſſ 25. cap. 9. de Reform.

NULLIUS GUASTALLÆ. Paulus de Bonianis in Teſtamento exarato anno 1492. legavit Capellæ S. Jo. Baptiſtæ erectæ in Eccleſia Plebis S. Petri Civitatis Guaſtallæ nonnulla bona ſtabilia, quorum reditus tradi juſſit Sacerdoti, qui in unaquaque hebdomada celebraret ad dictum Altare Miſſas tres, aut ad minus duas, & oraret pro anima ipſius Teſtatoris; Præter hæc, addidit etiam onus celebrandi Miſſam unam cum cantu in Feſto S. Titularis, & Anniverſarium in die ſui obitus cum intereſſentia octo Sacerdotum: Patronatum activum reliquit Marco Ghioſij, ejuſque Hæredibus, & deſcendentibus, & juſſit. *Illud eſſe Beneficium manuale, & non perpetuum, ita quod ipse Marcus, & ejus Hæredes ſemper, & quandocumque ſibi, vel ipſis placuerit, poſſit removere Capellanum ſemel præſentatum, & alium præſenta-*

tare , & eligere , & toties , quoties opus fuerit , & ipſi, vel ipſis placuerit , & prout merita , & demerita talis Capellani , & Sacerdotis exigerent , relinquens hoc onus ſuper conſcientia ipſius Marci , & Hæredum .

Tractu temporis hujuſmodi Capellania in titulum perpetuum conferri conſuevit , & Poſſeſſores a nutu Patronorum non amplius pendere exiſtimarunt , & onera etiam per alium adimplere poſſe putarunt . Nunc autem Benedictus Tiraboſchi Patronus duo poſtulat ab EE. VV. declarari: I. An dicta Capellania reputari ad præſens debeat Beneficium Eccleſiaſticum perpetuum ? II. An ad illam nominandus ſit Sacerdos actu , aut habitu , vel potius conferri poſſit ſimplici Clerico in decimo quarto ætatis anno conſtituto? de his duobus EE. VV. judicium exquiritur .

Ordinarius Ait = *Quod vero ad poſteriorem erectionem dictæ Capellaniæ in titulum, deperditis antiquioribus actis ad præfatam Capellaniam ſpectantibus, nihil certi affirmari poteſt ; Hoc unice conſtat ex actis hujus Abbatialis Cancellariæ dictam Capellaniam per ſeptem continuas vacationes , & ſucceſſivas proviſiones, nempe ab anno 1680. uſque ad ultimam vacationem ſecutam anno 1779., habitam fuiſſe pro Capellania Eccleſiaſtica , ad illamque per Ordinarium inſtitutos ſemper fuiſſe Sacerdotes præſentatos a Patronis , & quandoque etiam Clericos, cum clauſula tamen , quod intra annum ad Sacerdotium promoverentur.* Addit præterea = *Cæterum præfatam Capellaniam uſque ab anno 1605. & etiam ultra, habitam fuiſſe Eccleſiaſticam , & in titulum conferri ſolitam erui non obſcure videtur ab electione per Iſabellam , & Lucretiam Sorores de Ghioſis facta mandantes earum Procuratori de præſentando Clerico Franciſco de Moris ad vacantem Capellaniam cor. celeberrimo Bernardino Baldo, tunc temporis ſub titulo Abbatis, primo Ordinario Guaſtallenſis Eccleſiæ=*

Clemens V. in Clementina *Quia contingit* de Religioſis domibus ſtatuit , quod = *Ea , quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata Fidelium , ad illum debeant , non ad alium , ſalva quidem Sedis Apoſtoſtolicæ auctoritate, converti* = Hinc *Grazia de Beneficiis part. 1. cap. 2. num. 105.* cum aliis Doctoribus ab eo allegatis, inferunt non poſſe ſimplicem laicalem Capellaniam ad ſtatum Beneficii collativi reduci , & male ſe gerere Ordinarios locorum , qui contra Fundatorum voluntatem illas in Eccleſiaſtica Beneficia erigunt , cum in ipſorum Ordinariorum poteſta-

te

te minime fit Decedentium dispositiones invertere. Observat etiam *Pitonius de controvers. Patron. allegat.* 34. *num.* 23., id procedere, etiamsi Ordinarius fecerit erectionem in titulum de consensu Patroni, qui auxit reditus legati; nam hoc augmentum sortitur naturam principalis institutionis; & hanc ob causam licitum non est variare leges in Fundatione præscriptas, & solum Patronus ex illo quod dedit, creare potest Beneficium, non autem miscere cum reditibus legati pil, quod resistente Fundatoris mente in titulum perpetuum erigi non licet.

In *Æsina Capellaniæ* Joa. Jacobus de Ambrosiis die 8. *Octobris* 1695. Capellaniam erexit in Ecclesia S. Ambrosij Castri Rosorij; Patronatum activum certis, & determinatis familiis reliquit, voluitque etiam quod extantibus Presbyteris, vel Clericis ex prædictis contemplatis Familiis, nominatus ad Capellaniam amoveri non posset: in casu vero, quo nullus Clericus, vel Sacerdos ex dictis Familiis adesset, & exteri forent præsentandi, tunc jussit quod nominatus esset amovibilis ad nutum Patronorum. At Episcopus anno 1697. instante Promotore Fiscali, Capellaniam hanc auctoritate Ordinaria instituit in Beneficium perpetuum; Fundatoris hæredes recursum habuerunt ad Sac. Congregationem, in qua disputato dubio = *An erectio Cappellaniæ S. Ambrosij Castri Rosorij ad titulum perpetui Beneficij sit reformanda in Capellaniam amovibilem quoad Capellanos extra familiam Fundatoris ad formam dispositionis ejusdem* die 22. *Aprilis* 1719. prodilt responsum = *Affirmative* = , quæ quidem resolutio confirmata extitit die 26. *Augusti* ejusdem anni.

Ponderandum tamen occurrit quod de anno 1605. vacante dicta Capellania, Isabella, & Lucretia de Ghiosiis ad illam nominarunt Clericum Franciscum Moris, eumque præsentarunt Ordinario Gaustallæ, ut institutionem, & confirmationem obtineret; Ponderandum etiam est, quod ab anno 1680. ad annum usque 1779. septies vacavit dicta Capellania, & in hisce vacationibus præsentati a Patronis, institutionem habuerunt a Curia Ecclesiastica, quæ semper indulta est cum Clausula, quod infra annum ad Sacerdotium promoverentur. Videndum hinc, an ex hac multiplici actorum serie, immutata dici possit qualitas Capellaniæ, suamque amovibilitatem amiserit, & naturam Beneficij Ecclesiastici, & Collativi assumpserit.

Sa-

Sane in Cap. *Cum de Beneficio de Præbendis in* 6. ſic diſponitur *cum de Beneficio Eccleſiaſtico conſueto Clericis Sæcularibus aſſignari, provideri mandatur, de illo debet intelligi, quod tanto tempore ab uno, vel pluribus Sæcularibus Clericis inſtitutis in eo Rectoribus extitit continue, ac pacificè gubernatum, ut præſcriptio legitime ſit completa, & ſi ante vel poſt Religioſi quicumquè miniſtraverint in eodem* = Hujus Canonis auctoritati innixus *Piton. de cont. Patronorum allegat.* 35. *num.*5. ſuſtinet, quod ad immutandum ſtatum Capellaniæ laicalis in Beneficium Eccleſiaſticum requiritur quadraginta annorum præſcriptio; idque etiam quoque tuetur *Barboſa Juris Eccleſ. lib.*3. *cap.*5. 12., ubi refert aliorum Doctorum Sententiam, qui tenent poſſe Capellaniam profanam fieri Eccleſiaſticam, ſi per tempus quadraginta annorum ter, quaterque, aut etiam bis conferatur, ut Beneficium.

Hæc de I. dubio; quod vero ad II. attinet, præſtat animadvertere Teſtatorem demandaſſe, quod ejus hæredes nominarent *Sacerdotem, qui Sacerdos celebrare teneatur ſingula hebdomada ad dictam Capellam Miſſas tres, aut duas ad minus* = Sane Capellanias vel Beneficia ſimplicia obtinentes non tenentur Sacros Ordines ſuſcipere, niſi aliter in fundatione cautum fuerit; In caſu quo Teſtator in Fundatione præſcripſerit, quod *inſtitueretur Capellanus qui Miſſas celebret*, vel eligatur *Capellanus*, vel *Sacerdos*, tunc *Ferrarius in ſua Bibliot. verb. Capellania num.*20., & 21., tuetur Beneficium, vel Capellaniam non eſſe Sacerdotalem, & poſſe conferri Clerico quatuordecim annorum, quia hoc modo cenſetur Teſtatorem indicare potius voluiſſe onus celebrationis Miſſarum, quam Capellani qualitatem, *Fagnan. in Cap. Ut Abbates de ætate, & qualit. præficiendorum num.*70. Sin autem in fundatione mandatum fuerit, *Ut præſentetur, aut inſtituatur Sacerdos, vel Capellania conferatur Sacerdoti*, hiſce in circumſtantiis advertit *Lambertin. de Jurepatron. part.*1. *lib.*2. *quæſt.*7. *art.* 29. nominandum eſſe vel Presbyterum, vel Clericum, qui infra annum ad Sacerdotium promoveri poſſit. Perpenſis igitur tum teſtamentariis tabulis Pauli de Bonianis, tum ſubſecuta in nominationibus obſervantia, Dignabuntur EE. VV. definire.

I. *An Capellania inſtituta a Paulo de Bonianis ſit Beneficium Eccleſiaſticum in caſu &c.*

II. *An ad dictam Capellaniam nominandus sit Sacerdos actu, vel habitu, seu potius conferri possit simplici Clerico in decimo quarto ætatis anno constituto in casu &c.*

Sess. 22. cap. 8. de Reform.

TUDERTINA. Aderat ab antiquo tempore in Civitate Tuderti Sodalitium sub invocatione S. Joannis Decollati nuncupatum *la Misericordia*, cujus Confratres anno 1668. aliam instituerunt Congregationem *della Misericordia per le Anime del Purgatorio*. Inter onera istius Congregationis illud recensetur, quod secuto obitu alicujus Confratris, quilibet Sodalis, infra terminum dierum quindecim, teneretur unam Missam celebrare facere in suffragium defuncti Confratris. De Sodalium vero delectu cautum legitur, quod nullus in Congregatione admitteretur, nisi prius Sodalitio S. Jo. Decollati nomen dedisset. Die 3. *Decembris* anni 1780. celebratæ fuerunt Comitia Sodalitij S. Joanni Decollati, in quibus statutum fuit = *Di non ammittere per Fratelli quei Soggetti maggiori di anni quaranta compiti per l'eguaglianza de suffragi*. De hujusmodi Statuto conquesti sunt apud Sac Congregationem Tobias Tobioli, & Joa. Mattheus Lalli cives Tudertini, qua ratione majoris ætatis, ipsi admitti non potuerint. Quæ de re videndum, an capta quoad ætatem admittendorum Confratrum resolutio sustineatur.

Inquiunt ipsi, Confratribus S. Jo. Decollati juxta erectionis statutum haud licere quempiam ab eorum consortio rejicere, nec novas leges condere posse, nisi = *per qualche nuova, ed urgente causa con ferma deliberazione del Priore, dei Discreti, e della maggior parte delli Fratelli* =; Nullam vero adesse causam, ut rejiciantur ij, qui quadragesimum annum excesserint, nec resolutionem illos rejicientem fuisse captam a majori Sodalium parte, cum ex nonaginta Sodalibus, vigintiquatuor tantum Comitiis interfuerint: hinc inferunt non sustineri, quæ de Sodalium ætate præfinita fuerunt. Advertunt præterea, recenti hac constitutione demptam esse Sodalibus facultatem

tem recipiendi in Sodalitio aliquem Concivem, qui propter ſpectatam religionem, pietatem, aut aliam peculiarem cauſam recipi mereretur, quod quidem Confraternitati præjudicium afferet. Cæterum notant legem hanc retinendam ſolummodo eſſe quoad Congregationem Suffragij, nequaquam vero quoad Sodalitium S. Jo. Decollati, quia quoad hoc Sodalitium ceſſat finis, ex quo lex illa indicta fuit.

Perperamque objici, quod Confraternitas S. Jo. Decollati ſit penitus extincta, vel ſaltem Congregationi Suffragij unita permanſerit, itaut ex duobus Sodalitiis, unum dumtaxat ad præſens habeatur: Reſpondent enim nullum interfuiſſe extinctionis, aut unionis decretum, quod omnino intereſſe debebat, ut ambo ex Confraternitates unirentur. Animadvertunt etiam Privilegiis, Indulgentiis, aliiſque prærogativis Sodalitio S. Jo. Decollati conceſſis adhuc ipſum frui, & gaudere, quodque illud iis Privilegiis, & Indulgentiis, & prærogativis frui, & gaudere non poſſet, ſi peremptum, & extinctum omnino eſſet.

Contra vero, qui Sodalitij S. Jo. Decollati cauſam agit advertit primum, Adverſarios non eſſe legitimos hujus cauſæ contradictores, cum ipſi Confratres non ſint, & propterea a judicii limine eſſe rejiciendos; Intrinſecus vero de meritis cauſæ agendo, tuetur reſolutionem de non admittendis Confratribus, qui quadrageſimum ætatis annum expleverint æquitati, & juſtitiæ conſonam eſſe, cum inter præcipua Congregationis inſtituta recenſeatur onus celebrari faciendi unam Miſſam in obitu uniuſcujuſque Confratris: onus hujuſmodi inæquale futurum, ſi nulla habita ætatis ratione, in Congregatione admitterentur; Qui enim in florida ætate admiſſi fuiſſent, majori Miſsarum numero gravarentur, quam qui in ætate provecta fuiſsent adlecti; Ad ſervandam igitur inter Confrates æqualitatem, juſtam captam fuiſſe reſolutionem; Et hanc quidem reſolutionem conformem eſſe aliarum Tudertinæ Civitatis Confraternitatum Statutis.

Nec dici poſſe, quod Congregatio Suffragij ſejuncta prorſus ſit a Sodalitio S. Jo. Decollati, nec quoad illud vim habere, quæ quoad illam ſtatuta ſunt. Nam licet ab initio, & Congregatio, & Sodalitium ſejuncta fuiſsent, modo vero in unum ſunt unita. Siquidem una eſt Confratrum Tabella; Iidem Officiales, & Confraternitatem, & So-

dalitium regunt, & ipsorum bona administrant. Nec recte dubitari posse, vel de Sodalium facultate in novis condendis legibus, vel de nullitate editæ resolutionis ob deficientiam partis majoris Confratrum; nam unicuique Sodalitio liberum est leges condere, aliasque de novo addere, quæ ad Confraternitatis regimen aptæ, & utiles visæ fuerint. Quæ autem a minori parte præfinita sunt, sustineri utique debere, cum omnes Sodales ad interessendum Comitiis fuerint legitime vocati.

Episcopus, licet requisitus, suam proferre recusat sententiam, & quæstionis decisionem judicio Sac. Congregationis relinquit.

In hac igitur contentione viderint EE. VV. quid respondendum sit dubio, quo quæritur.

An resolutio diei 3. *Decembris* 1780. *quoad ætatem admittendorum Confratrum sustineatur in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 31. Maij 1783. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

DE cauſis primo loco relatis differit Folium præcedentis Congregationis, quod opportune reſumi poterit: De aliis vero in præſenti Folio expoſitis Emi PP. dijudicabunt.

PISAUREN. MASSÆ COMMUNIS. *Seſſ. 21. cap. 3. de Reform.*

An, & quomodo ſit providendum in caſu &c.

Quoad fabricam ſatis proviſum; quo vero ad expenſas Sacriſtiæ ſerventur Capitula 12., & 13. Statutorum.

NULLIUS GUASTALLÆ: *Seſſ. 25 cap. 9. de Reform.*

I. *An Capellania inſtituta a Paulo de Bonianis ſit Beneficium Eccleſiaſticum in caſu &c.*

II. *An ad dictam Capellaniam nominandus ſit Sacerdos actu, vel habitu, ſeu potius conferri poſſit ſimplici Clerico in decimo quarto ætatis anno conſtituto in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè.

Ad II. Affirmativè ad primam partem: Negativè ad Secundam.

TU-

Sess 22. cap.8. de Reform.

TUDERTINA.

An resolutio diei 3. Decembris 1780. quoad ætatem admittendorum Confratrum fastineatur in casu &c.

Dilata.

Sess. 24. cap.6. de Reform.

ADRIEN. IRREGULARITATIS. Gregorius Donato in Civitate Rhodigij ex Parentibus Judæis natus, quinque ab hinc annis Sacro Regenerationis Lavacro Venetiis ablutus, a duobus annis in Seminario Adrienſi commoratur. Cum autem Eccleſiaſticæ Militiæ nomen dare cupiat, & in vigeſimo ſecundo ætatis anno ſit conſtitutus, ſupplex implorat diſpenſationem ab Irregularitate. Preces Oratoris SSmo Domino Noſtro oblatæ, Sac. huic Congregationi remiſſæ ſunt, & quæritur hodie ab EE, VV. quid hac ſuper re ſentiendum ſit.

Epiſcopus refert Oratorem = *in Hebraiſmo ortum in Civitate Rhodigij, in eaque in præſens etiam commorantem, quinque ab hinc annis ad Sacrum Baptiſmatis Fontem elevatum Venetiis in privilegiato loco Cathecumenorum, & duobus ab hinc annis Alumnum hujus Seminarij humanis litteris operam diligentiſſimè navantem, ætatis ſuæ modo annorum viginti duorum circiter, optimis moribus imbutum eſſe, pietate, Sacramentorum frequentia, & Religionis fervore præſtantem, ideoque dignum, qui a S. Apoſtolica Sede ſuper hujuſmodi Irregularitate clementer in Domino diſpenſetur, ita ut Deo adjuvante in Clericali militia adſcribi, & ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines promoveri poſſit.*

Neminem latet Neophytos, id eſt recenter ad fidem converſos, ab ipſis Catholicæ Eccleſiæ primordiis inter Sanctuarij Miniſtros minime potuiſſe cooptari. Apoſtolus Paulus *in Epiſt. 1. ad Timoth. 3.* vetuit in Epiſcopum Ordinari Neophitum *ne in ſuperbiam elatus in judicium incidat Diaboli* = *In can. 80.* qui Apoſtolici dicuntur, habetur= *Eum, qui ex vita gentili acceſſerit, & baptizatus fuerit, vel*

vel ex improba vivendi ratione, non eſt æquum protinus Epiſcopum fieri; Iniquum eſt enim, ut, qui ſui nondum experientiam oſtenderit, ſit aliorum Magiſter, niſi forte hoc divina gratia fiat = Id ipſum confirmatur in *can.* 10. *Concilij Sardicenſis anni* 345., in quo ſtatuitur = *Conveniens non eſt, nec ratio, vel diſciplina patitur, ut temere, vel leviter ordinentur, aut Epiſcopus, aut Præsbyter, aut Diaconus, qui Neophytus eſt . . . . ſed hi quorum per longum tempus examinata ſit vita, & merita fuerint comprobata.*

Ex his tamen inferri poſſe videtur, quod in Neophytis nulla adeſt irregularitas ad effectum ſuſcipiendi Ordines, ſi poſt converſionem optimum vitæ ſpecimen oſtenderint, & morum ſuavitate, ac virtutum meritis indubium de conſtanti in Catholica Religione perſeverantia, & futuro Eccleſiæ ſervitio teſtimonium præbuerint; Et revera *Concilium Nicenum I.* celebratum anno 325. *can.* 2. non alia de cauſa prohibet Neophytos, ſeu novos baptizatos ad Sacerdotium promoveri, niſi quia nempe multo tempore opus eſt, ut novus baptizatus probetur antequam ad ſtatum Eccleſiaſticum recipiatur. Alexander III. *in Cap. Eam ſe de reſcriptis* ſcribens Epiſcopo Tornacenſi, inter Canonicos recipi juſſit, qui ex Judaiſmo ad Catholicam Fidem converſus erat = *Dudum ſiquidem* [ſunt verba ejuſdem Pontificis) *ante tuam promotionem litteræ a nobis* (*ſi bene meminimus*) *emanarunt, quibus Decano, & Eccleſiæ tibi commiſſæ* (*te adhuc in eodem Capitulo exiſtente*) *mandatum dedimus, & præceptum, ut P. (qui de genere Judæorum originem duxit, & divina gratia Fidem Chriſti ſuſcepit] in Canonicum reciperent, & Præbendam ſibi conferre deberent, ... Pro eo quod Judæus extitit, ipſum dedignari non debes.*

Conſona eſt Canoniſtarum opinio, & præſertim *Covarr. in Clement. Si furioſus part.* 1. §. 2. *num.* 8. *concluſ.* 3. *Sanchez in Summ. lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 11., & *Gonzalez ad d. caput Eam te de reſcript. a num.* 7. *ad* 11., qui tuentur quod ad Fidem converſi, ſi diu in Catholica Religione ſint converſati, boniſque moribus, & eccleſiaſticis diſciplinis imbuti, a Sacris Ordinibus, Præbendis, cæteriſque Eccleſiæ Dignitatibus non ſint repellendi. Nec defuerunt Doctores, quos inter *Abbas in Cap. Ad decorem n.* 4. *de inſtit. Salorzan. de jure Indiarum tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 3

num. 3. *Pegas de competentia inter Archiepiſcopum , & Nuntium part.* 3. *cap.* 1. §. 6. *num.* 16. , qui irritas eſſe putarunt Synodales Conſtitutiones in quibus ab Ordinibus , & Beneficiis arcentur Neophyti , & ab ipſis deſcendentes .

In *Charchien.* Epiſcopus Ordines conferre renuebat deſcendentibus ab Indis , ſeu ut vocant a *Mulatis* ; Sac. Congregatio,ad quam hujus rei examen commiſſum fuit,die 13 *Februarij* 1683. cenſuit = *Supplicandum eſſe SSmo , quatenus Indiarum Epiſcopos animadvertat,Indos , & Nigros, omneſque ab eis per Paternam , vel Maternam lineam deſcendentes nullo jure ab Ordinum,aliorumque Sacramentorum receptione arcendos eſſe , dummodo cætera per Sacros Canones requiſita habeant lib.* 33. *Decret. pag.* 19. Et in *Ulyſiponen. Ordinationis* . Cum Franciſcus Gomez de Britto reclamaſſet adverſus Archiepiſcopum , qui detrectabat eidem conferre Ordines , quia a Mauris trahebat originem , afferens hoc vetitum eſſe ſuis Synodalibus Conſtitutionibus ,& ſupplex inſtetiſſet Franciſcus pro facultate recipiendi Ordines a quocumque Epiſcopo , diſputato Dubio = *An Oratoris precibus ſit annuendum* = die 13. *Januarij* 1685. reſpondit = *In caſu de quo agitur Conſtitutiones Synodales non obſtare lib.* 35. *decret. pag.*28.

Verum animadvertendum eſt , quod Neophyti ſemper cum cautela , & delectu ad Ordines fuerunt admiſſi , nec unquam inter Sacros Eccleſiæ Miniſtros ſunt cooptati , niſi antea certum ſuæ vitæ teſtimonium dederint ; Quantum vero temporis decurrere debeat , ut hoc teſtimonium præbeant , non una eſt Doctorum ſententia : Alij unum annum ſatis eſſe putant : Alij biennium requirunt. *S. Gregorius Magnus Oper. tom.* 2. *col.* 1056. *lib.*10. *indict.* 3. *epiſt.* 24. *relat. in cap.* 6. *quæſt.* 19. Converſos ad Religionem vetuit ordinari priuſquam *biennium in converſione compleant* . Alij putant debere labi decennium : Demum *Covarruvias , Gibellin. de Irregularitate cap.* 3. *quæſt.* 3. *Corrad. in praxi diſpenſat. lib.* 3. *cap.*7. *num.*2., & 3. *Suarez de cenſuris diſput.* 43. *ſect.* 3. *conſult.* 2. *nu.*6. ſuſtinent , quod cum nullum a jure tempus præfinitum ſit , id relinquendum eſſe arbitrio Epiſcopi , cujus eſt judicare de virtute , & firmitate eorum , qui ad fidem converſi ſunt , ut illis Eccleſiaſtica Miniſteria tuto committi poſſint .

rum

In *Melevitana* Joan. Baptiſta Simon Viver ortus e Patre, e Matre Turcis in infantili ætateSacro Regenerationis Lavacro fuerat ablutus, indeque ab Epiſcopo Melevitano ad Preſbyteratus Ordinem promotus, & Beneficio Eccleſiaſtico proviſus. Cum a Dataria Apoſtolica aliud Beneficium fuiſſet aſſecutus, quæſitum fuit a S. Congregatione an indigeret abſolutione cum rehabilitatione ad Ordines, & nova Beneficiorum proviſione. Propoſitis dubiis *I. An Orator indigeat abſolutione cum rehabilitatione ad Ordines II. An indigeat nova proviſione Beneficiorum, & quatenus affirmativè III. An eidem indulgenda ſit abſolutio cum rehabilitatione ad Ordines cum nova Beneficiorum proviſione*. Die 13. *Auguſti* 1718. reſponſum fuit *Ad I. Negativè. Ad II. Negativè ad III. Proviſum in duobus præcedentibus dubiis. In Pragen.* = Franciſcus BolousKi a Capitulo Pragenſi ad Beneficium cum cura animarum nominatus fuerat. Cum autem a Parentibus Judæis originem duxiſſet, & in ætate duorum annorum ad Fidem Catholicam perveniſſet, petiit diſpenſationem ab Irregularitate. Die 12. *Maij* 1759. reſcriptum fuit = *Non indigere diſpenſatione* =

Hæc animadvertenda erant in caſu de quo agitur, ſupereſt modo, ut Eminentiſſimi PP., qua ornantur juris Eccleſiaſtici peritia, reſpondeant ad dubia, quæ proponuntur.

I. *An conſtet de Irregularitate in caſu &c.*
Et quatenus affirmativè.

II. *An ſit locus diſpenſationi in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè.

Ad II. Affirmativè, nempe eſſe locum diſpènſationi Arbitrio Epiſcopi.

SABINEN. Oppidum Ereti in Sabinis, quod vulgo dicitur *Monte Rotondo*, habet Collegiatam Eccleſiam auctoritate ſan. mem. Urbani VIII. erectam, & Divæ Mariæ Magdalenæ dicatam. Ex lege erectionis omnes *Seſſ. 22. cap. 4. de Refor m.*

Præbendæ ſunt Presbyterales, iiſque conferri debent; qui ſint actu Presbyteri, vel ſaltem infra annum ad Presbyteratum poſſint promoveri. Inter Collegiatæ Canonicos anno 1772. cooptatus fuit, ex præſentatione Ducis Grillo, Cæſar Sola Clericus Mutinenſis, cum diſpenſatione tam ſuper defectu ætatis, quam ſuper residentia causa ſtudiorum, donec Presbyteratum fuiſſet aſſecutus, ſed cum onere ſubſtituendi alium Presbyterum, qui pro ipſo Choro interveniret.

Die 31. Decembris anni nuper elapſi, habita fuerunt Comitia pro deputatione Officialium Capituli, & Canonicus Sola electus fuit Camerarius Sacrarij; ſed ob ejus abſentiam ſubſtitutus fuit Sacerdos Hilarius Palandini, ad ſubeunda Canonicatus munia ab eo ſubrogatus. Electionem impugnat Canonicus Curius Pienezza, propoſitis dubiis ab EE. VV. definiendis.

Ad I. Inquit, nullam eſſe electionem Canonici Sola, qui Subdiaconus non eſt, prout neceſſe foret, ut habeat vocem in Capitulo, nec exercere poſſe Officia Capituli, qui non habet jus ferendi ſuffragium in Capitulo; Multoque minus exercere poſſe officium Camerarij, quod perſonalem reſidentiam, & aſſiſtentiam requirit.

Ad II. Advertit, tum ex Juris diſpoſitione, tum ex Collegiatæ Statuto teneri Capitulares Camerarium eligere de gremio Capituli. Subſtitutum a Canonico Sola eſſe ſimplicem Presbyterum, nec inter Capitulares cooptatum; hinc admittendum non eſſe ad exercendum Camerarij officium. Nec ullum præſidium deſumi poſſe ex facultate tributa Canonico Sola deputandi Subſtitutum, cum ſubſtituendi facultas tributa fuerit pro ſervitio Chori, nec trahi poſſit ad exercenda munera Capituli, exemplo Coadjutoris, qui Officia Capituli, pro Coadjuto exercere non poteſt.

Ad III. Contendit, ipſum ſubire expenſas præſentis litis, ut jura Capituli tueatur, & propterea relici debere ab iis, qui conſenſerunt in electionem Canonici Sola, utpote quia liti cauſam dederunt, & in præſenti cauſa ſunt contradictores.

Ex parte Capitularium, qui Canonicum Sola, elegerunt nihil hactenus deductum eſt.

Emus Epiſcopus in ſua relatione exponit diſpoſitionem Concilij Tridentini, cujus vigore ſuffragium in Capitulo

lo habere non poteſt, qui in Sacro Subdiaconatus Ordine non ſit conſtitutus. Demum ſic proſequitur=*Quoad Canonicum Sola res videretur confecta: Necnon confecta videretur quoad ejus Subſtitutum, quia ex conſtanti conſuetudine ſervata etiam in Baſilicis Urbis Coadjutores cum futura ſucceſſione, qui majus jus certe habent, quam ſimplex temporarius Subſtitutus, ad Officia Canonicalia promoveri non poſſunt* =. Poſt hæc addit = *Sed replicant Canonici, qui hanc electionem defendunt, quod hic non agitur de voce activa, ſed paſſiva, non agitur de Officio honorario, ſed de Officio miniſteriali, non agitur demum de Subſtituto ſimplici, ſed de Subſtituto electo in vim facultatum abtentarum a Pontifice*= Sed hujus quæſtionis deciſionem judicio EE.VV. ſubmittit.

Clemens V. in Clementina *Ut ii, de ætat., & qualit. præficiendorum* ita diſponit = *Vt ii, qui divinis in Cathedralibus, vel Collegiatis Sæcularibus, vel Regularibus Eccleſiis ſunt mancipati Officiis, vel mancipabuntur in poſterum, ad ſuſcipiendos Sacros Ordines propenſius inducantur; Statuimus, ut nullus de cætero in hujuſmodi Eccleſiis vocem in Capitulo habeat (etiamsi hoc ſibi ab aliis libere concedatur) niſi ſaltem in Subdiaconatus Ordine fuerit conſtitutus*. Quod a Clemente V. ſancitum eſt, confirmavit poſtea Concilium Tridentinum *Seſſ. 22. cap. 4. de reform.* Advertit *Barboſa ad dictum caput Concil. Trident. num. 5.*, quod Canonici in Eccleſiis Collegiatis, licet poſſint recipi in ætate quatuordecim annorum, vocem tamen in Capitulo non habent, quouſque ad annum vigeſimum ſecundum non pervenerint, & Sacrum Subdiaconatus Ordinem non ſuſceperint.

Ex mente Sac. Congregationis, Canonici, qui Ordinem Subdiaconatus non habent, nec præſcriptione acquirere valent jus ferendi ſuffragium in actibus Capitularibus, ut definivit in *Bononien. 27. Martij* 1602. Ad II. dubium, in quo ſic reſpondit = *Hujuſmodi Canonicum donec in Sacris fuerit conſtitutus, vocem in Capitulo non habere, neque id præſcribere potuiſſe; atque ne in Capitulum ſuffragia ferat ab Epiſcopo eſſe prohibendum; Immo a Canonicis nequaquam eſſe ad id admittendum* = *lib. 10. decret. pag. 27.* Immo, qui Canonicatum poſſidet, cui non ſit adnexum onus ſuſcipiendi Sacros Ordines, ſuffragium in Capitulo ferre non poteſt, niſi in Ordine Sub-

diaconatus sit constitutus. Sic resolutum fuit in *Romana vocis in Capitulo*, ubi quæstio promota est inter Canonicos S. Mariæ in Cosmedin, cujus Canonicatus ex institutione conferri possunt, etiam iis, qui prima tantum Tonsura sunt insigniti, & disputato dubio = *An Canonici Clerici Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ in Cosmedin intervenire possint in Capitulo, ibique habere vocem activam in casu &c.* Die 22. *Julij* rescriptum fuit = *Posse intervenire, sed non habere vocem.*

Disputant tamen inter se Doctores, an prohibitio ferendi suffragium in Capitulis indicta Canonicis, qui in Sac. Subdiaconatus Ordine non sunt constituti, præseferat etiam privationem vocis passivæ, ita ut ad nullum officium eligi possint. Affirmativam sententiam sequuntur = *Navar. conf. 6 de Verb. signif. Lessius de Just. & Jur. lib. 2. cap. 34. n. 25. Malfes. tract. 6. cap. 16. n. 34.* Contrarium vero tuentur. *Piasec. in prax. part. 12. cap. 3. n. 7. Garz. de Benefic. part. 3 cap. 4. n. 5. Barbosa de Canonicis cap. 17. n. 18.* In hac opinionum varietate animadvertere præstat, quod in Folio causæ *Romana vocis in Capitulo*, quæ nuper relata est, legitur quædam resolutio S. Congr. Visitationis Apostolicæ diei 3. *Decembris* anni 1663. his concepta verbis = *In Sacro Subdiaconatus Ordine non constituti, vocem in Capitulo non habent, etiamsi ab aliis fuerit libere concessum juxta Constitutionem Viennensis Concilij a Tridentino innovatam, quæ incipit Ut ii; Cæterum hanc prohibitionem habere locum in voce activa dumtaxat, non autem in passiva.*

Sustinet *Barbosa in d. cap. 17. de Canon., & Dignit. numer. 13.* Canonicum, qui obtinuit dispensationem Apostolicam, ut in ætate sexdecim annorum, vel in alia sufficienti Canonicatum in Cathedrali assequi possit, lucrari nedùm fructus Præbendæ, verum etiam vocem in Capitulo habere. Sac. Congregatio die 13. *Januarij* 1629. in causa *Montis Politani* = respondit = *Secundum ea, quæ proponuntur Oratorem vocem in Capitulo habere, & distributiones quotidianas, dum divinis Officiis interest, lucrari, ita tamen ut Ordinem sacræ Præbendæ adnexum cum ad ætatem legitimam pervenerit suscipiat lib. 14. decret. pag. 6. Et in S. Miniatis* Carolus de Ansaldis in ætate annorum quindecim provisus, & dispensatus a san. me. Vrbano VIII. ad Canonicatum obtinendum in Cathedrali, pe-

petiit declarari, an vocem in Capitulo haberet; & distributiones quotidianas, dum divinis Officiis interesset, lucrari posset, & Sac. Congregatio die 15. *Septembris* ejusdem anni 1629. respondit = *Secundum ea quæ proponuntur, Oratorem vocem in Capitulo habere, & distributiones quotidianas dum Divinis Officiis interest lucrari d. lib.* 14. *decret. pag.* 118.

Quod attinet ad II. dubium = *Scarfanton. ad Ceccoper. Lucubrat. Canonical. lib.* 4. *tit.* 3. *a num.* 11. *ad* 56. cum aliis ibi adductis tuetur, Canonicum, qui ob distantiam, infirmitatem, vel aliud impedimentum, interesse per se non potest in Capitulo, si in loco residentiæ existat, Procuratorem posse constituere ad ferendum suffragium, ne dum in electionibus, verum etiam pro aliis expediendis negotiis capitularibus, dummodo tamen Procurator sit de gremio Capituli; quia interest ne Capituli secreta patefiant. Videndum an a pari id procedat in exercendis Capituli, Muneribus. De Coadjutoribus in una *Narnien.* die 20. *Martij* 1649. hæc habentur = *Sac. Congregatio partibus auditis, & rationibus hinc inde deductis mature perpensis, censuit Canonicos Coadjutores, etiam Coadjutis absentibus, non posse Capitulis interesse, nec in illis votum dare, nec Officium nuncapatum Anfiano della Chiesa exercere, nisi ista in litteris Apostolicis Coadjutoriæ explicitè exprimantur, & expressè concessa ibidem legantur lib.* 18. *decret. pag.* 596.

In Litteris Apostolicis provisionis Canonicatus factæ Canonico Sola, dum de Substituto sermo est, ita disponitur = *Nos enim præfato Cæsari, ad hoc ut ipse litterarum studia per eum incepta prosequi possit, & donec Presbyter existat, ut a præfata Collegiata abesse possit, deputato tamen interim Presbytero Sæculari idoneo cum congrua, qui pro eodem Cæsare apud dictam Collegiatam Ecclesiam personaliter residere, & in ea singulis diebus, & statis temporibus Horas Canonicas diurnas, & nocturnas, ac Missas & alia divina Officia, & Servitia recitare, persolvere, & celebrare, iisque interesse, ac alias eidem Ecclesiæ in divinis deservire teneatur, Apostolica auctoritate præfata tenore præsentium concedimus, & indulgemus.* Ponderandum, an Indultum protrahi, & intelligi etiam possit de exercitio Munerum, ita ut a Substituto adimpleri possint.

De-

Demum quoad III. Dubium, non abs re erit perpendere resolutiones editas in *Ferrarien. Confraternitatis* 14. *Septembris* 1782. ad XI. dubium, & in *Narnien. juris interessendi, & votandi* 8. Februarij currentis anni ad II. dubium. Post hæc dignabuntur EE. VV. decernere.

I. *An sustineatur electio in casu &c.*

Et quatenus affirmativè

II. *An Officium Camerarij exerceri possit a Substituto in casu &c.*

III. *An, & qui teneantur ad expensas litis in casu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius.

Ad II. Negativè, & amplius.

Ad III. Teneri Archipresbyterum, & Canonicos, qui consenserunt liti.

Sess. 21. *cap.* 4. *de Reform.*, & *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.*

REATINA DISMEMBRATIONIS, ET JURIS DECIMANDI. Cum Territorium Oppidi Castri Franchi esset angustum, ampliatum fuit ab ipsamet Civitate Reatina, quæ partem sui Territorij dicto Castro adjunxit; & hæc portio, Territorium adjunctum Castri Franchi nuncupari cæpit. Oppidum distat quatuor circiter Milliaribus a Civitate Reatina, illiusque Archipresbyter finitimas habet Parochiales Ecclesias SS. Eusanij, Leopardi, & Donati ejusdem Civitatis, quorum Parochi jurisdictionem suam, etiam extra Civitatis mœnia, protendunt: Has inter Parochias, & alteram Castri Franchi nulla aderat Confinium divisio quoad partem Territorij adjuncti, & cura animarum promiscuè exercebatur.

Episcopus Reatinus, dum die 5. Maij anni 1781. in præfato Oppido Sacram Visitationem ageret, Parochiarum Confinia præfinire curavit; declaravitque spectare ad Archipresbyterum Castri Franchi jurisdictionem per totum Territorium adjunctum juxta descriptionam a Peritis factam, Parochis vero SS. Eusanij, Leopardi, & Donati assignavit Domos rurales existentes prope Civitatem Re-

Reatis, in descriptione non comprehensas; Ut autem decretum prædictum suam in posterum haberet firmitatem, Sacerdos Hyeronimus Inciocchi Archipresbyter Castri Franchi petiit illius confirmationem a Sac. Congregatione, & audito prius Episcopo, & annuentibus Parochis *SS.* Eusanij, Leopardi, & Donati, die 28. *Julij* anni 1781. sequens prodiit rescriptum. *Attento consensu trium Parochorum interesse habentium, necnon dispositionem Sac. Concilij Tridentini sess. 24. cap. 13. de Reform., Pro approbatione decreti lati in Sac. Visitatione ab Episcopo Reatino die 5. Maij* 1781.

Hanc divisionem, tanquam minus recte factam acriter impugnarunt Joseph, & Carolus Stola possidentes prædium in Territorio adjuncto Castri Franchi: Conquestus est etiam illius Archipresbyter de renuentia Colonorum dictorum Stola, qui post editum ab Episcopo decretum decimas persolvere renuerunt. Ad hæc dissidia componenda, bina proponuntur dubia ab EE. VV. hodie resolvenda.

Ad I. inquiunt Fratres Stola, Prædium, quod ipsi possident in Territorio adjuncto Castri Franchi, eorumque Colonos nunquam sub Parochia d. Castri, sed sub altera Parochia S. Eusanij fuisse comprehensos, idque probare ex libris status animarum illius Parochiæ, in quibus Coloni ejusdem Prædij descripti leguntur; Insuper probari ex Matrimoniis coram eodem Parocho celebratis, ac demum ex administratione Sacramentorum a præfato Parocho exercita. *Addunt* Parochiarum dismembrationes, tunc solum fieri posse, quando animarum cura id expostulet; Nullam vero interfuisse justam causam statuendi hujusmodi dismembrationem, & propterea decretum sustineri non posse.

Expendunt post hæc singula rationum momenta ab Episcopo adducta ad dismembrationem statuendam, atque illa nec in facto, nec in jure subsistere contendunt; Non subsistere ex causa distantiæ Ecclesiæ Parochialis S. Eusanij: nam advertunt alias extare Parochias in Civitate Reatis, quæ extra Urbem ad plura milliaria jurisdictionem protendunt; Ipsorum vero Prædium magis finitimum esse Ecclesiæ S. Eusanij, quam Parochiali Castri Franchi; & hac in re advertunt, non quamlibet distantiam esse justam dismembrationis causam, sed eam solum, quæ maxima sit, & propter iter asperum, & impervium Po-

Populum retrahat ne ad Parochialem possit accedere: nam si in ruralibus Paræciis, ratione distantiæ ad dismembrationem deveniendum esset, tot forent ædificandæ Ecclesiæ, quot sunt Rusticorum Domus huc illuc per agros dispersæ. Non subsistere difficultatem ingrediendi Urbem noctis tempore: nam licet Civitas Reatina Mœnibus undique vallata sit, & sero Portæ claudantur, præsto tamen adest Janitor, qui illas aperit, & possunt Parochiani in aliquo neceffitatis casu proprium adire Parochum, qui illorum indigentiis occurrat, & hoc solatium præbere etiam posse Religiosos Reformatos, & Capuccinos, quorum Cœnobia sita sunt extra Civitatem.

Nec attendendum esse consensum a Parochis SS. Donati, Leopardi, & Eusanij dismembrationi præstitum: nam in statuendis Parochiarum dismembrationibus, ultra Parochi consensum, convenire etiam debent Parochiani, qui non consenserunt, neque unquam consentient, ne destituantur subsidiis dotalibus, & eleemosynis Civibus Reatinis distribuendis, & quorum participes erant, dum Parochiis Civitatis adscripti erant.

Ad 11. contendunt, quod sublato dismembrationis decreto, immunes erunt ipsorum Coloni a Decimarum præstatione, quæ solum debentur ratione administrationis Sacramentorum; Verum advertunt, quod licet dismembrationis decretum sustineri posset, adhuc tamen prædicti Coloni, Decimas rependere non tenerentur, cum Decimæ debeantur solum ab iis, qui sunt de Territorio Castri Franchi, & persolvuntur vigore transactionis ab Archipresbytero cum Communitate initæ. Prædium vero, de quo disceptatur, nec esse in Territorio Castri Franchi, nec in Transactione comprehensum.

Ex alia vero parte Archipresbyter Castri Franchi advertit, in Territorio, quod adjunctum eidem Castro dicitur, Sacramenta indistincte fuisse ministrata, tum ab Archipresbyteris dicti Castri, tum a Parochis SS. Leopardi, Donati, & Eusanij Reatis; hanc vero promiscuam Sacramentorum administrationem, & Animarum Curæ præjudicium afferre, & Sac. Concilij Tridentini dispositioni adversari, & idcirco provisum esse per decretum ab Episcopo in Visitatione editum; Quare contendit decretum sustineri debere; Maxime quia Incolæ Territorij adjuncti Castri Franchi plurimum distant a Civitate Reatis, & difficilis

est

eſt ad illam acceſſus, tum ob iter aſperum, & impervium, tum etiam quia noctis tempore Civitatis Portæ claudun-tur, & in aliquo neceſſitatis caſu non ita facile patet aditus ad Parochum, ut ipſis Sacramenta miniſtret, & quandoque eveniſſe ex hac cauſa, quod aliqui abſque Sacerdotis aſſiſtentia obierint; Nec aliter huic malo occurri poſſe, cum deſint aliæ Eccleſiæ, in quibus Parochialis erigi poſſit, & modus deficiat ſtatuendi congruam novo Parocho.

Cum igitur ſuſtineri debeat Epiſcopi decretum infert ad II. Colonos Fratrum de Stola teneri ad præſtationem Decimarum favore Archipresbyteri Caſtri Franchi, quia ipſi Sacramenta recipiunt ab eodem Archipresbytero.

Plura ad rem advertit Epiſcopus in ſua relatione, quæ dabitur inter monumenta Canſæ.

In Congregatione diei 5. elapſi menſis *Aprilis* propoſita fuit Cauſa *Ravennaten. Diſmembrationis*, in qua nonnulla adnotata fuerunt, quæ ad præſentem Cauſam conferre poſſunt, hinc ne inutili repetione tædio afficiantur Emi Patres, dignabuutur reſumere Folium ejuſdem Congregationis, in quo eadem Cauſa deſcripta eſt. Verum cum Archipreſbyter Caſtri Franchi quædam proferat monumenta, ex quibus probare contendit, quod in Territorio adjuncto eidem Caſtro promiſcuè, tum ab ipſo, tum a Parocho S. Euſanij Sacramenta adminiſtrantur, qua de re animadvertere præſtat, quod Sacrum Concilium *Seſſ. 24. cap. 13. de Reform.* præcepit, ut = *In iis Civitatibus, ac Locis, ubi Parochiales Eccleſiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium Populum, quem regant, ſed promiſcue petentibus Sacramenta adminiſtrant, mandat Sancta Synodus Epiſcopis pro tutiori animarum eis commiſſarum ſalute, ut diſtincto Populo in certas, propriaſque Parochias, unicuique ſuum perpetuum, peculiaremque Parochum aſſignet, qui eas agnoſcere valeat, & a quo licite Sacramenta ſuſcipiant.*

Hæc de I. Dubio, ad II. quod attinet, animadvertendum eſt, quod *Fagnanus cap. Præterea tit. de Præbat. n. 21.* ſuſtinet Decimas Parochis deberi ratione adminiſtrationis Sacramentorum; Decimæ, ut notum eſt, dividuntur in Prædiales & Perſonales; Ad dignoſcendum, cuinam hujuſmodi Decimæ perſolvendæ ſint, præ oculis habenda ſunt, quæ ſtatuta fuerunt in *Cap. ad Apoſtolicæ 20. de Decimis*; Eo in

loco Lucius III. scribens Stigoniensis Episcopo sic loquitur = *Intelleximus, quod quædam consuetudo in Hungaria inolevit, ut multitudo Populi plerumque de Parochia unius Episcopi alterius transferatur, in qua licet per multa tempora moram traxerit, uterque tamen Episcoporum, tam is, cujus Parochiam reliquerunt, quam is, cujus Parochiani sunt facti, decimationem requirit: Ideoque tua nos duxit Fraternitas consulendos, cui potius Decimæ sint reddendæ. Noveris igitur quod æquum est, ut illi Ecclesiæ Decimæ, personales reddantur ab eis, in qua Ecclesiastica percipiunt Sacramenta. Decimas vero Messium, vel fructuum Arborum, si coluerint in alia Parochia, quam in ea, in qua habitant (quoniam a diversis diversa consuetudo tenetur) tu eligas in hoc casu, quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noveris observatum.*

Non graventur EE. VV. definire.

I. *An sit standum; vel recedendum a decisis sub die* 28. *Julij* 1781. *in casu &c.*

Et quatenus in decisis.

II. *An & a quibus debeantur Decimæ a die decreti Episcopi in casu &c.*

Ad I. In decisis, & amplius.

Ad II. Deberi ab incolentibus domos fratrum Stola existentes in Parochia Castri Franchi.

Sess. 25. *cap.* 13. *de Reform.*

FANEN., & PISAUREN. FUNERUM. Parochiales Ecclesiæ S. Andreæ in Villis & SS. Joa., & Pauli Ronchisambaci Diœcesis Fanensis, finitimæ sunt Castro Nubilariæ Diœcesis Pisaurensis. Mos invaluit, quod in ducendis Funeribus harum Parochialium Ecclesiarum advocantur etiam Sodalitates dicti Castri. Renuunt Confratres convenire ad Ecclesiam Parochialem, ut una cum Parocho accedant ad domum Defuncti ad levandum Cadaver, sed Parochum ipsum expectant in loco, in quo

quo una ab altera Diæceſi dividitur : De hoc conqueſti ſunt in Sac. Congregatione Franciſcus Maria Pedrazzi, & Joannes Monaldi utriuſque Eccleſiæ Parochi, contendentes Confraternitates, teneri accedere ad Eccleſiam Parochialem pro excipiendo Parocho : qua de re judicium EE. VV. in hac quæſtione exquiritur.

Inquiunt Parochi, ex Ritualis Romani lege præſcriptum eſſe, ut Confraternitates Laicorum in Funeribus ducendis teneantur Eccleſiam Parochialem adire, & ab ea una cum Parocho diſcendere ad levandum Cadaver e Domo Defuncti; Hanc vero Ritualis diſpoſitionem confirmari, tum ex Synodalibus Conſtitutionibus Diæceſium Fanenſis, & Piſaurenſis, tum etiam ex pluribus decretis iſtius Sac. Congregationis, & alterius Sacrorum Rituum, a quibus id ipſum ſervandum eſſe disponitur non obſtante contraria conſuetudine; hinc inferunt, injuria Confraternitates Nubillariæ iſtius legis observantiam detrectare.

Perperam objici, Confraternitates Nubillariæ non teneri ad obſervantiam Conſtitutionum Synodalium Diæceſis Piſaurenſis, dum conveniunt ad peragenda Funera in Diæceſi Fanenſi : nam advertunt in utraque Diæceſi eamdem legem ſervari, ideoque per utramque legem adſtrictos eſſe, necnon, & ſemper teneri ad obſervantiam legis vigentis in Diæceſi, in qua Funera ducenda ſunt.

Pro parte Confraternitatum nihil hactenus deductum eſt, licet illarum defenſor pluries monitus, & diu expectatus fuerit.

Auditi fuerunt Epiſcopi Fanenſis, & Piſaurenſis, & unuſquiſque ſuam obtulit relationem, quæ inter Monumenta cauſæ exhibetur.

In Rituali Romano *tit, de Exequiis* hæc habentur = *Conſtituto tempore, quo Corpus ad Eccleſiam deferendum eſt, convocetur Clerus, & alij, qui Funeri intereſſe debent, & in Parochialem, vel in aliam Eccleſiam juxta Loci conſuetudinem, ordine, conveniant, ac datis certis Campanæ ſignis, Parochus indutus ſuperpelliceo, & Stola nigra ad domum defuncti una cum aliis procedit* = Suſtinet *Barboſa de Officio, & poteſtate Parochi part. 3. cap. 25. num* 63., & 64., quod ii, qui funus comitari debent tenentur accedere ad Parochialem Defuncti, vel ad aliam Eccleſiam juxta Loci conſuetudjnem, nec permittendum, ut expectent per vias, vel ad domum Defuncti, idque etiam obſervandum a Regularibus, quamvis Cadavera in eorum

Eccleſiis tumulari debeant, & ita deciſum aſſerit a Sac. Congregatione Rituum *in Bononien.* 9. *Decembris* 1617. *in Tropejen.* 16. *Februarij* 1631., *& in Theleſina* 12. *Februarij* 1633.

Sac. hæc Congregatio in *Volaterrana* contendentibus PP. Conventualibus Oppidi Montis Erei occaſione tumulationis Cadaverum non teneri accedere ad Eccleſiam Parochialem ad levandum Parochum, diſputari curarunt dubium. *An Patres Conventuales S. Franciſci Montis Erei invitati accedentes ad funus convenire debeant in Eccleſia Parochiali ejuſdem loci, inde omnes una cum Parocho proceſſuri ad locum, ex quo defunctus eſt efferendus* = die 16. *Martij* 1726. fuit reſponſum *Affirmativè*, & in *Tranen.* propoſitis dubiis = I *An Patres Carmelitæ Civitatis Trani occaſione aſſociationis Cadaverum defunctorum ſepeliendorum in eorum Eccleſia teneantur ire ad levandum Archipresbyterum curatum ab Eccleſia Cathedrali unica Parochiali in caſu, Et quatenus Affirmativè* II. *An liceat nonnullis ex iiſdem Patribus non intervenientibus una cum aliis in Eccleſia Cathedrali ſe immiſcere per viam, aut in domo defuncti una cum aliis Regularibus jam proceſſionaliter incedentibus.* Die 21. *Novembris* 1750. plenis ſuffragiis prodiit reſolutio ad I., *Affirmativè* ad II. *Negativè*.

Hiſce animadverſis veſtrum nunc erit Emi Patres definire.

An Confraternitates Caſtri Nubilariæ in Funeribus Defunctorum in Villis S. Andreæ, & Ronchiſambaci Fani teneantur convenire in Eccleſia Parochiali ad levandum Parochum in caſu &c.

Non propoſita, cum reliquis.

Seſſ. 24. *cap.* 18. *de Reform.*

LUNEN., SEU SARZANEN. PAROCHIALIS. In Concurſu habito de Menſe Maio anni elapſi pro collatione Eccleſiæ Parochialis S. Michaelis Archangeli Oppidi Trebiani, Epiſcopus præelegit, & commendavit Eminentiſſimo Pro-Datario Sacerdotem Bartholomæum Ratto, qui ab Examinatoribus quinque tantum favo-

favorabilia ſuffragia obtinuerat . De hujuſmodi judicio conqueſtus eſt Sacerdos Daniel Frateſchi , in quem octo favorabilia ſuffragia Examinatores contulerant ; Quæſtionis examine ad judicium Sac. Congregationis delato, propoſitoque dubio = *An conſtet de irrationabili judicio Epiſcopi in caſu &c.* Die 5. elapſi Menſis *Aprilis* prodiit reſponſum = *Negativè* . Cum autem hujuſmodi reſolutioni non acquieſcat Sacerdos Frateſchi , cauſa hodie reproponitur ; Rogantur Eminentiſſimi PP. reſumere Folium diei 15. præteriti menſis Martij , in quo de cauſæ meritis actum fuit , & decernere .

An ſit ſtandum . vel recedendum a deciſis .

VITERBIEN. ERECTIONIS CANONICATUS . *Seſſ.25. cap. 5. de Reform.*

Sacerdos Joſeph Piciocchi Canonicus Cathedralis Viterbienſis ſuam exaravit Schedulam Teſtamentariam , quam propria ſubſcriptione obſignavit , in qua relicto uſufructu Catherinæ Barbaraſi ejus Matri , poſt iſtius mortem ſubſtituit *Un Beneſizio , o Canonicato da erigerſi nella ſudetta Chieſa di S. Lorenzo con il peſo , che piacerà porvi il Reverendiſſimo Capitolo, al quale laſcio la mia Libraria , ed il jus nominandi in perpetuo, eccettuato il primo , perche deſidero un Figlio del Signor Giacomo Silveſtrelli chiamato Gio. Battiſta , e non volendoſi il detto far Prete , uno degli altri Figli* Hujuſmodi Schedulam , nec Tabellioni , nec Parocho unquam conſignavit , ſed poſt ejus mortem reperta fuit ſub pulvinari proprij lecti , ubi jacebat , & obiit .

Delata hujus rei notitia ad Curiam Epiſcopalem, ſtatim Vicarius Generalis Schedulæ traditionem efflagitavit , & ad Defuncti domum Cancellarium miſit , ut illam ab hæredis manibus reciperet ; Reperta fuit penes Matrem defuncti Sacerdotis Piciocchi , quæ illam retinebat in quadam Arca : Statim formiter recognita eſt , & plurimi ſubinde examinati fuerunt Teſtes ad illius firmitatem , ultimamque Defuncti voluntatem probandam . Cum Catherina Barbaraſi Mater, eſſet morti proxima , condidit Teſtamentum , in quo mandavit , ut de bonis ſuis Canonicatus erigeretur , idque facere proteſtata eſt

eſt *Anche in eſecuzione della volontà più volte eſpreſſagli dalla bon. mem. del Signor Canonico Piciocchi ſuo Figlio* Ad dictum Canonicatum pro prima vice nominavit Jo. Baptiſtam Silveſtrelli, eoque defuncto patronatum activum reliquit deſcendentibus a Jacobo Silveſtrelli, cui etiam voluntatis executionem commiſit.

Defuncta Catherina, Executor Teſtamentarius bonorum hæreditariorium Inventarium confecit, nunquam tamen ad Canonicatus erectionem devenit, licet hac de cauſa tum in judicio, tum etiam interpoſitis Amicorum officiis, Capitulum inſtetiſſet. Anno 1776. Joſeph Silveſtrelli Jacobi filius ſuas quoque teſtamentarias Tabulas ſcripſit, in quibus juſſit, ut de bonis a dicta Catherina relictis, & de aliis bonis ab ipſo deſignatis Canonicatus erigeretur in Cathedrali Viterbienſi, & jus nominandi ſuo hæredi tribuit. Ubi primum hæc innotuerunt Capitulo, curavit proſecutionem litis pro erectione Canonicatus ad formam diſpoſitionis panditæ a Canonico Piciocchi, ad quem nominavit Clericum Felicem Zelli. De erectione Canonicatus modo quæritur in dubiis inferius tranſcriptis.

Ad I. inquit Capitulum, pro exequendis diſpoſitionibus ad pias cauſas, ſufficere, ut conſtet de diſponentis voluntate, licet ſolemnitates a jure requiſitæ non interceſſerint, idque locum habere tam in caſu inſtitutionis cauſæ piæ, quam in caſu ſubſtitutionis; His poſitis ſuſtinet, Canonicatum eſſe erigendum juxta diſpoſitionem Canonici Joſephi Piciocchi, cum illius voluntas pro Canonicatus inſtitutione ſatis probetur per Schedulam proprio Teſtatoris caracthere ſcriptam, atque ſubſcriptam; Nec obeſſe, quod deficiat dies, & annus: nam deſcriptio diei, & anni requiritur ad ſolemnitatem, non autem ad validitatem.

Addit præterea, Canonici Piciocchi voluntatem, probari tum ex depoſitione plurium Teſtium, qui de tempore obitus Teſtatoris, inſtante Promothore Fiſcali, examinati fuerunt, tum ex teſtamentariis Tabulis obſignatis a Catherina Barbaraſi, & Joſepho Silveſtrelli, qui licet Canonicatus erigendi patronatum, & onera immutaverint, tamen Canonici Piciocchi voluntatem expreſſe declararunt; Quare conſtito de voluntate, ſuſtinet retardari non poſſe illius executionem, poſthabitis diſpoſitionibus Catharinæ Barbaraſi, & Joſephi Silveſtrelli, quia iſti defuncti Canonici Piciocchi diſpoſitionem nullo modo intervertere poterant.

Ad

Ad II. advertit, Familiam Silveſtrelli poſſediſſe bona aſſignata pro erectione controverſi Canonicatus, eorumque fructus percepiſſe a die obitus Catherinæ Barbaraſi, cumque ab eo tempore aperta ſit ſubſtitutio favore cauſæ piæ, ab eo etiam tempore locum eſſe fructuum reſtitutioni. Fortius quia Jacobus Silveſtrelli in mala fide fuit a Capitulo conſtitutus, & in Judicio pulſatus pro executione diſpoſitionis Canonici Piciocchi.

Pro parte Cæſaris Silveſtrelli nihil deductum eſt.

Defunctus Epiſcopus in ſua relatione ſic ait = *Impedior animi aperiendo animi ſenſu, cum pendeat a juribus, ex quibus appareat, Canonicum in eadem permanſiſſe voluntate, eſt namque ambiguum, num ex præventione mortis, vel ex permutatione voluntatis Schedulam minime conſignaverit. Hac, opinor, difficultate Epiſcopalis hæc Curia detenta, atque Canonici nil aliud ab anno 1712. modo uſque egerunt, præter nominationem nunc factam.*

Alexander III. *in cap. Relatum* 11. *de Teſtamentis* ſcribens Judicibus Velletrenſibus ita decrevit = *Relatum eſt auribus noſtris, quod cum ad veſtræ diſcuſſionis examen aliqua ſuper Teſtamentis relictis Eccleſiæ cauſa deducitur, vos ſecundum Humanam, & non ſecundum Divinam Legem in ea vultis procedere, & niſi ſeptem, aut quinque idonei Teſtes producti fuerint, omnino poſtponitis exinde judicare. Unde quia hujuſmodi cauſa de judiciis Eccleſiæ non ſecundum leges ſed ſecundum Canones debet tractari, & his divina Scriptura teſtante, duo, aut tres idonei Teſtes ſufficiunt &c. mandamus, quàtenus cum aliqua cauſa ſuper teſtamentis Eccleſiæ relictis ad veſtrum fuerit examen deducta, eam non ſecundum leges, ſed ſecundum decretorum ſtatuta tractetis, & tribus, aut duobus legitimis teſtibus requiſitis* =

Notat *Card. Petra in Comm. ad Conſt.* 10. *Inn.* 111. *ſect.* 3. *num.* 15. quod præſentia Teſtium a dicto Pontifice volita, non eſt neceſſaria pro actus validitate, ſed solum, ut de Teſtatoris voluntate plene conſtet, itaut Teſtium defectus per æquipollens ſuppleri poſſit; Proſequitur inde *num.* 17. *ad* 18., & ait, quod ſchedula, vel ſcripta vel ſubſcripta ab ipſo Teſtatore, ſufficit ad probandam ejus voluntatem, etiam ſi nullo ſit teſte munita, cum haberi non poſſit major, & efficacior probatio, quam ipſa ſcriptura exarata manu Teſtatoris, quæ ſane vincit quamlibet extrinſecam Teſtium probationem.

Ponderandum igitur in præſenti caſu quid importet, &

an

an ſit indicium voluntatis Schedula obſignata a Canonico Piciocchi. Præ oculis habendæ ſunt Diſpoſitiones Teſtamentariæ Catherinæ Barbaraſi, & Joſephi Silveſtrelli, quæ jam ſuperius relatæ fuerunt, deindeque decernendum.

I. *An ſit locus erectioni Canonicatus in caſu &c.*
Et quatenus Affirmativè.

II. *An, quomodo, a quo tempore, & de quibus bonis debeantur fructus in caſu &c.*

Die

Die Sabbathi 21. *Junij* 1783. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

TRes ex præcedenti Congregatione indeciſæ ſuperfuerunt cauſæ, quibus aliæ ſex adjiciuntur, ut juxta conſuetum morem, numerus impleatur.

FANEN., ET PISAUREN. FUNERUM. *Seſs.25.cap.13. de Reform.*

An Confraternitates Caſtri Nubilariæ in Funeribus Defunctorum S. Andreæ, & Ronchiſambaci Fani teneantur convenire in Eccleſia Parochiali ad levandum Parochum in caſu &c.

Affirmativè, & ad mentem.

LUNEN., SEU SARZANEN. PAROCHIALIS. *Seſs.24. cap.18. de Reform.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

VITERBIEN. ERECTIONIS CANONICATUS. *Seſs.25. cap.5. de Reform.*

I. *An ſit locus erectioni Canonicatus in caſu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An, quomodo, a quo tempore, & de quibus bonis debeantur fructus in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad formam Testamenti Josephi Silvestrelli: Ad II. Affirmativè juxta modum; nempè erectionem Canonicatus perficiendam esse ad formam Testamenti Josephi Silvestrelli ex bonis Catharinæ Barbarasi unà cum aliis ab eodem Josepho ad hunc effectum relictis; & quoad fructus, Negativè.

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

BONONIEN. Sebastianus Ghirardelli in ultimo suæ voluntatis elogio exarato anno 1668. Hæredi instituto substituit Sodalitium S. Mariæ del Gaudio, & Apolloniæ Civitatis Bononiæ. Jussit, ut hæreditatis reditus pro medietate erogarentur in ædificationem Ecclesiæ ejusdem Sodalitii, pro altera verò medietate in celebrationem Missarum, & in hanc causam jussit ut cederent fructus omnes suæ hæreditatis post quam Ecclesiæ Ædificium completum fuisset. Anno 1774. Joa. Franciscus Giacobbi In Testamento, quod eo anno condidit, reliquit eidem Sodalitio S. Mariæ del Gaudio, & S. Apolloniæ duo prædia, quorum reditus erogari mandavit = *Nel modo, e forma prescritta da Sebastiano Ghirardelli nell' entrata de suoi beni*.

Post obitum Joa. Francisci compertum est, Domos rurales dictorum prædiorum restaurationibus indigere ad summam usque sc. 680. = hinc Sodalitii Officiales curarunt reditus, quos ab iisdem prædiis quotannis percipiebant, in Arca deponere, ut restaurationes perficere possent. Cum autem anno 1778. Vicarius Generalis deprehendisset Sodalitium omisisse Missarum celebrationem, atque insuper agnovisset restaurationum necessitatem, jussit, ut reditus usque ad dictum tempus percepti, & in posterum percipiendi pro una, & tribus partibus deservirent pro Missarum celebratione, reliquæ verò duæ partes impenderentur pro conficiendis restaurationibus, & hanc methodum servari præcepit quousque restaurationes completæ fuissent. Hoc modo Testatoris suffragio consuluit, & restaurationum necessitati prospexit.

Decreto Vicarij Generalis paruerunt Officiales; Vèrum cum restaurationes domorum ex fructibus a prædiis percipiendis quàm citius expleri non possent, & illarum protractio in prædiorum vergeret detrimentum, anno 1780 eadem prædia alienarunt, obtenta prius facultate a S. Con-

gre-

gregatione Epiſcoporum, & Regularium, & peracta alienatione, ceſſavit cauſa depoſiti a Vicario Generali demandati; Aſt a tempore obitus Joa. Franciſci uſque ad dictum annum 1780. depoſitata fuerunt ſc. 257. 10., quæ adhuc ſub depoſiti lege aſſervantur. Ruinam mòdo minatur tum Oratorium, tum Sacrarium Eccleſiæ Sodalitii, & pro explenda reſtauratione impares ſunt Confraternitatis reditus; Poſtulant idcirco Sodales facultatem impendendi pro Oratorii, & Sacrarii reædificatione cumulum conflatum ex fructibus legati dicti Joa. Franciſci, quodque in reſtaurandis ruralibus domibus converti debebat.

Eminentiſſimus Archiepiscopus expoſita confirmat, & teſtatur Oratorium, & Sacrarium neceſſario eſſe reficienda. Ad operis complementum requiri ſummam ſc. 240., quam quidem ſummam Sodalitium præſtare non poteſt, quia ducto calculo per novennium, compertum eſt illius reditus, deductis oneribus, non excedere annua ſc. 13.86. Proſequitur inde = *Hiſce in circumſtantiis, quamvis pecunia coacta, ex voluntate Teſtatoris Joa. Franciſci Jacobbi deberet omnino erogari in celebrationem Miſſarum, neque enim peracta alienatione bonorum locum habere poteſt decretum hujus Curiæ in libello ſupplici memoratum, attamen ſi conſideretur qualis fuerit dictus Teſtator, nempe Confrater præfatæ Congregationis, & quanta benevolentia eam vivus fuerit proſecutus, quod conſtat clariſſime ex ultimis ejusdem Tabulis, videtur ejus animus non omnino alienus a ſubſidiis ferendis ſuæ Congregationi, quam vivus tantopere adamavit, præſertim cum hæc ſumma ſi erogetur in inſtaurandis Oratorio, & Sacrario, cedat in honorem Dei, & B. M. Virginis, & in ſanctificationem Feſtorum dierum, quibus congregantur Sodales ad Officium B. M. Virginis perſolvendum, aliaque pia complenda exercitia, quæ ceſſabunt, niſi inſtanti ruinæ conjulatur, quam quidem imminere procul dubio non ſolum ex jurata peritia Fabri Murarii, nihil a Confratribus exhibita accepi ſed etiam ab alio in eodem arte perito, quem inſciis Confratribus ex improviſo miſi, ut pro veritate Oratorii ſtatum mihi referret.*

Suam denique Sententiam his verbis exponit = *Itaque, ut Defunctus Confrater Jo. Franciſcus Jacobbi manus adjutrices ferat dilectæ ſuæ Congregationi, non tamen ſine aliqua compenſatione, exiſtimarem ex ſpeciali gratia concedi Confratribus poſſe ſummam ſc. 240., ita nempe, ut non ſolum reſiduum, ſcuta ſcilicet 17. 45. ſtatim erogentur*

in celebratione Missarum ad mentem legantis Jacobbi , verum etiam ipsa Confraternitas ad annos decem , aut duodecim de suo celebrare faceret Missas quinquaginta annis singulis , ac præterea per idem tempus die quolibet Festo congregati Fratres deberent recitare in suffragium tanti Benefactoris Psalmos Miserere , & Deprofundis ; In quam sententiam adducunt me & præsens reparationis necessitas , & Confraternitatis impotentia .

Recens est Causa *Firmana suspensionis Oneris Missarum* resoluta die 14. *Decembris* elapsi anni , cujus species descripta est in Folio diei 23. præcedentis *Novembris* . In eo Folio nonnulla adnotata sunt ad dignoscendum quibus in circumstantiis intermitti possit Missarum celebratio , ut Ecclesiarum reædificationi consulatur . Cæterum in præsenti casu animadversione dignum est , quòd pius Testator Jo. Franciscus Jacobbi voluit redditus prædiorum , quæ Sodalitio reliquit, erogandos esse eodem modo , quo Sebastianus Ghirardelli fructus suæ hæreditatis impendi præceperat . Mandavitque dictus Sebastianus ut pars fructuum suæ hæreditatis deservirent pro construenda nova Sodalitii Ecclesia : Videndum an petentibus Confratribus facultatem erogandi in reædificationem Oratorii , & Sacrarii sc. 240. ex legato Jacobbi provenientia ,eorum petitioni famuletur præsumpta ejusdem Testatoris voluntas ; Vestrum hoc erit Eminentissimi PP. decernere dum quæritur .

An , & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.

Affirmativè pro medietate summæ depositæ .

Sess. 24. cap. 4. de Reform.

ROMANA REDUCTIONIS , SEU SUSPENSIONIS ONERIS MISSARUM . E vivis decedens Magdalena Bellsoni suum condidit Testamentum anno 1645. in quo instituto hærede usufructuario Antonio Fumei ejus viro , post istius obitum jussit = *Che la dote di essa Testatrice dopo la morte dell'infrascritto Erede si metti in sicuro , e con li frutti di essa si celebrino tante Messe , che importerà detto frutto per l'anima di essa Testatrice , e dell'*

in-

infrascritto Erede, di loro Padre, e Madre, e detto infrascritto Erede la possa applicare a qualche Luogo Pio dove li piacerà, e parerà con detto peso di celebrarsi dette Messe in perpetuo. Dotis capitale constitutum erat in quadam domo sita in contrada, quæ dicitur *l'Arco della Purità*, in nonnullis Domunculis existentibus in Burgo S. Angeli, & in Vinea petiarum septem.

Sequuto Testatricis obitu, Antonius Fumei Uxoris voluntati obsequuturus anno 1657. pro hujus Legati adimplemento elegit Archiconfraternitatem Sanctissimi Sacramenti erectam in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam, eique assignavit Domum sitam *all'Arco della Purità*; Cum autem Domunculæ positæ in Burgo S. Angeli essent de directo alterius dominio, & in instrumento Investituræ vetita esset alienatio favore Loci Pii, idcirco illarum vice gravavit se, suosque hæredes annua solutione sc. 10., indulta hæredibus facultate redimendi hoc onus, soluto illarum pretio, quod præfinivit in sc. 250.; Vineam verò sibi retinuit pro quarto dotali, quod lucratus fuerat ob prædecessum Uxoris. In hoc assignationis instrumento statuta fuit Eleemosyna Missarum in obulis triginta pro qualibet Missa; conventum etiam extitit, quòd si domus restauratione, vel nova reædificatione indigeret, celebratio Missarum suspenderetur quousque Archiconfraternitas de expensis satisfieret; Hanc ipsam Missarum suspensionem convenerunt etiam in casu, quo Inquilini, aut Antonii hæredes domus pensionem, vel summam conventam persolvere negligerent; Demum renuente dicta Archiconfraternitate hujusmodi Missarum onera adimplere, substituta fuit altera Archiconfraternitas SS. Angelorum Custodum de Urbe.

Obiit Antonius Fumei, & Archiconfraternitas SSmi Sacramenti possessionem domus statim affecuta est; vèrum illius hæredes neglexerunt annuam præstationem solvere, & Archiconfraternitas pro hujusmodi inadimplemento, anno 1739. solutis sc. 640. reportavit a Rev. Fabrica S. Petri jurium cessionem, & Mandatum obtinuit contra bona hæreditaria dicti Fumei pro satisfactione annualitatum; sed hujusmodi Mandatum nunquam fuit executum. Anno 1741. Archiconfraternitas denuo in judicium vocavit hæredes dicti Antonii Fumei, ut fundum assignarent annui reditus sc. 10., obtentoque etiam Mandato executivo, devenerunt ad subhastationem Domunculorum existentium in Burgo S. Angeli, quæ juxta Architecti relationem æstimatæ fuerunt pretio

tio sc. 550. 42. ½ . Cum autem nullus Licitator comparuerit, illas sibi adjudicavit Archiconfraternitas, detracta tertia parte pretii .

Adepta harum Domuncularum possessione, Archiconfraternitas in illarum restaurationem aliquam summam erogavit, prout etiam de proprio succubuit expensis litis ; Animadvertentes hinc Officiales Archiconfraternitatis, quòd pia Testatrix plurium annorum spatio Missarum suffragio destitueretur, si pro expensis litis, & restaurationum, & pro reintegratione sc. 640 , quæ Reverendæ Fabricæ S. Petri persoluta fuerant, locus esset Missarum suspensioni, preces exhibuerunt SSmo Domino Nostro, quibus postularunt, ut Missæ triginta tres juxta assumptum onus celebrandæ pro annua præstatione sc. 10. ab hæredibus Antonii Fumei persolvenda, reducantur ad quinque Missas quolibet anno, vel saltem illarum suspensio demandetur quousque Archiconfraternitas de suo credito fuisset satisfacta ; Ablegatis precibus Sac. Congregationi, quid hac super re agendum sit EE. PP. dijudicabunt .

Inquiunt ipsi, probatum in facto esse, quòd Archiconfraternitas pro assecutione Domuncularum erogavit in Litis expensas sc. 223. 71., impendit præterea pro illarum restauratione alia sc. 247. 36., quæ in totum conflant summam sc. 467. 07., quibus si addantur sc. 640. persoluta Rev. Fabricæ S. Petri, Archiconfraternitatis creditum ad plura scutorum centena pertinget . De hoc autem credito satisfieri Archiconfraternitas non poterit ex pretio Domuncularum, quæ sibi adjudicavit, cum illud vix ascendat ad sc. 366. 95. . Probato igitur Archiconfraternitatis credito, & comperta etiam reintegrationis difficultate, inferunt onera esse omnino suspendenda donec dicta reintegratio secuta fuerit ; maxime quia in Instrumento assignationis Legati cautum fuit, ut Archiconfraternitas pro illius adimplemento nihil de proprio impendere teneretur. Cæterum advertunt, quòd si Missarum suspensio non indulgeatur, saltem illarum reductio ad quinque Missas quolibet anno concedere oporteret, cum tali modo piæ Testatricis animæ, & Archiconfraternitatis indemnitati aliquo modo consultum foret .

Interpellata fuit Archiconfraternitas SS. Angelorum Custodum, sed nihil pro ejus parte deductum est .

Emus Protector, comprobata facti serie, inquit = *Verum enim vero nequeo post hæc non animadvertere , Testatricem-*

ar-

arbitrium quidem in Antonium Fumei contuliſſe, quem mallet ex Locis Piis ſeligendi, eique bona aſſignandi, ut mandata Miſſarum celebratio impleretur, non autem iſtarum emolumentum tam liberaliter conſtituendi, ut obulos triginta pro unaquaque noſtra Archiconfraternitas ſibi addiceret. Sic enim quoad domum poſitam = all'Arco della Purità, *cujus annui redditus omnibus deductis oneribus ſunt circiter ſc.* 18. = , *imminuto Miſſarum numero non modicum lucrum captavit, dum pro illarum implemento certo certius ſæpe dictum emolumentum, haud quaquam requiratur, nec ipſa impendit. Ac liquet exinde hujuſmodi conventionem abſque Apoſtolico Beneplacito viribus conſiſtere nequiſſe de illius porro petitione verba faciunt contrahentes, num vero fuerit impetratum? nullum reperiri potuit documentum. Quandoquidem ex tam longa annorum ſerie præſumi poteſt; Attamen cum hic in judiciali controverſia neutiquam verſemur, ſed potius de veritate ſit inquirendum, ut debita ex conſcientia ſuffragia defunctis haud ſubtrahantur, ejuſdem exhibitionis defectus ſilentio nequit præteriri. Non inficior ex Officialium poſtulatis quæſtionem hic tantummodo eſſe de præfatis domunculis, non autem de illa ſita all'arco della Purità, verum cum iſtæ omnes ex eadem proveniant Magdalenæ Beſſoni Teſtamentaria diſpoſitione, nequit non expendi quid Archiconfraternitas illius cauſa vel damni, vel lucri acceperit, ut cuidam æquæ compenſationi proſpici poſſit.*

Tandem votum aperiens, ait = *Quapropter rebus omnibus accurate perpenſis, ac Officialibus plene auditis, cenſeo poſſe Archiconfraternitati perpetuum imponi onus annuæ celebrationis aliarum decem Miſſarum pro implemento Margaritæ Beſſoni diſpoſitionis præter illas, quæ ſtatuta lege ex fructibus, Domus* = all'Arco della Purità *jamdudum celebrantur. Si quid enim adhuc amplius lucratur Archiconfraternitas, non in profanos uſus, ſed in cultum Sanctiſſimi Sacramenti impendit; Quod ſane hic etiam venit conſiderandum.*

Num autem Officialium petitioni aſſentiendum ſit, definient EE. VV., a quibus quæritur.

An ſit locus reductioni, ſeu potius ſuſpenſioni Miſſarum in caſu &c.

Dilata, & Emo Protectori juxtà inſtructionem.

MON-

Seſſ.25. cap. 4. de Reform.

MONTIS FALISCI REDUCTIONIS. Canonicatus ſub invocatione S. Franciſci Aſſiſienſis de jure patronatus laicorum erectus reperitur in Eccleſia Collegiata Oppidi Martæ. Fundationis tabulæ non exiſtunt, cum ob temporis antiquitatem forſan perierint; conſtat tamen eundem Canonicatum gravatum eſſe celebratione quatuor Miſſarum quolibet Menſe, & onere intereſſendi Choro ſingulis diebus Feſtis, ac tempore Quadrageſimæ ad Completorium diebus etiam ferialibus. Hujus Canonicatus reditus vix aſcendunt ad ſc.9.35., quæ cum omnium onerum adimplemento impares omnino ſint, Clericus Antonius Camporeale illius poſſeſſor onerum reductionem efflagitavit. Die 11. Malj elapſi anni indulta fuit Miſſarum reductio ad rationem eleemosynæ manualis, & Vicarius Generalis gratiæ executor Miſſas ad numerum octuaginta quolibet anno præfinivit. Advertit autem Clericus Camporeali, in hac reductione nullam habitam fuiſſe rationem ſervitii Chori, pro cujus emolumento poſt adimpletam Miſſarum celebrationem ſupereſt ſumma ſcuti unius, & obul.35. dumtaxat; quare preces renovat, novamque reductionem efflagitat, quam magis æquam, magiſque fructibus ſui Canonicatus reſpondentem EE.VV. decernent.

Vicarius Generalis teſtatur de reditibus Canonicatus, deque oneribus eidem inhærentibus juxta expoſitam facti ſeriem, & ait reditus decreviſſe, quia bini Cenſus, quorum alter in ſorte ſcut.30., alter verò ſcut.5. ſunt inexigibiles, & quædam domus tempore prædeceſſorum Canonicorum collapſa eſt. Addit quòd fortaſſe Orator nonnulla bona recuperare poterit, ſed non niſi diuturnæ litis diſpendio, cujus ſuſtentationi impar eſt propter paupertatem. Poſt hæc concludit = *Æqua propterea videtur alia onerum reductio, ut inde Orator majori alacritate Divinum præſtet ſervitium. Capitulum, & Patroni a me auditi, quibus eſt intereſſe, id recte agnoverunt, ac mihi ſignificarunt*; Idque ego ipſe exiſtimo, ſalvo tamen meliori judicio EE. VV.

Habent Emi PP. in Cauſa *Senogallien. Reductionis*, quæ proſtat in Folio Congregationis diei 10. *Menſis Maij* nuper elapſi expoſitam mentem Sac. Congregationis in caſu reductionis oneris complectentis tum Miſſarum celebrationem tum etiam alia pia opera; Licet autem regula ſit, quòd alia potius pia opera, quàm Miſſarum numerus imminui debeant, nihilominus ex Folio ſupra relato deprehenditur quando, & quibus in circumſtantiis ab hac regula

gula recedi soleat. Non graventur itaque EE. VV. id ipsum perpendere, ut definiant.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Pro nunc suspendenda esse ad Sexennium omnia onera Canonicatus, celebratis quolibet anno Missis decem; & reditus superextantes erogentur pro recuperatione bonorum; & Episcopus incumbat executioni.

PLACENTINA JUBILATIONIS. Sacerdos Franciscus Zandemaria de mense Aprilis anni 1741. Canonicatum obtinuit in Ecclesia Cathedrali Placentina. Emenso quadragenario servitio, Jubilationis Indultum efflagitavit. Cum autem ex prædefuncti Episcopi relatione compertum fuerit ipsum continuo, & laudabiliter Choro interfuisse Horis tàntum diurnis, & Missæ Conventuali, raro tamen Matutino, & Primæ, quæ summo mane decantari solent, hinc illius petitio relata inter summaria precum *die* 13. *Julij* anni elapsi rejecta fuit. Huic resolutioni non acquiescens Orator, preces renovavit pro obtinenda Jubilatione quoad Horas diurnas, quibus interfuit laudabiliter, rogavitque præterea, ut fas sibi foret jura sua deducere; qua de re descripta Causa in Folio, quid æquum fuerit EE. VV. mòdo dijudicent. *Sess.* 24. *cap.* 12 *de Reformat.*

Inquit Orator, Milites Ecclesiæ ad instar sæcularium Militum jubilatione gaudere post præstitum per annos quadraginta servitium, & proinde hac de causa Jubilationem sibi indulgendam esse saltem quoad Horas diurnas, & Missam Conventualem, quibus per annos quadraginta præsens fuit. Plura autem ad rem conferre, nempe Capituli consensum, ætatem ipsius, quæ est annorum supra septuaginta, & sufficientem, immo superabundantem Ministrorum numerum Ecclesiæ inservientium, ita quidem ut de sua absentia nullum divinus cultus detrimentum patiatur. Accedit demum, quòd gratia jubilationis coercita est juxta petitionem ad Horas tàntum diurnas, & Missam, quod quidem conforme est consuetudini Ecclesiæ tum Cathedrali, tum Collegiatæ S. Antonini, ubi adsunt Canonici simili Jubilationis Indulto donati.

Defunctus Episcopus in sua relatione testatus est Capitulum per secreta suffragia assensum, juxta petita per Oratorem,

præsitisse. Addit nullum ex libris Punctaturarum extare monumentum, quo probetur, ipsum habituali ægritudine præpeditum fuisse, ne Matutino, & Primæ interesset, immo ex prædictis libris oppositum educi; Retulit etiam in Capitulis Cathedralis, & Collegiatæ opinionem, invaluisse = *Quod ad obtinendum pro horis diurnis Jubilationis Indultum sit satis, si Canonicus per annos quadraginta ipsis continuo, & laudabiliter interfuerit, licet defuerit nocturnis* = Demum votum suum sic pandidit = *Quod spectat ad animi mei sententiam, quam jubeor aperire, id ipsum dico, quod alias scripsi hac super re, nimirum si sapientissimo EE. VV. judicio gratiæ per Oratorem petitæ, obstare non videtur defectus residentiæ, & servitii quoad Matutinum, & Primam, benigne concedendum puto Jubilationis Indultum quoad Horas diurnas, & Missam Conventualem, quibus reapse per quadraginta annos continuò interfuit.*

Alias in Sac. Congregatione de Jubilatione actum est: novissime verò in Causa *Civitatis Plebis Jubilationis*, quæ descripta reperitur in Folio Congregationis diei 23. Novembris anni elapsi, & in altera *Ripana Jubilationis* adnotata in Folio diei 8. Februarij currentis anni. Quæ ad rem animadversione digna visa sunt, in iisdem Foliis habentur, Vèrum cum pro parte Canonici Zandemaria duo proferantur Jubilationis Indulta elargita Canonicis, qui Horis diurnis Choro dumtaxat interfuerunt, non abs re erit illa referre, ut inde de Oratoris petitione dijudicari possit.

Primum Indultum concessum fuit Canonico Galeatio Sanseverino, ut ex *lib.* 85. *decretorum pag.* 38., illudque his verbis adnotatum legitur = *Placentina: Galeatius Sanseverino Canonicus Cathedralis Ecclesiæ, attento quadragenario servitio eidem Ecclesiæ præstito supplicat pro Indulto Jubilationis. Die* 29. *Januarij* 1735. *Sac. Congregatio attenta relatione Episcopi Placentini benigne commisit eidem, ut constito sibi, quod Orator per quadraginta annos, & ultra eidem Ecclesiæ continuo, & laudabiliter inservierit, pro suo arbitrio illi gratis indulgeat, ut dummodo non habeat Coadjutorem, quamvis in posterum non inserviat, nihilominus fructus omnes, & distributiones quotidianas sui Canonicatus percipere valeat, perinde ac si Choro, & Officiis divinis personaliter interesset.*

Alterum Indultum obtinuit Jo. Bonelli, & in *lib.* 126. *decretorum pag.* 599. ita descriptum est = *Placentina: Jo. Bonelli Canonicus Basilicæ S. Antonini continuum, & laudabiliter*

da-

dabile servitium præstitit dictæ Collegiatæ per annos quadraginta , & ultra , supplicat modo pro Indulto Jubilationis . Die 7. Septembris 1776. Sac. Congregatio , attenta attestatione Capituli, benigne commisit Episcopo Placentino, ut veris existentibus narratis , & constito prius , quod Orator per quadraginta annos , & ultra supradictæ Basilicæ continuo , & laudabiliter inservierit , pro suo arbitrio illi gratis indulgeat, ut dummodo non habeat Coadjutorem, quamvis in posterum non inserviat , nihilominus fructus omnes , & distributiones quotidianas sui Canonicatus percipere valeat perinde , ac si Choro , & Officiis divinis personaliter interesset .

Supereſt modo , quod EE. VV. decernant .

An sit standum , vel recedendum a decisis sub die 13. Julii anni 1782. in casu &c.

In decisis , & amplius .

NULLIUS S. LAURENTII IN CAMPO DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Anno 1759. nonnullis ortis dissidiis inter Franciscum Sartorelli , & Clericum Cyriacum Mattei , res eò usque pervenit, ut Clericus Sclopum sumpserit, illumque exploserit , ex quo ictu Franciscus oculum amisit . Curia Abbatialis statim in Clericum inquisivit, compilatoque Processu , illum damnavit ad Ergastulum per decennium , sed postea loco hujus pœnæ Exercitia spiritualia ex præcepto Ordinarii peregit per tres menses in Domo Congregationis Missionis Civitatis Firmi . Curiæ mandatis paruit Cyriacus , obtentaque postmodum partis offensæ remissione , cupiens ad majores Ordines promoveri, dispensationem ab Irregularitate mòdo petit . *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

Abbas Ordinarius ab Oratore exposita confirmat, additque, quòd peractis ab eo Exercitiis spiritualibus , & impetrato Partis offensæ consensu, ab ulteriori pœna absolutus fuit . Ait demum = *Quod autem præfatus Clericus emendationis signa præbuerit , ac modo recte , & modeste se gerat suis mihi directis litteris obtestatur Vicarius Abbatialis* ; *Quo-*

circa dignus undique videtur, ut ab incurſa irregularitate diſpenſetur.

Hac in re notandum eſt, quòd Mutilatores irregulares evadunt, nam mutilare, & occidere quoad incurrendam irregularitatem æquiparantur *a Gloſſa in Clementina Si furioſus de homicidio voluntario*; Dummodo mutilatio inducat ſeparationem, & truncationem membri alicujus principalis in corpore humano habentis diſtinctum, & peculiare officium, ut manus, pedis, brachij, auris, & ſimilium *Cap. Clerici, vel Monach. Cap. in Archiepiſcopatu de raptoribus*, & ideo abſciſſio digiti, excuſſio dentis non eſt mutilatio *Gloſſa in citata Clementina ſi furioſus*. Abſcindens tamen digitum pollicem, aut indicem petere debet diſpenſationem ad cautelam ſicuti tenet Ferrarius verbo irregularitas *art. 1. num. 11. §. octavo* evadunt.

Orator ſui exceſſus ex impetu pœnam ſubiit, & a Parte læſa conſenſum retulit, ſigna emendationis dedit per plures annos, quare commendatur ab Ordinario, cui perſpecta eſt illius vita, & mores. In his circumſtantiis dijudicent EE. VV.

An ſit locus diſpenſationi in caſu &c.

Non propoſita cum ſequenti.

Seſs. 22. cap. 8., & 9. de Refor.

EUGUBINA JURIS VISITANDI. Hoſpitali S. Mariæ de Miſericordia Civitatis Eugubii, quod pro recipiendis Infirmis, Expoſitis, & Peregrinis erat inſtitutum, ſan. mem. Julius II. anno 1505. tria alia ejuſdem Civitatis Xenodochia univit, & ex inde Hoſpitale Magnum nuncupari cæpit. Anno 1665. Antonius Gioja teſtamentariis Tabulis hæredem inſtituit unicam, quam habebat filiam nomine Marſiliam, eique ſine filiis, vel in pupillari ætate decedenti ſubſtituit Valetudinarium dicti Hoſpitalis cum onere celebrationis Miſſarum centum, & detracta earumdem Miſſarum eleemoſyna, reditus omnes erogari juſſit = *per i poveri*

veri infermi , e curazione de Febricitanti , e Feriti , e che non possano convertirsi in altro uso ; In eodem Testamento Tutores , & Curatores suæ filiæ designavit , & voluntatis executionem commisit = *all' Illustrissimo , e Reverendissimo Vescovo Sperelli , ed altri Vescovi , che saranno per tempo in detta Città di Gubbio , supplicando la benignità loro a non sdegnare di ricevere quest' incommodo , e supplicandoli ancora a voler ordinare , che ad ogni triennio siano riveduti , calcolati , e saldati li Conti dell' entrata , ed uscita , e del dare , ed avere con li Signori Tutori , e per tempo Curatori .*

Supplex libellus inscriptus nomine Pauperum Infirmorum oblatus est Sanctissimo D. N., eique expositum , quòd usque ab anno 1745. per obitum Marsiliæ sine Filiis hæreditas Antonii ad Hospitale devenerat , nec in illius administratione ullam unquam partem habuerunt Episcopi Eugubini ; Narratum insuper , quòd hæreditatis reditus impensi primum fuerunt in amplianda , augendaque Hospitalis fabrica , deindeque in augendo Missarum stipendio , & in assignandis pensionibus , quæ ultra necessitatem fuerunt auctæ . Omnia in Hospitali improvidè geri, deesse Infirmis necessaria ad curationem , nonnullos fuisse dimissos non adhuc firma valetudine, nonnullos verò ultra tempus retineri ; Ad hæc avertenda absurda, inutile futurum querelas deferre ad R. P. D. Præsidem Vrbini , cum pleraque sint , quæ celeriter , & expedite emendari debent , nec absque ægrotantium jactura differri possunt, ideoque consultius fore, si Episcopo, qui fere semper in Civitate moratur, injungeretur ut sollicitudinem suam impendat in regimine Hospitalis , & exequenda voluntate Antonij Gioja . Cum autem hujusmodi preces Sac. Congregationi ablegatæ fuissent , factum est ut inter Promothorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Eugubinæ , & alterum Legationis Urbini controversia orta sit circa Hospitalis administrationem , de qua disceptatur sub dubiis inferius transcriptis .

Ad I. inquit Promothor Fiscalis Curiæ Episcopalis posse Episcopum ordinaria jurisdictione visitare Hospitalia suæ Diœcesis , & de illorum reditibus , & fideli administratione inquirere . Neque in casu hanc Ordinarij jurisdictionem declinari posse prætextu exemptionis indultæ in erectione Hospitalis ab Episcopo tunc temporis Ventura , & confirmatæ a Summis Pontificibus Bonifacio VIII. , & Julio II. , cum privilegium Episcopi Ventura solam administrationem , & regimen temporale Hospitalis respi-

ſpiciat, per quod ademptum non eſt jus competens Ordinario quoad illius viſitationem. Pontificia verò privilegia Bonifacii VIII., & Julij II. fuiſſe ſublata a Concilio Tridentino facultatem concedente Epiſcopis viſitandi Loca Pia, quocumque modo exempta; Et hanc ipſam facultatem repetitis vicibus præſervatam fuiſſe favore Epiſcopi Eugubini a S. Congregatione, quæ annis 1570 & 1633. decrevit licere Epiſcopo peragere Viſitationem in Hoſpitali Magno Civitatis, & redditionem rationis exquirere ab illius Miniſtris.

Ad II contendit adminiſtrationem Bonorum hæreditatis Antonij Gioja ſpectare ad Deputatos Hoſpitalis, dependenter tamen ab Epiſcopo, cum is præter juris diſpoſitionem, jus ſuum fundatum habeat in expreſſa voluntate pii Teſtatoris, qui dum hæreditatem Hoſpitali reliquit, Epiſcopos pro tempore Eugubinos exequutores elegit; munus verò executoris præſeferre onus inquirendi de fideli redituum erogatione in uſus a Teſtatore deſignatos. Ex his infert ad III. Epiſcopo jus eſſe approbandi Capellanum Curatum, aliosque Hospitalis Officiales, qui ex reditibus dictæ hæreditatis ſtipendium percipiunt.

Contra verò Promothor Fiſcalis Curiæ Legationis Vrbini, ad I. inquit Hospitalis jurisdictionem, & jus illud viſitandi ad unum Vrbini Præſidem ſpectare; cum Hoſpitalia Civitatis ante unionis tempus independenter ab Epiſcopo fuerint adminiſtrata a Laicis, vel a Civitatis Magiſtratu, qui etiam pro illorum regimine nonnulla condidit Statuta. Hoſpitale S. Mariæ Charitatis in ipſo fundationis actu immune ab Ordinarij jurisdictione declaraſſe Epiſcopum Ventura, & hanc exemptionem auctoritate Apoſtolica fuiſſe confirmatam a Bonifacio VIII. Poſt quam verò tempore Julii II. nonnulla Hoſpitalia alteri S. Mariæ Charitatis unita fuerunt, iſtius regimen, & adminiſtrationem penes Ducem Urbini, & Civitatem ſemper reſediſſe, & eumdem Pontificem in Litteris Apoſtolicis, quibus unionem confirmavit, Hoſpitale prædictum protectioni Ducum Urbini commendaſſe; Devoluto tandem Urbini Ducatu ad Apoſtolicam Sedem, Hoſpitalis regimen, auctorante etiam Urbano VIII. a Civitate, & pro tempore Legatis, vel Præſidibus exercitum fuiſſe; Quare contendit injuria modo Epiſcopum Eugubinum jus viſitandi Hoſpitale, & illius adminiſtrationem ſibi vindicare.

Plura in medium profert monumenta ex quibus privativam Præſidis jurisdictionem probare contendit. Notat enim Cardinales Legatos, vel Præſides ſive per ſe, ſive per eo-

eorum Locumtenentes Hoſpitale viſitaſſe . Decreta etiam , & ordinationes edidiſſe , rationes ſemper excepiſſe geſtæ adminiſtrationis . Cum autem de nova conſtruenda fabrica actum eſt , nonniſi accedente Præſidis venia incæptam, & ad finem perductam fuiſſe . Præſide ipſo annuente adauctum eſſe Miniſtrorum numerum , præfinitam unicuique ex Adminiſtris mercedis quantitatem ; Ac demum nihil actum , vel geſtum , quod pro tempore Legati , aut Præſides non probaverint . Eugubinos Epiſcopos nunquam Hoſpitale viſitaſſe, in Synodalibus Conſtitutionibus nullum condidiſſe Decretum , quod Hoſpitalis Adminiſtrationem , regimen , & gubernium reſpiciat ; Et ſi quandoque Epiſcopi aliquid geſſerunt , id ab ipſis ex Præſidum delegatione , vel licentia geſtum fuiſſe . His illud accedere, quòd Epiſcopi ex propria confeſſione Hoſpitalis exemptionem a ſua juriſdictione pluries declararunt .

Præſidium verò nullum deſumi poſſe ex diſpoſitione Concilij Tridentini præcipientis Loca pia quocumque modo exempta a Locorum Ordinariis viſitari poſſe , cum Hoſpitale Civitatis Eugubinæ eſſet ſub protectione Ducum Urbini , & Sac. Concilium a dicta Lege excipit ea Hoſpitalia , quæ ſub immediata Supremi Principis protectione forent , vel in actu fundationis ab ordinaria Epiſcopi juriſdictione fuerint exempta . Spernenda quoque eſſe Edicta Epiſcopi Sabelli , cum non doceatur eiſdem Edictis Adminiſtratores paruiſſe ; immò advertit non deeſſe probationes ſuadentes Edictorum inobſervantiam . Nec majoris efficaciæ eſſe Synodum Epiſcopi Caballi anni 1728. , in qua hortantur Officiales , ut Infantes expoſiti citius Nutricibus tradantur , & Baptiſmate abluantur , vel ab indulta facultate conſtruendi Sepulchra in Hoſpitalis Eccleſia, vel a Benedictione impartita , dum novum Hoſpitalis Ædificium cæptum eſt ; Ad primum reſpondit verba Synodi præceptum non præferre, ſed ſolum hortationem: Ad alterum verò advertit, ab actibus , quæ ſolam Eccleſiam reſpiciunt, inferri non poſſe ad juriſdictionem in Hoſpitale .

Objici perperam , quòd licet Epiſcopus ordinaria auctoritate viſitare non poſſit Hoſpitalia , quæ ex lege Fundationis ab illius Juriſdictione ſunt exempta , non tamen præpediri illa viſitare tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatum ; Nam Sac. Concilium dum Loca Pia quæcumque etiam exempta ſubeſſe dicit viſitationi , & correctioni Epiſcopi tanquam delegati Sedis Apoſtolicæ , excepit

ca-

casum, quo aliter in fundatione cautum non fuerit, & per hujusmodi exceptionem utramque potestatem, ordinariam nempe, & delegatam Episcopis ademit. Fortius quia spatio tot annorum nunquam hac delegata jurisdictione usi sunt Episcopi, quod quidem non illorum ociantiæ, & negligentiæ tribuendum est, sed probationi exemptionis Hospitalis à delegata etiam jurisdictione. Nec oppositum suadere Decretum Sac. Congregationis editum favore Episcopi Eugubini, cum illud insciis, & silentibus prorsus Hospitalis Administris prodierit.

Ad dubia II., & III. sustinet nullum Episcopo competere jus quoad administrationem Bonorum hæreditatis Antonij Gioja, minusque eumdem Episcopum deputare, & eligere posse Capellanum Curatum, cæterosque Officiales, qui ex reditibus ejusdem hæreditatis stipendium percipiunt; Nam licet Testator suæ voluntatis executionem commiserit Episcopo Eugubino, cessavit tamen munus Exequutoris, statimac Marsilia Testatoris filia pupillarem ætatem excessit.

Episcopus in sua relatione, quæ dabitur EE. VV. inter monumenta Causæ, tuetur jura sui Promothoris Fiscalis, insuperque refert non nullos abusus, qui in ægrotantium perniciem irrepserunt.

Clemens V. *in Clementina. Quia contingit de Religiosis domibus*, post quàm nonnulla pro fideli Hospitalium administratione statuit, ita quoad Administratores disponit = *Si forte commiserint negligentiam, vel defectum, Ordinariis Locorum injungimus, ut etiam si pia Loca prædicta exemptionis privilegio munita consistant per se ipsos, vel alios impleant præmissa, & singula, & Rectores eosdem utique non exemptos, propria, exemptos vero, & alios privilegiatos, Apostolica auctoritate compellant.* Duo pariter ad rem extant Sac. Concilij Tridentini decreta *sess.* 22., quorum unum refertur *in cap.* 8. his verbis *Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus a jure concessis omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos sint executores; habeant jus visitandi Hospitalia, Collegia quæcumque, & Confraternitates Laicorum. etiam quas Scholas, sive quocumque alio nomine vocant, non tamen, quæ sub Regum immediata protectione sunt sine eorum licentia* =

Alterum vero in *cap.* 9. ita se habet = *Administratores tam Ecclesiastici quam Laici Fabricæ cujusvis Ecclesiæ, etiam*

Ca-

Cathedralis Hospitalis Confraternitatis, elecmosynæ Montis Pietatis, & quorumcumque Piorum locorum singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario: consuetudinibus, & privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis: nisi secus fortè in institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ, seu Fabricæ expressè cautum est. Quod si ex consuetudine, aut privilegio, aut ex constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius, & aliter factæ liberationes dictis Administratoribus minime suffragentur. Ex hisce Tridentini dispositionibus patet quæ sint jura Episcopi super Hospitalibus, & quomodo, & quibus in circumstantiis exercenda. Videndum tamen qualiter, & quomodo juxta Concilij mentem Hospitalia dici possint exempta. Notanda quæ refert *Barbosa ad d. Concilium Tridentinum sess.* 22. *cap.* 8. *num.* 28. Notanda quæ docet *Fagnanus in cap. Ad hæc de Religiosis domibus.* Videndum etiam Folium causæ *Senogallien.* exaratum pro Congregatione diei 18. Maii 1726., quod est publici juris, in *Thes. Resol. Sac. Congregationis Tom.* 3. *pag.* 321.

Sæpissime de hac re actum est in Sac. Congregatione, quæ juxta expositam facti speciem quandoque Hospitalia ab Episcopi visitatione immunia declaravit ut in *Lycien.* 12. *Augusti* 1604., & in *Abulen.* 6. *Aprilis* 1606., quandoque verò eadem Hospitalia visitationi Episcoporum subjicere definivit, ut in *Vasionen.* 19. *Junij* 1751., & *in Fanen. Jurisdictionis* 18. *Junij* 1757. Cæterum animadvertere præstat, quòd Episcopus Eugubinus anno 1570. plura de erectione Hospitalis ejusdem Civitatis, quod Hospitale magnum nuncupatur Sac. Congregationi retulit, & petiit declarari = *An ei liceret præfatum Hospitale libere visitare, & tamquam Sedis Apostolicæ delegato ea sub ejus nomine ordinare, moderate punire, & exequi, quæ ad præfati Hospitalis utilitatem necessaria videbuntur juxta formam cap.* 8. *sess.* 22., *& cap.* 10. *sess.* 24. Die 2. *Septembris* ejusdem anni sequens prodiit responsum *Sac. Congregatio Concilij censuit ex dispositione dicti cap.* 8. *sess.* 22. *licere Episcopo visitare dictum Hospitale, & ea cognoscere, & exequi, quæ dicto Cap.* 8. *continentur: Collectanea decret. Sac. Congregationis lib.* 1. *pag.* 160.

Licet autem Hospitalia, quæ Regiæ protectioni subduntur, ab Episcoporum visitatione immunia sint, nihilominus eorumdem Hospitalium Administratores tenentur reddere Episcopis rationem gestæ administrationis *Barbosa ad Concilium Tridentinum sess.* 22. *cap.* 9. *n.* 15.; solum

que hoc jure uti non possunt, si in fundatione contrarium statutum fuerit, quemadmodum advertit *Fagnanus in cap. Tua nobis de Testamentis, n. 12., & in cap. Ad hæc de Religiosis domibus num. 58., & 59.*, quòd ab hac regula recedi tur si Administratores deprehendant r negligentes in adimplenda Fundatorum voluntate, nam hoc casu potest Episcopus illos compellere ad sibi reddendam administrationis rationem, quamvis Hospitale in fundatione exemptum fuerit declaratum.

Sac. Congregatio in responsione ad relationem status Ecclesiæ Eugubinæ die 12. Novembris 1633. eidem Episcopo sic respondit = *Si Hospitale S. Mariæ Charitatis ab Ordinarij jurisdictione, & visitatione prout ex ipsa relatione supponitur exemptum exiſtit, non posse ab A. T. visitari præter quam si videre voluerit, an piæ Testantium voluntates executioni mandentur; Quò verò ad redditionem rationis A. T. omnino esse reddendam: quod si ex privilegio, aut ex consuetudine, vel alia aliqua ratione aliis reddenda esset, eisdem reddendam esse adhibita cum illis A. T., nisi in fundatione aliter expressè cautum esset, nempe quod rationes Ordinario reddendæ non essent, nec cum illius interventu: lib. 15. decret. pag. 6.*

Hic ad I. Dubium, ad II., & III. quod attinet, præ oculis habenda est dispositio Antonij Gioja, indeque inquirendum an munus Executoris Testamentarij commissum a pio Testatore Episcopo pro tempore Eugubino, expiráverit per obitum Marsiliæ ejus Filiæ, vel potius munus prædictum exercere idem Episcopus possit etiam post delatam ad Hospitale illius hæreditatem. Erit itaque ab EE. VV. definiendum.

I. *An, & cui, & qualis competat jurisdictio super Hospitale Majus Civitatis Eugubij, & respectivè jus illud visitandi in casu &c.*

II. *An & cui competat administratio bonorum, & jurium hæreditariorum bon. mem. Antonij Gioja in casu &c.*

III. *An, & a quo eligi, & approbari debeant Capellani Curati, cæterique Officiales, & Famuli dicti Hospitalis ex reditibus jupradictæ hæreditatis conducti in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 19. *Julij* 1783. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

IN præſenti folio ſeptem de novo adduntur cauſæ, quæ, una cum aliis in ultima Congregatione non reſolutis, conſuetum numerum complent.

NULLIUS S. LAURENTII IN CAMPO DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. *Seſſ.* 14. *cap.*7. *de Reform.*

An ſit locus diſpenſationi in caſu &c.

Expectet, & ad mentem; & mens eſt quod ſcribatur Ordinario, qui referat an oculus vulnerati ſit amiſſus ex ictu paſſo.

EUGUBINA JURIS VISITANDI.

I. *An, & cui, & qualis competat juriſdictio ſuper Hoſpitale Majus Civitatis Eugubij, & reſpective jus illud viſitandi in caſu &c.* *Seſſ.* 22. *cap.*8. *&*9. *de Reform.*

II. *An, & cui competat adminiſtratio bonorum, & jurium hæreditariorum bo. me. Antonij Gioja in caſu &c.*

III. *An, & a quo eligi, & approbari debeant Capellani Curati, cæterique Officiales, & Famuli Hoſpitalis ex reditibus ſupradictæ hæreditatis conducti in caſu &c.*

Ad I. II. & III. Dilata: coadjuventur probationes, & reformetur primum dubium.

Sess. 25. Decret. de Purgatorio.

FERRARIEN. Plurimæ aderant ab antiquissimo tempore erectæ Capellaniæ in Ecclesia Metropolitana Ferrarienfi, quarum Capellani admittebantur ad participationem distributionum juxta qualitatem Servitij Nonnullæ ex hisce Cappellaniis certam habebant fundationem, & onera; Aliæ fundationem quidem habebant, sed onera adeo confusa erant, ut liquido erui nequiret quænam illa revera fuissent; Aliæ demum nullam habebant fundationem, seù, quod verius est, fundatio non reperiebatur. Quoad Capellanias secundi, & tertij generis contentio renovata est circa initium currentis sæculi, quæ diù antea viguerat inter Capellanos, & Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ quoad onerum adimplementum. Præsul Fontana Episcopus Ferrarienfis quodam Synodali Decreto anni 1599. sic mandavit = *Et quia omnibus Capellis id oneris injunctum est, ut Rector certis diebus Missam celebret, ordinamus, ut omnes saltem singulis Mensibus Missam celebrent pro illis Mortuis, qui illas Capellanias dotarunt, vel aliquid reditus legaverint, idque nisi sæpius pro Mortuis celebrare teneantur ex institutione, vel ex alia oneris sibi injuncti ratione*, = quod Decretum confirmatum fuit anno 1612. a Cardinali Leno pariter Episcopo Ferrarienfi. Verum Vicarius Generalis ejusdem Cardinalis Leni anno 1617. Tabellam publicavit, in qua Capellanis injunxit, ut celebrarent secundum eorum fundationem, & quatenus ista non adesset tenerentur celebrare per hebdomadas, & hanc Tabellam anno 1697., sede Episcopali vacante, renovavit Vicarius Capitularis.

Attenta hujusmodi ordinationum diversitate, contendebat Capitulum adigere Capellanos ad observantiam Tabellarum annorum 1617., & 1697.; contra vero Capellani adnitebantur nihil ultra ab ipsis exigi posse, quam quod Synodali Decreto mandatum fuerat. Quæstionis decisio ad judicium Sac. Congregationis delata est, & proposito dubio = *An, & quomodo sit providendum in casu &c.* Die 7. Julij 1703. Eadem Sac. Congregatio censuit = *Hujusmodi Causam remitti ad Emum Episcopum, qui auditis interesse habentibus, desuper prout juris fuerit providebit.*

Regebat tunc temporis Ecclesiam Ferrarienfem Cardinalis del Verme, cujus Vicarius Generalis assumpto quæstionis examine, die 14. Decembris ejusdem anni 1703. hanc edidit Sententiam = *Capellanias cum expressione de-*

man-

mandatæ celebrationis juxta ſtylum, ſive uſum, aut laudabilem conſuetudinem Eccleſiæ Ferrariæ, quæ ſunt ſub invocatione S. Nicolai de Bario, Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, S. Appolloniæ ſuperioris, S. Matthiæ Apoſtoli, Converſionis S. Pauli Apoſtoli, & SS. Maurelij, & Marthæ ſubjectas, & obligatas fore, ac eſſe quamlibet earum ſubjectam, & obligatam celebrationi Miſſarum alternativè per hebdomadam cum ſola officiatura, ſive præſentia in dicta Eccleſia Cathedrali, demptis tamen dictis Capellaniis Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, & S. Appolloniæ ſuperioris, quas, ob earum fructuum tenuitatem, obligatas eſſe volumus primam ſcilicet ad ſex Miſſas, ſecundam ad duas in ſingulis alternis hebdomadis, hoc eſt ad Miſſas duodecim, & quatuor reſpective quolibet Menſe pariter cum ſola præſentia, ſive Officiatura in Eadem Cathedrali. Ac proinde dictarum Capellaniarum modernos Capellanos, ac alios omni futuro tempore Succeſſores abſolvenndos, & liberandos fore, ac eſſe ab oneribus, de quibus in dictis Tabellis, ac reſpective condemnandos, & obligandos ad celebrandum ad prædictam formam Decreti Synodalis Epiſcopi Fontanæ, & alternativè per hebdomadam reſpectivè.

Prædictæ Capellaniæ deſcriptæ ſunt in Tabella Onerum Miſſarum, quæ in Sacrario Eccleſiæ Metropolitanæ aſſervatur, cujus tenor ſequens eſt = *Obblighi di Meſſe di ſola preſenza nella Chieſa Metropolitana di Ferrara I. Beneficio ſotto il titolo di S. Appollonia Superiore col peſo di quattro Meſſe al Meſe di ſcla preſenza: Entrata ſc. 4. 10. II. Altro ſotto il titolo dell'Immacolata Concezione di Maria Vergine, Meſſe dodici al Meſe di ſola preſenza: Entrata ſc 7.49. III. Altro col titolo della Converſione di S. Paolo Apoſtolo coll' Alternativa, cioè una Settimana si, una nò di ſola preſenza: Entrata ſc. 25. IV. Altro ſotto il titolo di S. Mattia Apoſtolo coll'alternativa come sopra: Entrata ſc. 46. V. Altro ſotto il titolo de SS. Maurelio, e Marta coll' alternativa come ſopra: Entrata ſc. 16. 66. VI. Altro ſotto il titolo di S. Nicolò di Barì coll' alternativa ſudetta: Entrata ſc. 23. 17.* Præter Capellanias in Sententia Vicarii Generalis Cardinalis del Verme recenſitas, aliæ etiam in Eadem Tabella adnotatæ reperiuntur Capellaniæ cum onere celebrationis Miſſarum *di ſola preſenza*: VII. enim loco deſcribitur *Officiatura alternativa come ſopra ſotto il titolo de SS. Apoſtoli Filippo, e Giacomo: Entrata ſc. 12. VIII. Beneficio ſot-*

sotto il titolo di S. Sebastiano col peso di dodici Messe la settimana di presenza solamente : Entrata sc. 14. IX. Officiatura di presenza quotidiana summo mane sotto il titolo de SS. ReMagi : Entrata sc. 21 81. X. Seconda , e terza Messa conventuale quanto accade secondo la Rubrica di sola presenza .

Qui præfatas obtinuerunt Capellanias dum Missas *di sola presenza* celebrabant , consueverunt etiam eadem die alia onera Missarum adimplere cum applicatione Sacrificij . Hanc consuetudinem non satis tutam existimarunt Revisores Legatorum Piorum in Pastorali Visitatione ab Eminentissimo Archiepiscopo in dicta Metropolitana Ecclesia peracta ; Verum advertentes ob redituum tenuitatem , & excessivum numerum Missarum in eadem Ecclesia celebrandarum difficile admodum esse Sacerdotes invenire , qui Sacrorum onera *di sola presenza* satisfacerent, quin eis quoque licitum esset adimplere alias Missas , quibus inest onus applicationis, preces dederunt SSmo Domino Nostro , quibus postularunt, ut Apostolica auctoritate Capellanis prædictis indulgere dignaretur facultatem satisfaciendi oneribus Missarum *di sola presenza* per solam celebrationem cum applicatione tamen Sacrificij pro aliis Legatis , quibus onus inest applicationis ; Vel saltem Emo Archiepiscopo authoritatem tribueret, aliam statuendi methodum,quæ & præterita prospiceret, & futura provideret ; Delegato hujus rei examine ad Sacram Congregationem , rogantur hodie Eminentissimi Patres super hujusmodi instantia judicium proferre .

Emus Archiepiscopus refert,quod = *in perscrutandis Missarum oneribus vidi per plura earumdem ab unico Capellano dupliciter satisfieri , authumantes Capellani ipsi sola nempe præsentia uni Capellaniæ satisfieri , alteri vero applicatione* = Prosequitur inde = *Multum temporis , ac diligentiæ adhibitum fuisse in antiquis pervolvendis Archivij Metropolitanæ monumentis ; ast prope in irritum curæ evaserunt , cum Beneficiorum authenticæ Fundationes haud proprie comperiantur . Verum Documentum irrefragabile adest cujusdam Sententiæ negotium tangentis sub die 14. Decembris anno 1703. tempore quo Ecclesiam hanc Emeritissimus moderabatur Cardinalis Episcopus a Verme , qui auctoritate istius Sac. Congregationis suffultus , partibus contradicentibus definire videtur , præsentiam tantummodo sufficere pro æquo Capellaniarum adimplemento absque applicationis onere , cujus Decreti exemplar EE. VV. subj-*

ſubjicio. Tranſmittit etiam Elencum decem Capellaniarum, quæ gravantur onere celebrationis Miſſarum *di ſolo preſenza* extractum a Tabella onerum Miſſarum in Sacrario exiſtente.

Poſt hæc addit = *Ex memorato Decreto* (Sententia nempe Vic. Generalis Card. del Verme) *recte inferri videtur ſemper de feciſſe fundationis iſtarum Capellaniarum documenta, & cum ibidem de ſtylo hujuſmodi, ac conſuetudine mentio habeatur, non de alia opinanda videtur obligatione, præter quam de ſola memorata præſentia, fortius quia ſupradicto Decreto non interrupta accedit obſervantia etiam quoad Capellanias in eodem omiſſas decreto, quæque habentur in Tabella deſcriptæ num.7., & 8. cohærent ad hæc non mediocria incommoda, conjecturæ nonnullæ, parvique reditus iſtarum Capellaniarum: Siquidem Capellano Beneficij obſignati num.9. onus ineſt ſummo mane celebrandi, ut Sacrum Artifices præſertim audire queant; Apprime ideo ſumma veſtra intelligentia animadvertere poterit PP. EE. nequaquam ſtipendium celebrantium incommodo correſpondere, cum non niſi ſc. 21. 81. a Capellano quotannis habeantur, quod incongruum, atque inſufficiens omninò foret manualis Elemosynæ, habita ratione, vigentis hic obulorum duodecim.*

Loquitur deinde de ſecunda, & tertia Miſſa Conventuali celebranda, quando Rubrica id præcipit, & ait = *Non deſunt Canonici diligenter quotidie juxta EE. VV. prænotata Decreta, & Conſtitutiones Sacrum cum Cantu facere pro Benefactoribus Conventuale vulgariter dictum. Omittunt vero hujuſmodi applicationem cum duas, vel tres* [monente Rubrica] *perſolvunt Miſſas, quod eſt in more in hac Eccleſia poſitum, atque idcirco San. Mem. Benedicti XIV. Conſtitutiani* = Cum ſemper oblatas = *omninò conſentaneum*.

Quod attinet ad tempus, quo Capellaniæ fuerunt erectæ, & ad Altaria, ubi illarum onera ſunt infixa, teſtatur *Per multas allatas Capellanias temporum vetuſtate Eccleſiam ipſam Metropolitanam prope æquare, adeo ut, quum ex antiquiori forma, nunc elegantior, ac venuſtior magnopere ſit Eminentiſſimo del Verme incipiente, Archiepiſcopi Card. Ruffo ſplendido perficientis opere, Altaria hinc, quo numero eccelſiva, eo ſtructura infima majori in parte demoliri occurrit, ne Templi majeſtas deformaretur. Hæcque, aliæque fuere in cauſa cur Archiepiſcopus Ruffus,*

vel

vel etiam è Verme translationem onerum in alio Altari dicendum eſt , quod peregerint .

Demum Votum aperiens inquit = *Ad id quod ſpectat de hiſce Capellaniarum correſpectivis reditibus, impares prorſus eſſe, ſi præſentiæ alterum applicationis Sacrificij onus addatur . Quamobrem ſpectatis his omnibus, aliiſque, & immemorabili præſertim conſuetudine , atque nimia redituum tenuitate, prædictas bis Mille Miſſas in ſupplici enunciatas libello ſolummodo præſentia , & abſque ulla applicatione per Capellanos perſolvendi ; cenſerem deinceps quoque id peragi poſſe , uti vehementer juſtiſſimis , atque pluribus decauſis exoro , quatenus aliter gravi Sapientique EE. VV. Judicio haud videatur .*

Infinitus eſt Miſſæ valor , ſed finita applicatio , ita ut pro una Miſſa non licet plures eleemoſynas accipere , & pluribus oneribus ſatisfacere . Alexander VII. inter alias hanc propoſitionem damnavit=*Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere , & Sacrificium unum offerre , neque etiam contra fidelitatem , etiamſi promittam , promiſſione etiam juramento firmata danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram*;Et Urbanus VIII. declaravit = *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare , ratione Beneficij , ſeù Capellæ , Legati aut Salarij , ſi elemoſynas pro aliis etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint , non poſſe eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere .* Advertit tamen *Fagnanus in cap. Significatum de Præbendis a num.* 38. *ad finem* = Sacerdotem , qui tenetur ad ſolam Miſſæ celebrationem , non autem ad illius applicationem poſſe pro applicatione eleemoſynam accipere .

Ponderandum modo eſt, an Beneficia , de quibus agitur, onus præferant ſolius celebrationis , ſeù potius celebrationis inſimul , & applicationis . In facto ſcire præſtat , quod anno 1703. dum in Sac. Congregatione acta fuit quæſtio inter Capitulum Eccleſiæ Metropolitanæ , & Poſſeſſores Beneficiorum , quæ in Tabella Onerum Miſſarum a numero 1. uſque ad num. VI. deſcripta reperiuntur, Cardinalis del Verme horum Beneficiorum Catalogum tranſmiſit ſic inſcriptum = *Capellaniæ , quæ habent fundationem cum oneribus indefinitis , vel non ſatis expreſſis , & nihilominus obligatæ ſunt ex Tabella ad celebrandum alternatim per hebdomadam ſine applicatione* . Et in eodem Catalogo fundationis verba ſic recenſentur = *Verba fundatio-*

nis

nis quoad onera sunt infrascripta videlicet ; Teneatur celebrare Missas ad ipsum Altare juxta laudabilem consuetudinem Ecclesiæ Ferrariæ , & alia onera adimplere , ad quæ de jure , vel consuetudine tenentur alij Capellani .

Hæc in facto prænotanda erant ; ad jus tamen quod spectat, nonnulla , quæ ad præsentis Causæ decisionem conferre possunt,adnotata fuerunt in Causa *Bononien. Dispensationis* descripta in Folio distributo pro Congregatione diei 11. Januarii currentis anni , quod resumere rogantur ; Addendum tamen hic est , quod Cryspinus de Pastorali Visitatione *part.* 2. §. 20. *num.* 39. testatur , se vidisse Votum scriptum proprio caracthere Card. Paulucci primum Secretarij , inde verò Præfecti Sac. Congregationis sic expositum = *An Sacerdos , qui nulla obligatione in Confraternitatibus , vel in Monasteriis Monialium , quam pro ornatu Ecclesiæ , vel ut Confratres , vel Moniales satisfaciant præcepto audiendi Missam , possunt , ultra stipendium, quod recipiunt a Confraternitate , vel Monasterio aliud stipendium recipere,Congregatio Concilii respondit non posse .*

Ferrarius verbo *Missæ Sacrificium art.* 3. *num.* 12. *ad* 14. sustinet,Beneficiatum teneri applicare Sacrificium pro Beneficii Fundatore , licet onus hujusmodi non reperiatur expressum , idque fortius observandum esse , si Beneficium recenter sit fundatum , & reditus habeat , qui vel excedant , vel adæquent id , quod vel ex jure , vel ex consuetudine solet erogari pro onere applicationis , quia credibile est omninò Fundatorem voluisse potius pro se , & suis Sacrificij fructum applicari , quam Ecclesiæ cultum . Verum cum aliis Doctoribus ab eo allegatis advertit , quod si Beneficij reditus non adæquent consuetum stipendium pro Missarum applicatione , sed sint longe inferiores,vel Beneficium sit antiquum , & eo tempore erectum , quo ob penuriam Sacerdotum præcipuus respectus haberi solebat ad commodum Populi , ad honorem loci , vel Templi , vel Sancti , tunc censet Capellanum non teneri ad applicationem Sacrificij .

Sac. Congregatio *in Aretina* 28. *Aprilis* 1629. *definivit Sacerdotem non posse novam eleemosynam recipere , & duabus obligationibus unica Missa satisfacere , nisi in fundatione expressè cautum sit , quod non teneatur Sacrificium applicare: lib.* 14. *Decret. pag.* 78. Item in *Alexandrina* diei 26. Aprilis anni 1635. ad petitionem cujusdam Canonici

respondit = *Oratorem non obstante allegata consuetudine, & quod in fundatione, non habeat onus celebrandi, & applicandi Sacrificium, non posse diebus, quibus per turnum juxta Tabellam Ecclesiæ Missas celebrat, applicare Sacrificium pro sibi elargientibus eleemosynam: lib. 19. decret. pag. 242.*

In *Tricastinen. Applicationis Sacrificij*: Franciscus Ramud loci Abolenæ hæredes instituit Præsbyteros, & Monachos aggregatos Collegiatæ Ecclesiæ S. Martini ejusdem loci cum onere = *Di far dire, e celebrare ogni giorno in perpetuo senza discontinuazione alcuna una Messa bassa nella Chiesa del devoto Monastero delle Monache stabilito in detto Bolena al titolo di S. Orsola, ed all' ora, che dalla Dama Superiore di detto Monistero gli sarà prescritta, e designata per commodo delle Monache, ed ogni Lunedì non impedito da Festa la detta Messa si dirà, e celebrerà de morti per la salute dell' anima di detto Signor Testatore*= Quæsitum a Sac. Congregatione fuit = *An Missa fundata per quondam Franciscum Remud in Ecclesia Monialium S. Ursulæ Villæ Abolenæ sit applicanda pro Fundatore, aut pro dd. Monialibus, aut ad libitum Sacerdotis celebrantis in casu &c.* = Die 8. *Augusti* 1711. respondit = *esse applicandam ad libitum Sacerdotis celebrantis, excepta feria secunda applicanda pro anima Fundatoris lib. 61. Decret. pag.* 358.

Cum autem Tabella Onerum Missarum Ecclesiæ Metropolitanæ Ferrariæ decimo loco describat onus secundæ, & tertiæ Missæ Conventualis, quæ, mandante Rubrica, sunt celebrandæ, non abs re erit referre, quid de illarum celebratione, & applicatione mandat San. Mem. Benedictus XIV. in Constitutione *Cum sempre oblatas*, §. 32. ait ipse = *Nos ita judicamus, idque vobis tenendum indicimus: laudandos nempe, & confirmandos esse, quotquot sponte sua secundam, aut tertiam Conventualem Missam pro Benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum Ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent; Ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omninò secundæ, tertiæque Missæ Conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro Defunctis, Ecclesiæ Benefactorum in genere non obliviscantur.*

Hæc animadvertenda duxi, superest modo, ut EE. VV. decernant.

An;

An, & de quibus Capellaniis sit locus celebrationi, & applicationi Missarum in casu &c.

Dilata, & ad mentem; & mens est quod exhibeantur Decretum, & Acta facta coram clar. mem. Card. del Verme, & quod Scribatur Eminentissimo Archiepiscopo pro nova informatione juxta instructionem.

RAVENNATEN. PATRIMONIJ SACRI. Vincentius Mencoli Civis Ravennatensis per contractum inter vivos anno 1739. fundum constituit pro Patrimonio Sacro alicujus Clerici ejusdem Civitatis, qui ad Sacros Ordines promoveri cuperet. Jus nominandi Clericum quoad vixit sibi reservavit, & post ejus obitum detulit ad Priorem pro tempore Magistratus Sapientum, & ad Decanum Collegij Juris peritorum Ravennæ, quibus injunxit, ut in casu nominationis *unitamente, è di commun concordia* eligere deberent = *Un Chierico, o altra persona capace a vestir l'abito Clericale di detta Città di Ravenna sua Patria, e che sia povero, ed abbia bisogno di tal Patrimonio per così poterfi ordinare al Sacerdozio.* Prævidens autem casum, quo Clericus ad Sacerdotium assumptus provisus esset de aliquo Beneficio sive simplici, sive cum cura Animarum, quod ad sui sustentationem juxta Sacros Canones, & Constitutiones Apostolicas sufficeret, tunc jussit = *Che ipso facto s'intenda, e sia esso Patrimonio rinunziato, rassegnato, e ritornato ipso jure, e senza alcuna contradizione nelle mani di detti Signori Capo del Magistrato, e Decano del Collegio, che unitamente come sopra al più presto sarà possibile dovranno nominare, e presentare al detto Patrimonio altro Chierico, o persona capace di detta Città di Ravenna povera, e che abbia bisogno di detto Patrimonio.* *Sess. 21. cap. 2. de Reform.*

Ad hujus Patrimonij titulum Sacris Ordinibus initiatus est Sacerdos Andreas Cignani, qui licet de Mense Februarij

elapsi anni Parochialem Ecclesiam Villæ de Massa obtinuisset, adhuc tamen Patrimonium dimittere recusavit, utpote quia illud compatibile asseruit cum Beneficio Parochiali. Hac de re protestationem emisit, sed ipsa protestatione Prior Magistratus, & Decanus Collegij ad nominationem devenerunt; Discordes tamen fuerunt in hac nominatione; nam Prior Magistratus nominavit Clericum Raphaelem Cignani, Decanus vero nominavit Clericum Nicolaum Fuschini. Factum hinc est, ut tam Clericus Cignani, quam alter Clericus Fuschini insteterint contra Sacerdotem Andream Cignani pro dimissione Patrimonij, inde vero quæstio inter eosdem orta est, quis eorum præferri deberet; Quæstionis examen judicio S. Congregationis ablegavit SSmus Dñus Noster; quare hodie bina dubia, partibus jura sua deducentibus, definienda proponuntur.

Ad I. inquit Clericus Cignani, quod licet juxta assumptum Sacerdotis Andreæ Cignani pro Beneficiis Parochialibus Sacri Canones congruam præscripserint in scutis centum, quodque revera Vincentius Mencoli non aliter Patrimonium vacare voluerit, quam in casu, quo illius possessor Parochiale Beneficium in ea summa fuisset assecutus, nihilominus id verificari sustinet in præsenti casu; Advertit enim reditus Beneficij Parochialis Villæ Massæ, quod modo retinet dictus Sacerdos Cignani excedere annua scuta centum, idque probare ex jurata depositione prædecessoris Parochi testantis ab anno 1776. ad annum usque 1781. reditus prædictos præfatam summam scut. 100. longe excessisse, & confirmari etiam testimonio alterius Parochi, qui ducto calculo per decennium reditus dictæ Parochiæ in unoquoque anno ad summam scut. 110. pertingere affirmavit. Nec istarum probationum vim infringi aliquo modo posse ex Catastro confecto anno 1731., & ex quadam peritia postmodum exarata, in quibus reditus Parochiæ computantur in annuis scut. 78. 54.; Nam ab eo tempore Segetum, & Frugum pretia plurimum adaucta sunt, & ex causa augmenti, reditus Parochiæ annua sc. 100. excedunt.

Post hæc addit alienum esse a veritate congruam Beneficiorum statutam esse in annuis scutis centum, nam nihil in jure cautum est quoad congruam Beneficiorum simplicium; De Beneficiis vero Parochialibus, licet Sacrum Con-

Concilium Tridentinum prohibuerit penſiones Imponere ſuper Beneficiis Parochialibus ſummam Ducatorum 100. non excedentibus, nihilominus non ex eo inferri, ut Congrua ſcut. 100. debeat Parochus provideri, cum in alio Concilij loco habeatur, quod Congrua Parochi in ea quantitate ſtatuenda ſit, quæ pro Parochiæ, & Rectoris neceſſitate decenter ſufficiat, & hanc Congruæ quantitatem non ubique in eadem ſumma præfiniri debere, ſed habita ratione ad locorum qualitates. Cæterum advertit Vincentium Mencoli præcepiſſe obtinentes Patrimonium ab ipſo inſtitutum illud dimittere debere, ſi de aliquo Beneficio *ſemplice*, *o curato ſufficiente al ſuo biſogno* fuiſſent provili, & hoc modo reſpexiſſe ad Congruam, quæ juxta Synodalem legem pro ſuſcipiendis Sacris Ordinibus requiritur; Reditus vero Parochiæ, quam retinet Sacerdos Cignani æquare dictamCongruam a Synodo præſcriptam, etiam habita ratione ad Peritias ab ipſomet Cignani productas, in quibus Parochiæ reditus ſtatuuntur in annuis ſcut. 78. 54.

Ad II. notat, quod ubi agitur de eligendo uno ex pluribus concurrentibus, omnium concurrentium merita diſquiri, & comparari debent, & eum præeligere oportere, qui magis utilis Eccleſiæ futurus deprehenditur. In primis tamen ad examen revocandam eſſe morum integritatem, & litterarum peritiam, quæ duo requiſita copulativè in eodem ſubjecto concurrere debent; Utrumque requiſitum ait in eo inveniri, nam ab adoleſcentiaHumanioribus litteris operam dedit in Archiepiſcopali Seminario, indeque Philoſophiæ, & Juri Eccleſiaſtico ſedulo incubuit; Omnibus diebus Feſtis ſervitio propriæ Parochiæ ad Sacras peragendas Functiones, Pueroſque imbuendos Fidei rudimentis ſemper adfuit; Contra vero Clericus Fuſchini a decimoquarto ætatis ſuæ anno uſque ad vigeſimum primum inter Clericos conductitios Eccleſiæ Metropolitanæ fuit cooptatus, & tunc vix Rhetoricæ rudimenta didicerat. Poſtea vero ſecuta vacatione controverſi Patrimonij Philoſophiæ, & Theologiæ Morali ſtuduit per breve tempus, ut aliqua ſibi requiſita compararet. Detrectavit experimentum propriæ idoneitatis coram Examinatoribus Synodalibus ſubire, nec unquam ſuæ vocationis ſpecimen præbuit; Hiſce vero poſitis exiſtimat ſibi adjudicandum eſſe Patrimonium fundatum a Vincentio Mencoli excluſo prorſus Clerico Fuſchini. Ad

Ad paupertatem quod attinet, notat, ipsum pauperiorem esse Clerico Fuschini; Inquit enim omnibus fortunæ bonis destitutum esse; Matrem Viduam habere, cujus dos plurimo ære alieno gravata est, nec ullam spem ei esse consequendi aliunde Patrimonium, ut ad Sacros Ordines promoveri possit; Fuschinus vero consecutam nuper fuisse Mansionariam supranumerariam in Ecclesia Metropolitana, quæ titulum pro suscipiendis Majoribus Ordinibus præbet, & ad pinguiorem Præbendam optare potest.

Ex alia parte Clericus Nicolaus Fuschini ad I. Advertit claram esse Fundatoris voluntatem præcipientis Patrimonium vacare eo ipso, per allecutiouem cujuscumque Beneficii; Vacasse proinde statimac Andreas Cignani, Parocus Villæ Massæ fuit electus. Perperamque objici Parochiæ reditus ad congruam sustentationem non sufficere, cum ex plurium Testium depositionibus, immo ex ipsa peritia a Sacerdote Cignani exhibita contrarium probetur.

Ad II. sustinet, gratificationem sibi deberi, tum quia nominatus a Decano Juris peritorum ante quam suam nominationem expleret alter Compatronus, tum etiam quia summa rei familiaris angustia præmitur, gravatur onere alendi Matrem Viduam, pluresque Fratres, & duas Sorores, nec habet unde Patrimonium constituere sibi possit; Demum advertit ex Parochi testimonio, aliisque Testibus fide dignis probari spectatam ejus vitam, ac peritiam, ut Sacris Ordinibus initiari valeat. Nec suæ paupertatis statum in minimo immutari, ex quo Domum possideat, cum Domus sit gravata ære alieno in summa scut. 600., & vix supersint libera ab omni onere sc. 150., quæ summa, præter quam quod insumi debet pro dote duarum Sororum, satis haud est ad Patrimonium constituendum.

Contra vero Sacerdos Andreas Cignani contendit adigi ipsum non posse ad dimittendum Patrimonium, quousque ex adverso non probetur Parochiam Villæ Massæ tot fructus reddere, quot ad congruam sui sustentationem sufficiant, cum hæc fuerit voluntas Vincentij Mencoli, qui Patrimonium instituit; Fructus vero dictæ Parochialis Ecclesiæ non sufficere ad congruam sustentationem nam computatis etiam incertis, vix habentur sc. 84. 70., & hinc

& hinc advertit Concilium Tridentinum Locorum Ordinariis indixisse, ut Parochis congruam assignarent, quæ pro Rectoris, aut Parochiæ necessitate decenter sufficeret, & paulo post addidisse, quod Ecclesiæ Cathedrales, quarum reditus summam ducatorum mille, & Parochiales, quæ summam ducatorum centum non excederent, Pensionibus, aut Fructuum reservationibus minime gravarentur; Ex hoc infert congruam Parochi juxta Concilij legem esse debere in annuis sc. 100. Cumque ad hac summam fructus Parochialis Ecclesiæ Massæ non pertingant, concludit, ipsum haud provisum esse de sufficienti Beneficio ad congruam sustentationem, & propterea a jure retinendi Patrimonium non cecidisse. Quin obstet Constit. S. Pij V., cujus initum est = *Ad exequendum*, in qua statuitur, ut Congrua non sit major centum, nec minor quinquaginta scutorum, nam in ea Constitutione, nulla habita fuit ratio de præfinienda congrua Parochis habentibus habitualem, & actualem curam animarum, solumque provisum fuisse Vicariis perpetuis, qui Curam exercent illarum Ecclesiarum Parochialium, quæ alicui Collegio, vel Monasterio perpetuo sunt unitæ.

Subdit deinde, quod licet Congrua statuenda foret in sola quantitate sc. 50. = adhuc tamen dictam summam non percipit, detractis oneribus, a Parochia Massæ; Cum Parochus teneatur manutenere Sacrarium, providere Oleum, & Ceram pro Ecclesia, & peragere non nullas infra annum Festivitates, quæ omnia magnam redituum partem consumunt, nec hujusmodi expensis suppleri posse cum oblationibus Parochianorum, quia perpauci sunt, & gravi egestate præmuntur. Frustra in medium afferri testimonium prædecessoris Parochi asserentis redditus Parochiæ pertingere ad annua scuta centum, & ultra, nam advertit Testem hunc esse singularem, nullisque adminiculis suffultum, & prosterni a depositionibus Peritorum oppositum asserentium.

Defunctus Vicarius Capitularis, qui de tempore, quo Sacerdos Cignani Parochiam Villæ Massæ assecutus est, Decanus erat Juris Peritorum Ravennæ, plura de dispositione Vincentij Mencoli, & de quantitate redituum ejusdem Parochialis retulit, ac nominationem a se factam in personam Clerici Fuschini propugnat, ut videre est ex ejus relatione.

Præ

Præ oculis habenda est voluntas Vincentij Mencoli, cum ab ea potissimum pendeat præsentis causæ resolutio; Ad I. dubium quod attinet advertendum, Fundatorem jussisse alterius Clerici electionem statimac Sacerdos possessor Patrimonij vel decessisset, vel assecutus fuisset aliud Beneficium, sive simplex sive cum curam animarum *sufficiente al suo sostentamento in conformità delle Costituzioni Apostoliche, e de Sacrosanti Concilj*; Videndum an id intelligi debeat de congrua Synodali statuta ad effectum suscipiendi Sacros Ordines, vel potius de congrua pro Paracho sufficiente. Ad dignoscendum, quæ hac super re fuerit præcisa voluntas ejusdem Vincentij, non abs re erit animadvertere, quod in Instrumento exarato anno 1739. patrimonium pro Clerico promovendo instituit, non autem Parochiale Beneficium fundavit.

Ad II. dubium notandum, quod idem Fundator eligi voluit *UnChierico capace a vestir l'abbito clericale, e che sia povero, e che abbia bisogno di tale Patrimonio per potersi ordinare al Sacerdozio*. Qua de re videndum an hæc omnia requisita *cumulativè* Testator verificari voluerit, & in quonam ex concurrentibus verificentur, aut deprehendantur majora. Hisce perpensis decernent EE. VV.

I. *An sit locus nominationi in casu &c.*

Et quatenus Affirmativè.

II. *An, & cujus favore sit locus gratificationi in casu &c.*

Ad I. Affirmative, & amplius.

Ad II. Gratificationem dandam esse favore Raphaelis Cignani, & amplius.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

TUDERTINA. Sacerdos Cyprianus Petrucci Parochus Ecclesiæ Sanctissimi Salvatoris Civitatis Tuderti ob exiguos fuæ Parochiæ reditus petit unionem, & applicationem Legati Missarum relicti a Philippo Matricli. Proposita hujusmodi instantia in Congregatione diei 5. *Aprilis* currenti anni, & disputato dubio = *An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.*, nulla tunc capta resolutione, mandarunt EE. VV., ut ab Episcopo exquireretur, an alio modo Parochiæ indigentiæ provideri posset; præterea quinam esset Parochiæ reditus, ac tandem eidem Episcopo jusserunt, ut con-

consensum Executoris Testamentarij absque ulla reservatione transmitteret.

Ad hæc paruit Episcopus; Transmittit enim Testamentarij Executoris liberum consensum, insuperque testatur = *Certum annuum reditum Parochiæ de qua agitur, consistere in sc.* 28. 05., *ex quibus deductis oneribus ascendentibus ad sc.* 15. 84. *remanent sc.* 12 21. *prout constat ex nuper factis peritiis, & respective attestationibus jure jurando firmatis; Hinc evincitur Parochiæ summa paupertas, nec aliud adest remedium, quo suppleri possit illius indigentiæ, quam præsenti gratia, quam Orator exoptat, prout juramento testati sunt ipsi Parochiani a me ad hunc effectum interpellati.*

Supereſt nunc, ut EE. VV. resumpto Folio Congregationis diei 15 elapsi mensis Martij, in quo causa descripta est, definiant.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Affirmativè, celebratis Missis viginti quatuor quolibet anno ad Formam Testamenti, facto verbo cum Sanctissimo.

CAMERINEN. SUBSIDIJ DOTALIS. Mandavit Præsul Petrus Sanctes Fanti in ejus ultimo Testamento, ut persolutis nonnullis annuis legatis superextantes hæreditatis reditus deponerentur in æde Sacra pro distributione tot subsidiorum dotalium singulis annis peragenda ad rationem sc. 50. = pro quolibet. Hujusmodi dotalia subsidia assequi voluit a Puellis, quæ natales fortitæ fuissent, & moram traherent in Oppido Campi rotundi, eisque persolvi jussit cum ordinibus subscribendis ab Administratoribus Communitatis ejusdem Loci. Unum ex dictis subsidiis dotalibus obtinuit Angela Antonia Rilli, sed advertens ex defectu congruæ dotis sponsum invenire non posse, preces exhibuit sanmem. Clementi XIII., quibus narravit se esse Testatori sanguine conjunctam; Patrimonium paternum exiguum esse, ac ære alieno gravatum; ne igitur innupta maneret, petiit, ut ultra dotem jam assecutam, alia scutatercentum ex reditibus hæreditariis Præsulis Fanti eidem assignarentur. Ablegatis precibus Sac. Congrega- *Sess.* 22. *cap.*6. *de Reform.*

tioni, diu quievit Oratrix Puella; Modo autem resumptis viribus, suas preces EE. VV. proponit.

Hanc, inquit, instantiam Testatoris dispositioni non modo non adversari, sed immo conformem esse, cum verosimile sit, quod si Testator adhuc viveret, suamque Consanguineam videret fortunæ bonis destitutam, ipsi potius, quam extraneis Puellis opem tulisset. Cum igitur Oratrix sexto consanguinitatis gradu distet a Testatore prout testatur Episcopus Camerinensis, & plurimi testes deponunt, sitque etiam ex primariis Familiis Oppidi Campirotundi, æquum proinde esse, ut ex superexstantibus reditibus hæreditatis Fanti cumulus conficiatur ad summam usque scut.300. pro dote, cujus præsidio paris conditionis viro nubere possit. Et in his similibus circumstantiis Sac. Congregationem anno 1748. cumulum in ea summa mandasse favore Consanguinearum Testatoris, & san. mem. Benedictum XIV. per Organum Sac. Congregationis Boni Regiminis eandem summam concessisse Theresiæ Piergiovanni eidem Testatori sanguine conjunctæ.

Ex alia vero parte advertit Communitas, non probari Oratricis paupertatem, nec illius cum Testatore consanguinitatem; prout nec probari eam exuberantem hæreditariorum redituum quantitatem, quæ persolutis omnibus legatis cumulari pro illius dote possit. Maxime quia imperio san. mem. Benedicti XIV. detrahenda sunt annua sc. 90. ab eo assignata pro alendis tribus Adolescentibus ex oppido Campirotundi in Seminario Camerinensi; qua de re concludit nullos ex dicta hæreditate superesse reditus, qui Oratrici assignari possint, & quatenus etiam supererent, nihilominus illius favore dotis cumulus fieri non deberet, cum jam in matrimonium sit collocata; præterea aliæ reperiantur Puellæ, quibus dos promissa jam fuit, & persolvi non potuit ob reditum deficientiam.

Episcopus refert Oratricem ex documentis exhibitis valde prohabiliter demonstrare, ipsam esse sexto consanguinitatis gradu cum Præsule Fanti conjunctam; & unam esse ex Familiis non vulgaris conditionis, Patrem rei familiaris angustia præmi, & ære alieno gravari, nec posse Filiæ sufficienter providere, cum præsertim plures alios habeat Filios, quos sustentare debet. Demum sic ait. *Quare aliqua Oratricis pauperies, ejusque non ignobilis con-*

conditio efficiunt, ut illam dignam arbitrarer, cui ab EE. VV. petitum subsidium benigne concedatur.

Sac. Congregatio extantibus Puellis consanguineis, ne dum illas, in collatione dotium, extraneis Puellis præferre consuevit, ut in *Romana Dotium* 2. *Octobris* 1717., & 4. *Septembris* 1718. *in Nullius, seu Montis Casini Distributionis subsidiorum dotalium* 24. *Septembris* 1729. *in Panormitana Subsidiorum dotalium* 20. *Augusti* 1735., & *Narnien. Subsidiorum dotalium* 17. *Septembris* 1762. . Verum etiam cumulum fieri quandoque mandavit ad dotem congruam illis constituendam, id suadente naturali charitate juxta casuum circumstantias, ut in *Romana Applicationis Legati* 20. *Septembris* 1692. *in Camerinen Subsidiorum Dotalium* 8. *Augusti* 1733., & *in Romana* 22. *Maij* 1757. *ad II. Dubium*. In hoc tamen statuendo cumulo semper præ oculis habuit supplicantium paupertatem, & conjunctionem cum Testatore in eo gradu, qui majorem affectionem præsumeret. Plures hac de re prostant resolutiones in Folio Causæ, cui titulus est = *Lucana Subsidiorum Dotalium* 17. *Junij* 1766.

Videndum in præsenti Causa, an Oratricis paupertas, ejusque consanguinitas cum testatore probata sit; Cum autem a Communitate Campirotundi opponatur, ipsam jam nuptam esse, hinc, si id revera probetur, videndum etiam est, an per contractum Matrimonium a dotium assecutione ceciderit. In *Romana Subsidiorum Dotalium* Hyeronima Capeci insteterat pro cumulo dotium favore quatuor Filiarum, quarum duæ Religioni nomen jam dederant, allæ duæ adhuc erant innuptæ. Cumulum fieri postulaverat in summa sc. 300. pro qualibet, ex subsidio dotali relicto ab Advocato Francisco Stanchi, cui erat sanguine conjuncta. Proposito Dubio = *An, & pro quibus a nnualitatibus sit locus præstationi subsidij dotalis in casu &c.* = Die 7. *Augusti* 1779. responsum fuit *Quoad Moniales Negative; Quo vero ad Elysabetham, & Hyeronimam attentis peculiaribus facti circumstantiis, Affirmative pro quinque annualitatibus pro qualibet* =

Ponderandum præterea an Oratricis petitioni obsistat commutata jam in parte voluntas Præsulis Fanti, cujus hæreditatis reditus erogari debent pro rata in alendis tribus Iuvenibus in Seminario Camerini, præ oculis igitur habendæ sunt preces a Communitate exhibitæ, & rescriptum a Sac. Congregatione editum. Narravit Commu-

nitas ob loci angustiam, & egestatem non raro deesse Puellas, quæ subsidium dotale assequerentur, & quandoque etiam evenire, ut Puellæ, quæ d. subsidium obtinuerunt innuptæ decederent, hinc supplicavit *pro facultate erogandi superextantes reditus præfatæ hæreditatis, & dotes revertendas per obitum Puellarum innuptarum in manutentionem trium Puerorum in Seminario Civitatis Camerini, qui ortum habuerint in sæpe dicto loco Campirotundi* = Die 18. *Junij* 1757. sequens prodiit rescriptum= *Attenta relatione Episcopi Camerinensis censuit, si Sanctitati Suæ placuerit per suas litteras Apostolicas in forma. Brevis eidem Episcopo committi posse, ut veris existentibus narratis, & adimpletis prius omnibus legatis a supradicto Testatore injunctis petitam facultatem erogandi perpetuo reliquos superextantes reditus enunciatæ hæreditatis in sumptus necessarios pro manutentione in Seminario Alumnorum Civitatis Camertis trium Adolescentum supradicti loci Campirotundi ad præmissum effectum pro suo arbitrio gratis impertiatur; lib.* 107. *Decret. pag.* 249.

Post hæc decernendum erit.

An ex assertis superextantibus reditibus hæreditatis bon. mem. Petri Fanti sint applicanda scuta tercentum in dotem Angelæ Antoniæ Rilli in casu &c.

Non proposita cum reliquis.

Sess. 21. *cap.* 7. *de Reform.*

PISAUREN. Extant in Ecclesia Cathedrali Pisaurensi sex Mansionarij, qui diebus Festis Choro interesse tenentur, diebus vero Ferialibus quatuor tantum inserviunt. Quinque ex his Mansionariis sunt ad nutum amovibiles; Alter vero habet Præbendam fundatam a Canonico Pellegrini, quæ in titulum perpetuum confertur. In fundatione hujus Mansionariæ inter alia mandavit Testator = *Che l'entrate, che correranno nel tempo della vacanza dell' Altare debbano primieramente servire per l'officiatura, o mantenimento d'esso, ed il restante interamente spetti al nuovo provisto, o Rettore, o Mansionario* = & pro præmissorum implemento deputavit

suæ

fuæ voluntatis executorem Capituium, & Archidiaconum Ecclesiæ Cathedralis -

Contingit sæpissimè, quod una, vel altera ex dictis Mansionariis diu sit vacans, ex quo deficiat Sacerdos idoneus, qui illam assequi possit, & tempore vacationis fraudatur Ecclesia unius Mansionarij servitio; Ut huic malo occurrerent Canonici statuerunt = *Che quando qualche Mansionaria sia vacante il Signor Prevosto pro tempore, o il Signor Arcidiacono in assenza della Prima Dignità proveda interinamente un sogetto, il quale supplisca le veci del Mansionario, che vaca, e questo a spese della Mansionaria vacante, la quale dovrà contribuire baj. cinque il giorno* = Cum autem huic Capituli decreto obstet voluntas Canonici Pellegrini, qui mandavit, ut reditus vacantis Mansionariæ ab ipso institutæ successori Mansionario deberentur, idcirco Capitulum supplex adiit Sanctissimum Dominum Nostrum, & decreti confirmationem expostulavit, remissis precibus ad Sac. Congregationem, quas apud Eminentissimos PP. modò renovant Canonici.

Episcopus expositа confirmat; refert quod anno 1751. nonnullæ conditæ fuerunt leges ab Episcopo Radicati prædecessore suo respicientes servitium a Mansionariis Choro præstandum, sed nihil provisuum in casu vacationis alicuius Mansionariæ; Provisum tamen postea fuisse a Capitulo pro majori servitio Ecclesiæ edito nuper decreto, quod ipse probavit, quia altera ex dictis Mansionariis ab Ordinario confertur. Itaque concludit = *Animi mei sensum igitur aperiendo, dicam justam omnino esse Oratorum petitionem pro servitio Chori stante parvo numero Mansionariorum, propterea que pro gratia benignè fore, & esse annuendum, eo vel magis, quia Mansionaria Pellegrini deductis oneribus quolibet Mense reddit scuta quatuor circiter, itaut detractis juliis quindecim mensualibus tantum pro provisionaliter idserviente, remanet Julii viginti quinque pro novo eligiendo Beneficiato, sicque in parte adimpleta remanet mens Testatoris, etiam quoad exuberantiam tempore vacationis.*

Regula est, quod Decedentium voluntates commutentur, quando necessitas, vel utilitas Ecclesiæ id postulet. Videndum igitur est an aliqua ex dictis causis in casu concurrat. Ponderandum an sufficiens sit causa defectus

unius

unius Manſionarij. Id autem dijudicabunt EE. VV., a quibus quæritur.

An decretum Capituli ſit confirmandum in caſu &c.

Seſs. 22. cap. 6. de Reform.

ROMANA SUBSIDIJ DOTALIS. Morti proximus Franciſcus Stanchi Teſtamentum condidit anno 1713., quo mandavit, ut ſecuto obitu Uxoris ſuæ, quam hæredem univerſalem inſtituerat, quotannis die Feſto Sancti Franciſci Aſſiſienſis diſtribueretur ſubſidium unum dotale ſcut. 60. Puellæ, quæ ſive in Domino, ſive in Sæculo nubere vellet; Ad aſſequendum ſubſidium præferri voluit Puellam, quæ ſibi magis propinqua foret, vel ſpiritualis affinitatis vinculo eidem Teſtatori, & Uxori conjuncta eſſet. Eveniente autem caſu, quod aliqua ex ſuis Proneptibus extaret, tunc juſſit = *Che per cinque anni continui ſi dia detta dote di ſcudi 60. all' iſteſſa mia Pronipote*, & Proneptis nomine comprehenſam declaravit = *La Figlia della Signora Agneſe Capece nata dalla quondam Tereſa Stanchi mia Cugina.* Pij Legati Fundum præfinivit in Locis Montium viginti. Puellæ nominationem ab Executoribus Teſtamentariis fieri præcepit, & poſt iſtorum deceſſum ſubſtituit Priorem pro tempore Cœnobij S. Mariæ de Victoria Urbis.

Anno 1779. preces exhibitæ fuerunt SSmo Domino Noſtro nomine Conſtantiæ Bernardi, quæ narravit matrimonio junctam fuiſſe Carolo Capece Advocati Stanchi Abnepoti, atque ex eo quatuor Filias procreaſſe, & deinde Virum deceſſiſſe fortunæ bonis deſtitutum, quade re nihil habere unde dotem ſuis filiabus parare poſſit; Cumque autem ſuæ Filiæ ab Advocato Stanchi deſcenderent, & his cumulum fieri juſſerit ſcut. 300. ſupplex proinde petiit, ut ſuſpenſa dotium diſtributione cumulus con-

conficeretur ad ſummam uſque ſcutorum 1200. inter ſuas filias pro dote partiendam. Remiſſæque hujuſmodi preces ad Emos Patres, cauſa ſub infraſcripto Dubio hodie proponitur.

Denegari, inquit Conſtantia, non poſſe favore ſuarum Filiarum petitam cumuli confectionem, quoties probetur ipſas cum Teſtatore conjunctas eſſe; Has vero probationes non deeſſe ſemelac verificetur Carolum Capece illarum Patrem deſcendere a Theodora Stanchi, quæ fuit germana Soror Advocati Stanchi; Cum autem Fœminæ omnes ab ea deſcendentes ſimili cumulo donatæ fuerint, æquum videri, ut eadem liberalitate fruantur ipſius Filiæ; Maxime quia nulla alia concurrit Puella, quæ Teſtatori magis ſit propinqua, & prædictam gratiam expoſtulet. Fatetur deficere fidem Baptiſmatis dictæ Thereſiæ Stanchi, ejuſque Viri Bernardi Capeci; Verum advertit, non inde ſequi, quod probata non ſit ſuarum Filiarum deſcendentia a Teſtatore, cum demonſtretur ipſas ſanguine conjunctas eſſe aliis Fœminis, quæ cumulum ſunt conſecutæ; Suſtinet enim ſufficere probationem conſanguinitatis cum alia Puella, quæ ob probatam conſanguinitatem reſpectu Teſtatoris, legatum obtinuit.

Perperam vero objici, Teſtatorem cumulum fieri demandaſſe pro ſuis Proneptibus tantum, quas inter Puellæ Capece non recenſentur. Reſpondet enim Teſtatorem Proneptis nomine nequaquam comprehendere voluiſſe eas tantum Puellas, quæ dicti gradus prærogativa pollerent, ſed dicto nomine uſum tantummodo fuiſſe, ut demonſtraret, quænam ex ſuis deſcendentibus cumulo dotium frui deberent; Nec diverſimode ſe gerere potuiſſe, cum obierit Teſtator abſque prole, ideoque reſpectum habere ad Collaterales, & ad hujus legati perceptionem invitare debuiſſet deſcendentes a Sororibus tum germana, tum conſobrina, eaſque non aliter quam Proneptis nomine indicare potuiſſe. Demum addit hanc ipſam exceptionem a Priore S. Mariæ de Victoria Urbis deductam fuiſſe, & tamen rejectam tunc, cum aliæ conſanguineæ Advocati Stanchi cumulum obtinuerunt, licet gradum Proneptum excederent; qua de re concludit, quod ſicut in pretio tunc habita non fuit, ſpernenda etiam modo ſit, nec impedimento eſſe poſſit, quominus petitam dotem pro ſuis filiabus conſequi valeat. Prior

Prior S. Mariæ de Victoria Urbis, licet monitus, jura ſua deducere minime curavit.

Emus Urbis Vicarius Oratricis petitioni favet, ut ex ejus relatione, quæ dabitur inter monumenta cauſæ.

De Dotis legato ab Advocato Stanchi inſtituto alias in Sac. Congregatione actum eſt. Proſtant hac de re reſolutiones editæ in *Romana Subſidij dotalis* 27. *Novembris* 1737., & 3. *Septembris* 1740. relatæ in Theſauro Reſolutionum *Tom. VIII.*, & *IX.* Inſtantiam vero, quam hodie Oratrix proponit, ad petitionem Hyeronimæ Capece propoſita fuit in Congregatione habita die 7. *Auguſti* 1779., & cauſa in aliqua parte favore ſupplicantis reſoluta; Cum autem idem ſit caſus, idcirco ne inutili repetitione tædio afficiantur Emi Patres, rogantur reſumere Folium ejuſdem Cauſæ diſtributum pro Congregatione diei 26. *Junij* ejuſdem anni, quod eſt in Tomo 48. Reſolutionum, ac decernere.

An, & pro quibus annualitatibus ſit locus præſtationi Subſidij Dotalis in caſu &c.

Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.

ARIMINEN. REDUCTIONIS. Franciſcus Sacerdos Baldini in Teſtamento exarato anno 1688. reliquit capitale ſc. 500. pro erectione laicalis Capellaniæ ad Altare S. Silveſtri Eccleſiæ Cathedralis Ariminenſis. Juſſit, ut Capellanus per decennium tot Miſſas celebraret, quot reſponderent Eleemoſynæ ad rationem obul. decem pro qualibet Miſſa. Elapſo decennio, mandavit, ut ex reditibus dictæ Capellaniæ ſingulis annis ſc. 12. 50. deponerentur, quouſque Capitale ad ſummam ſc. 800. augeretur. Secuto hujuſmodi augmento præcepit, ut Capellania converteretur in Manſionariam erigendam in Eccleſia Cathedrali, cujus poſſeſſorem adegit ad celebrationem Miſſæ quotidianæ, & ad intereſſendum Choro nonnullis infra annum diebus. Pro ſervitio conſtituit emolumentum ſcutorum trium. Eveniente caſu, quo Capitulum Eccleſiæ Cathedralis erectioni Manſionariæ non aſſentiretur, tunc facultatem tribuit Capellano celebrandi Miſſas in Altari privilegiato Eccleſiæ ſibi benevifæ, addito tamen onere erogandi in celebrationem

alia-

aliarum Miſſarum etiam ſcuta tria, quæ pro ſervitio Chori fuerant aſſignata.

Plura quoad adminiſtrationem bonorum Capellaniæ diſpoſuit; Voluit enim, quod Capellanus Segetes, & Fruges a dictis bonis retrahendas venundaret = *Non al prezzo come che ſi venderanno al raccolto, ne rigoroſo, ne infimo, ma all'ordinario, che correrà communemente alla Piazza in tutto l'anno* = Quod teneretur quolibet trimeſtri rationem reddere adminiſtrationis Executoribus Teſtamentariis, & Patronis = *per conoſcere ſe averà interamente ſodisfatte, ed adempite le ſue obligazioni*; Ac demum juſſit = *Che ſe periſſe qualchè cenſo, o ſcemaſſe il Capitale, o Dote di detta Capellania, o Manſionaria* = tunc provideri voluit eo modo, quo de augmento Capitalis diſpoſuerat.

Renuit Capitulum aſſenſum præbere erectioni Manſionariæ; quare fundatio Franciſci Baldini ad ſtatum Capellaniæ merè laicalis redacta eſt. Iſtius reditus ab initio excedebant annua ſc. 40. verum imminutis poſtea cenſuum interuſuriis, ac deperdito etiam cenſu in ſorte ſcutorum 80. vix hodie pertingunt ad ſc. 23. 44. Sacerdos Ferrandus Garattoni, qui modo d. Capellaniam poſſidet tria ab EE. VV. expoſtulat. Primo, ut fiat reductio Miſſarum habita ratione ad reditus præſentis temporis, & pro unaquaque Miſſa præfiniatur eleemosyna obul. quindecim. Secundo, quod ſtatuatur numerus Miſſarum celebrandarum. Tertio tandem, ut reductio fiat ad vitam Oratoris.

Epiſcopus refert, quod = *Ex certis mihi exhibitis documentis, conſtat reditus annuos Capellaniæ fere dimidio minores mox evaſiſſe, quam forent primis a fundatione temporibus; facto enim eorum calculo per ſeptendecim ab hinc retroactis annis computando cum aliis integros fructus cenſus ſc. 80. juxta preces deperditi, & non niſi paucis ab hinc annis in priſtinum reſtituti, rata ſingulis annis correſpondens inventa eſt ad ſummam ſc. 23. 44. vix pertingere, non detractis ab ea quibusdam oneribus, eoſdem reditus, præter Miſſas, & decimas, gravantibus. Hujuſmodi autem reditus diminutio, ex paulo minus, quàm dimidiato Cenſuum fœnore eſt repetenda, atque ex eo quod prædia Capellaniæ in declivitate Montium ſita, partim in præceps, propter inſtabilitatem ſoli, cui difficillime occurri poteſt, paulatim dilabuntur, ac ſationi ſunt inepta, partim ſterilia magis evadant.*

Teſtatur petitioni Oratoris conſentire omnes intereſſe habentes, ac demum ait = *Mihi vero nihil ſeſe offert, quod votis Oratoris obſtare dicam; imino præter quam quod rationi innixa mihi videtur eſſe, atque benigne exaudienda ejus inſtantia, ſpero futurum, ut dummodo voti compos factus, præſertim quoad certum, fixumque numerum Miſſarum, ipſe abſque ſcrupulo eſſe valeat in adimplenda Fundatoris mente, ſtabiliores, quantum fieri poterit, feracioreſque Capellaniæ agros propriis ſumptibus pro ea, qua pollet pietate, & opibus ſit redditurus.*

Deficientibus redditibus, onera reducenda ſunt. Videndum, an id locum habeat in præſenti caſu, quo Teſtator modum præfinivit, quo defectui reditiuum ſuppleri debeat, Judicium reddent EE. VV.; a quibus quæritur.

An, & quomodo ſit locus reductioni in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 16. Augusti 1783. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

JANUEN. MATRIMONII. Nobilis Vir Marchio Paulus Franciscus Spinula die 3. Julii anni 1775. Matrimonium contraxit cum æque nobili PuellaMarchioniſſaMariaBrignole. Tribus annis, & duobus fere menſibus elapſis a die celebrati Matrimonij Mulier e domoViri divertit, & primum in propriæ Matris Domum, inde verò in Monaſterium Sanctimonialium Viſitationis Januæ ſe recepit, & die 28. Auguſti anni 1778. querelam Nullitatis Matrimonii proposuit in Curia Archiepiſcopali Januenſi ob naturalem Viri frigiditatem, & impotentiam. Receptæ fuerunt amborum Conjugum juratæ depoſitiones; Affirmavit Paulus ſe Matrimonium conſummaſſe: At Marchioniſſa Maria Matrimonii conſummationem negavit; Utriuſque aſſertionem confirmavit ſeptima Propinquorum manus. *Seſſ. 24. cap. 1 de Reform. Matrim.*

Plurimi hinc inde inducti fuerunt Teſtes, qui formale examen ſubierunt ſub interrogatoriis datis a Defenſore Matrimonii. Vicarius Generalis inſpectionem Corporis tam Viri, quàm Mulieris decrevit; Mulier mandatis paruit, factaque fuit recognitio per Obſtetrices, quæ illam Virginem retulerunt; Vir tamen pluribus emiſſis proteſtationibus reſtitit nè ad ſui corporis viſitationem procederetur, & licet præfinita jam eſſet dies, qua hujuſmodi recognitio fieri deberet, nunquam tamen ſeſe experimento ſubjecit; Poſtea verò promptum ſe exhibuit obtemperareDecretoVicariiGeneralis, dummodo recognitio fieret extraCivitatem, & ditionem Januenſem. Vicarius tamenGeneralisdeſpecta hujuſmodi proteſtatione, nec peracta viſitatione, ſuam tandem protulit Sententiam, qua decrevit = *Pro nunc locum eſſe experimento cohabitationis, & condormitionis dictorum Illuſtriſſimi D. Pauli Spinula, & Illuſtriſſimæ Dominæ Mariæ Brignole per tempus a nobis imposterum determinandum.*

Ab hac Sententia appellavit Marchioniſſa Maria ad Sac. Congregationem, inſuperque preces exhibuit SSmo Domino Noſtro, quibus poſtulavit, ut unà cum dubio nullitatis Matrimonii alterum proponeretur ſuper diſpenſatione Matrimonii rati, & non conſummati; Et SanctitasSua hujuſmodi preces in Audientia habita die 27. Novembris anni elapſi Sac. Congregationi ablegavit, ut conſuleretur etiam ſuper petita diſpenſatione. Poſt hæc eadem Marchioniſſa inſtetit, ut terminus præfigeretur Marchioni Paulo Franciſco ad ſe ſubjiciendum recognitioni corporis, & in Congregatione diei 11. Martii currentis anni ſequens prodiit Reſcriptum = *Ad D. Secretarium pro præfixione termini duorum Menſium ad faciendam recognitionem Corporis Pauli Franciſci, qua expleta fiat nova recognitio Mariæ Brignole juxta inſtructionem dandam a D. Secretario cum omnibus facultatibus neceſſariis, & opportunis.*

In hujuſmodi Reſcripti ſequelam præfixus fuit Viro terminus duorum Menſium ad ſe ſubjiciendum recognitioni ſui corporis, ſtatuta etiam fuit dies, & locus, ubi hujuſmodi recognitio fieri deberet; ſed Marchio Paulus Franciſcus EE. VV. mandatis parere minime curavit; In alia verò Congregatione habita die 31. elapſi Menſis Maij, quia Paulus Franciſcus ullam temporis dilationem peteret, alterius menſis prorogatio impertita fuit, & nihilominus in ſua perſeveravit contumacia; Cum autem die 21. Junij nuper elapſi mandatum fuerit, ut renuente Paulo Franciſco corporis recognitioni ſese ſubjicere, Cauſa ſuper merito proponeretur, hinc eſt quòd hodierna die bina infraſcripta dubia ſupremo EE. PP. judicio diſcutienda proponuntur.

Ad I. præmittunt Defenſores Marchioniſſæ Mariæ, Matrimonium diſſolvi ex impotentia coeundi. Hanc autem impotentiam aut viſibilem eſſe debere, aut inviſibilem; Nam ſi viſibilis ſit, ſtatim dirimit Matrimonium, ſi verò ſit inviſibilis, verificari debet per probationes a jure præſcriptas. Hiſce præmiſſis, inquiunt, latere prorſus cujus generis ſit impotentia Marchionis Pauli Franciſci, qui refugit ſeſe ſubjicere recognitioni ſui corporis, ſed hanc reluctantiam vehemens præbere impotentiæ argumentum, addita præſertim mala ejus adverſa valetudine; quare completa triennali cohabitatione, & Mulieris virginitate probata, judicium de Matrimonii nullitate ferendum eſſe, etiam ex ipſa præſumpta Viri impotentia.

Has verò probationes in præſenti Cauſa omnino concurre-

re;

re: Advertunt in jure statutum esse, & communi Canonistarum sententia receptum, quòd in Judicio nullitatis Matrimonii, si Vir juramento interpositio, Matrimonii consummationem affirmet, Mulier verò neget, tunc Viro fides sit præstanda; At si Mulier post expletam triennalem cum Viro cohabitationem, & præstita per id tempus matrimonialia obsequia, adhuc tamen per inspectionem sui corporis se virginem esse probaverit, suamque assertionem septima Propinquorum manus confirmaverit, tunc posthabendum esse juramentum Viri, & Mulieri fidem esse adhibendam. In casu igitur observant, Mulierem juraſſe triennalem cohabitationem bona fide cum Conjuge compleviſſe, & obsequia matrimonialia præstitiſſe, hancque cohabitationem nunquam interruptam fuiſſe, excepto tempore, quo a Civitate Vir abfuit, & quandoque ex ipsius tantum voluntate Arguunt proindeMulierem satisfeciſſe dispositioni juris cum triennali cohabitatione, & obsequiis præstitis, ut eo tempore VirMatrimonium consummare posset.

Ad infringendam hujus probationis validitatem inutili conatu opponi, triennalem cohabitationem incipere debere non a tempore celebrati Matrimonii, sed a die, qua Judex illam decrevit; Nam *ex Capite Laudabilem de Frigidis, & Maleficiatis*, atque ex constanti Doctorum sententia satis esse inquiunt, quòd fuerit expleta a die initi Conjugii, nec requiri, ut illa Judicis auctoritate præficiatur, & contrariam opinionem absoleviſſe, & tamquam a recta ratione aberrantem esse reprobatam. Addunt, Canones ideo requirere triennalem cohabitationem, ut per tempus satis idoneum tuto judicium ferri possit de perpetua inertia Viri; Cum igitur triennalis cohabitatio effectu prorsus vacua jam præcesserit, inutile esse Decreto Judicis illam iterare, quod tunc solum fieri debet, quando impotentia Viri ex Maleficio oritur, vel quando constiterit de Viri potentia ante contractum Matrimonium.

Neque objici posse, quòd tempore triennalis cohabitationis inutiles evaserunt Viri conatus ex industria ejusdem Mulieris pietati, & Religioni incumbentis, & a conjugali opere alienæ. Respondent enim, quòd si Mulier religioni, & pietati erat intenta, eo fortius Viro adhærere debebat, & propterea facilius Vir munus suum explere potuiſſet. Cæterum advertunt neminem suaderi posse, quòd Mulier eleganti forma, natura docilis, genio ergaSponsum fervens, & cum eo uno eodemquelecto

cu-

cubans non potuerit spatio trium annorum, & ultra a Vico cognosci, si revera is potens fuisset; Maxime quia Matrimonium unanimi consensu celebratum fuit, & inter Sponsos nulla unquam simultas, aut dissidium intercessit. Ex eo autem, quòd Vir nonnullis Mensibus a condormitione abstinuerit, non indè inferri posse, triennalem cohabitationem expletam non fuisse; cum triennalis cohabitatio inducta sit, ut de Viri aptitudine, vel inertia testimonium habeatur; hinc non adeo strictè interpretandam esse, ut Conjuges non possint quandoque a condormitione vacare, & pro experimento triennalis cohabitationis satis esse, ut eo tempore Conjuges modis omnibus licitis, ac diligentiis adhibitis curent Matrimonii consummationem.

Post hæc gradum faciunt ad investigandam inspectionem Corporis Mulieris, quam nimia rigiditate, ac diligentia expletam fuisse sustinent. Electa namque fuit Matrona, quæ Obstetricibus præesset. Obstetrices a Judice ex officio deputatæ fuerunt, & monitæ de suo officio. Tepentis aquæ balneum præcessit; Obstetrices ad inspectionem seorsim accesserunt, nulla præmissa inter ipsas allocutione. Postea responsa dederunt ad interrogatoria a Defensore Matrimonii producta, & de Mulieris virginitate testatæ sunt, rationes quoque attulerunt, cur ita judicaverint; Judicium verò Obstetricum auctoritate Peritorum in arte Medica in Urbe confirmatum extitit; quare concludunt omnes concurrere probationes, nihilque fuisse prætermissum, quod ad rite ferendum judicium requiri potest. Accessisse etiam juramentum septimæ manus Propinquorum ex parte Mulieris, quorum depositiones propter Personarum qualitatem plurimum valent.

Alienum esse ab Ecclesiastica jurisprudentia, & Tribunalium praxi, quòd ad magis magisque comprobandam Mulieris virginitatem adhibendi sint Periti in arte Medica; Contendunt enim Sacros Canones demandasse, ut ad inspiciendum Mulieris corpus Matronæ adhibeantur, ea potissimum ratione, quòd pudori, & verecundiæ parcendum sit, cum plurimum dedeceat uti Peritorum opera quando Obstetrices sufficiunt. Non inficiantur delectos aliquando fuisse Peritos; Sed tunc solum quando quæstio erat de nimia Mulieris arctitudine, vel de respectiva Conjugum impotentia.

Antiquatam esse, & a Sacra Congregatione reprobatam quorundam Doctorum opinionem, qui asserunt, quòd oculi, & manus Obstetricum sæpe falluntur, quòd

pos-

posset Matrimonium consummari absque Claustri Virginalis læsione : Præter enim quam quod hujusmodi opinio a Doctorum frequentiori numero refellitur, ex quo inutile foret querelas de Matrimonii nullitate ob latentem Viri impotentiam proponere, sustinent, quòd ad præcavendum quodcumque dubium accedit juramentum Propinquorum, quo perficitur virginitatis probatio.

Nec judicium Obstetricum minui a depositione Pauli Franciſci asserentis ipsum in primo anno sui Matrimonii, & præcisè in nocte, quæ præcessit Festum S. Bartholomæi, Matrimonium consummasse, & secutæ consummationis apparuisse signa : Notant enim, Mulierem ipsam summa simplicitate narrasse quid ea nocte attentaverit Paulus Franciſcus, ut suæ hebetudinis vitium tegeret, & ideo ipsum fabulam struxisse secutæ consummationis. Quantum verò alienum a veritate sit quidquid Marchio Paulus Franciſcus narravit ex eo educunt, quòd totum assertionis fundamentum consistit in ore illius, & duorum Testium, qui ab eo audivisse dixerunt. Notant insuper, depositionem Marchionis Pauli Franciſci non cohærere cum depositionibus Testium ; nam ille diversam ab istis secutæ consumationis indicat causam ; Multa Virum asserere, quæ non sunt verisimilia ; Unum autem ex Testibus præter quam quod familiaris est Pauli Franciſci, non mereri fidem ob ejus notoria crimina, & exilij pœnam, quam subiit; alterum verò esse Fœminam invisam Marchionissæ Mariæ, & ab ejus famulatu dimissam; Demum istorum depositiones prosterni a depositionibus aliorum Testium contrarium asserentium.

Cœterum sustinent in Corpore Mulieris adhuc suæ Viginitatis signa extare, & quamvis tentaverit Vir illam illicito modo violare, cum Matrimonium suam indissolubilitatem assumat post quam Vir, & Uxor per carnalem copulam una caro effecti sunt, quoties carnalis hæc commixtio non interceſſit, nullum erit Matrimonium. Nec in pretio habendam esse nonnullorum opinionem asserentium, quòd ex intermisso per aliquod tempus Matrimonio Mulieris claustrum iterum coalescit; Nam advertunt hæc a Physicis potius accademico more, quàm veritatis sensu dicta fuisse, & Sac. Congregationem Mulierum inspectionem demandasse elapsis jam pluribus annis post quam a Viro recesserant; Causasque pro nullitate Matrimonii fuisse definitas.

Denique contendunt suspicionem hebetudinis Marchionis Pauli Franciſci resultare, & ex eo deprehendi, quòd

an-

antequamCausa à Muliere deMatrimònii nullitate proponeretur,multum adlaboraverit , ut ad opus matrimoniale aptus redderetur . Balnea petiit , plures a Physicis præscriptas Curationes adhibuit , quæ omnia cum nihil profecerint , magis magisque ejus impotentiam evincunt . De ejusdem Pauli Francisci impotentia testari ajunt Joannem Baptistam Spontoni in arte Medica peritum, & licet non desint aliqui Periti asserentes illum aliquando, & per breve tempus Virilitatis signa edidisse , hæc tamen signa cum raro , & ad brevissimum tempus apparuerint , nullimode probant Viri aptitudinem .

Vim , & efficaciam probationum , quas ad demonstrandam virginitatem suam Marchionissa Maria deducit , imminui nullatenus posse sustinent , ex quo sequuta non fuerit recognitio Corporis Marchionis Pauli Francisci . Notant enim ipsum usque ab initio recognitioni sui Corporis acriter obstitisse ; ut autem Vicarius Generalis Januensis Sententiam fuit editurus , paratum se præbuisse ad subeundam recognitionem,dummodo extra JanuensemDitionem fieret , & ad Sedem Apostolicam appellasse si quando aliter a Vicario Generali statueretur ; Devoluta ad Sac. Congregationem Causæ cognitione , denuò restitit , ne sui Corporis recognitio decerneretur , & quamvis ad illam explendam terminus datus fuerit duorum Mensium , & postea ad alium Mensem protractus , nunquam tamen comparuit;Ex hisce omnibus inferunt exculpaMarchionis Pauli Francisci detrectantis se subjicere recognitioni , præjudicium haud inferri posse juribus Marchionissæ Mariæ , quæ sua ex parte omnes probationes perfecit . Immo ex hac Viri contumacia argumentum desumunt impotentiæ , aliàs enim sui corporis inspectionem subiisset .

Ex his ergo satis probatam putant Defensores Marchionissæ Mariæ istius integritatem,qua posita, dispensationem , ut in II. Dubio non tantum ex gratia , sed quasi ex justitia quadam tribuendam censent ad dissolvendum prudentialiter , & sub alio magis honesto titulo Matrimonium: Cum præsertim non desint dispensationum exempla,quæ etiam reluctante altero ex Conjugibus fuerint impertitæ , quia ad obtinendam dispensationem sufficit , ut quocumque modo constet de non sequutaMatrimonii consummatione.

Et quamvis in dubio semper prævalere debeat Sententia pro validitate Matrimonii , id tamen verificari non posse contendunt quando agitur de nullitate ex capite impotentiæ ; nam in isto casu prævaluisse affirmant contrariam opinionem , ad præcavendum pericula , quæ ex impo-

ten-

tentia alterutrius ex Conjugibus oriri possent. Hinc inferunt, quòd quando ex conjecturis, vel ex aliis probationibus resultat consummationem non fuisse sequutam, necesse non sit examen assumere de causis dispensationis, cum hoc Summo Pontifici sit reservatum.

Enumerant inde causas, quæ pro dispensatione concurrunt, pro ut sunt abalienatio Conjugum absque spe reconciliationis, Personarum Dignitas, Personarum Nobilitas in Civitate libera, unde odia, dissidia, & scandala oriri possent, ac demum nobilis Mulieris Juventus, quæ perseverante Conjugio, assiduis exposita esset periculis.

Ex parte Marchionis Pauli Francisci nil deductum est.

Defensor Matrimonii ex officio deputatus advertit, Matrimonii Vinculum ex Divina dispositione esse indissolubile; posse quidem per Ecclesiæ judicium dissolvi, si nullitatis vitio laboret; nullitas tamen debet esse evidens, itaut de illa dubitari non possit: Plurimum verò dubitandum esse de nullitate Matrimonij, quod ex capite impotentiæ Viri Marchionissa Maria proclamat: nam ipsa nullitatem proposuit post tres, & ultra annos à die celebrati Matrimonij, & post diuturnam cum Viro cohabitationem, quæ quidem serotina reclamatio malæ promotæ actionis gravem inducit suspicionem.

Nec prodesse responsum, quòd per triennium, & ultra tacuerit, ut legi triennalis cohabitationis pareret; Ait enim triennale hoc experimentum haud consistere in sola materiali Conjugum cohabitatione, sed necessario requiri, ut ambo in eadem Domo permaneant, & toto triennii tempore operi conjugali incumbant, & licet hujusmodi Conjugum conversatio non debeat esse physicè continuata, requiritur tamen, quòd per totum id tempus ita inter se sint conversati, ut inde argumentum sufficiens erui possit perpetuæ impotentiæ alterius ex Conjugibus; Id prorsus in præsenti casu non verificari, cum constet Conjuges primis Matrimonij mensibus à carnali copula abstinuisse; Marchionem Paulum, durante triennii tempore, pluries divertisse ab Uxore, ut nonnullas Italiæ Civitates inviseret, & ad Balnea Lucana se conferret; His autem temporibus additis etiam mensibus, quibus Vir licet in eadem Domo maneret, à nuptiali Thalamo recessit, sequi illorum condormitionem ad paucos Menses fuisse coercitam.

Addit præterea nunquam Sac. Canones præscripsisse, quòd judicio nullitatis Matrimonij præcederet triennalis coha-

bitatio, cum ex juris dispositione Mulier cito, & primo Mense, vel intra unum, vel duos Menses reclamare debuerit; Triennalem verò cohabitationem præfinitam esse solum in casu impotentiæ, quæ ex Viri frigiditate promanat, & incipere debere non à die contracti Matrimonij, sed à tempore, quo Judex illam decrevit; Et licet Marchionissa Maria asseruerit, se primis Matrimonij mensibus ignorasse quæ essent Uxoris erga Virum officia, tamen cum ex ipsius confessione constet fuisse postmodum instructam, statim cognoscere impotentiam Viri, & nullitatis querelam proponere potuisse; Cum itaque Marchionissa Maria id facere neglexerit, & Conjugales congressus cum Sponso protraxerit, præsumendum esse, illam non alia de causa tacuisse, quàm quòd Matrimonij consummatio secuta jam fuerit.

Ad eludendam hanc præsumptionem, quam violentam, certam, ac juris, & de jure Doctores appellant, sustinet requiri probationes adeo certas, ut omnem suspicionem secutæ consummationis excludant; Hujus generis haud esse probationes a Marchionissa Maria deductas; Juramentum enim ab ipsa præstitum prosterni affirmat à juramento Viri, qui Matrimonium consummasse asseruit; Quin & in casu, quo ambo Conjuges juramento testati fuissent se nunquam Matrimonium consummasse, contendit, non inde tamen satis probatam esse Mulieris integritatem, cum suspicari possit, id in fraudem ipsos deposuisse, neque ex illorum assertionibus pendere Matrimonii indissolubilitatem. Juramentum septimæ manus Propinquorum nullum probationis gradum constituere, cum ipsi nil aliud deponere potuerint, quàm quæ ab iisdem Conjugibus audierunt, & propterea ad judicij solemnitatem tàntum, & ad majorem cautelam inductum fuisse. Perperam verò opponi, quòd ad excludendam Matrimonij consummationem sufficiat Conjugum juramentum, septima Propinquorum manu confirmatum; nam id procedere ait, quando uterque conjux fateatur ad consummationem deveniri non potuisse; In præsenti autem casu advertit, Conjugum juramenta esse inter se contraria, ideoque Viro, & non Mulieri fidem adhibendam esse.

Frustra tamen Defensores Marchionissæ Mariæ ad augendam vim, & efficaciam juramenti ab ea præstiti, & ad probandam Viri impotentiam recurrere ad Obstetricum depositiones, quæ illam adhuc esse incorruptam asseruerunt; Notat enim primo a Mulieris integritate inferri non posse Viri impotentiam; Addit insuper, quòd quidquid

quid sit de aliquorum Sententia, qui existimarunt posse ab Obstetricibus Mulieris Virginitatem deprehendi, communiter tamen a SS. Patribus, Theologis, Jureconsultis,& a Peritis in arte Medica hanc probationem fallacem,& incertam censeri; Et si aliquando Obstetricum testimonia probata sunt,fuerunt eædem in Medica facultate versatæ, nunc autem cum imperitissimæ sint, earum depositionibus minime adhærendum esse.

Non inficiatur in hujusmodi Causis necessariam esse inspectionem corporis Mulieris; Verum advertit, non ita fidendum esse Obstetricum relationibus, ut solo hoc experimento completa dici possit ea probatio, quam Sac. Canones præscribunt; Nam illi dum corporis Mulieris inspectionem a Matronis fieri jubent, intelligunt de doctis, & in Arte Medica peritis Fœminis; Hujusmodi verò Mulieres præsenti tempore omnino deesse, nec hujus generis fuisse Obstetrices Januenses, a quibus Corporis Marchionissæ recognitio expleta fuit, cum ipsæ adeo rudes fuerint, ut nec scribere sciverint, & in earum relationibus, quando de Virginitate judicium tulerunt, consuetas recitarint cantiunculas, quæ a Fœminis hujus generis dictitari solent. Quare concludit, quòd in peragenda recognitione corporis Marchionissæ præter Obstetrices adhibendi quoque erant Periti, ut de illius virginitate certa probatio haberi posset, quemadmodum demandatum fuit a Sac. Congregatione in Causa *Asten. Matrimonij* descripta in Folio Congregationis diei 2. *Martii* 1776.

Eoque magis standum non esse Obstetricum relationibus, quia facta non est recognitio Corporis Marchionis Pauli Francisci; Hanc verò recognitionem necessariam agnovisse Sac. Congregationem, quæ proinde inspici mandavit Corpus Viri, & deinde procedi ad novam Corporis Mulieris recognitionem, ex quo infert, recognitionem ab Obstetricibus Januensibus factam habitam non fuisse sufficientem ad ferendum judicium de Matrimonii nullitate; Rescriptum verò Sac. Congregationis acceptasse Marchionissam, ab illo nunquam reclamasse, immo instetisse pro illius executione, & propterea concludit obstare eidem rem a Sac. Congregatione judicatam, cujus imperio nova ipsius Corporis inspectio demandata fuit.

Numerat indè alia æquivoca, quæ scatent ex recognitione Corporis Marchionissæ a Januensibus Obstetricibus facta;

cta; Ait inspectionem hujusmodi expletam fuisse elapso fere quadriennio postquam Mulier a Conjugali Thalamo diverterat,& ex hac longa temporis intercapedine sustinet potuisse claustrum Virginale ita contrahi, ut nulla apparerent secutæ consummationis indicia; Nec obesse demandatas fuisse, & aliquando admissas recognitiones Corporum Mulierum, quæ diù a concubitu se abstinuerant; Respondet enim quòd sicuti fallax est hujusmodi experimentum, ita necesse sit, ut cum recognitione Corporis Mulieris aliæ etiam concurrant probationes,& conjecturæ, quibus consummationis suspicio excludatur. Nec secutæ consummationis suspicionem exclusam censeri ex præmissa *Cauthela Hostiensis*. Notat enim Obstetrices nequaquam Balneum dispositisse, solumque exploraſſe, an aqua esset sufficienter calida; quin inquisierint, an cum aqua aliquis mixtus fuisset liquor, herba, aut pulvis, cujus vi Mulieris partes coalescerent.

At revera Marchionem Paulum Franciscum Matrimonium cum sua Uxore consummasse patere ait ex eo, quod accidit in nocte diei 25. Augusti anni 1777.; tunc enim victa Puellæ verecundia, licuisse Viro opus conjugale aggredi, & perficere, cum signa in Mulieris Indusio carnalis commixtionis apparuerint; Ad hanc probationem evertendam inutile esse asserere, quòd id acciderit ex quo Marchio Paulus Franciscus modo prorsus illicito tentaverit Mulieris virginitatem violare, nam id ex ore Marchionissæ Mariæ tàntum desumitur, quæ cum ad proprium commodum deponat, fides ei præstanda non est: Fortius quia Nobilis Matrona Æmilia Brignole Nobili Mulieri Mariæ Dominicæ Sauli testata est ejus germanam Sororem Marchionissam Mariam Matrimonium consummasse, allatis etiam arctissimis scientiæ causis erutis ex relationibus Mulierum, quæ ejusdem Marchionissæ servitio addictæ erant. Spernendam verò esse depositionem ab eadem Nobili Matrona Æmilia postremo emissam, cum hæc sit extra judicialis.

Alterum argumentum excludens attentatum Marchionis Pauli Franciſci ex facto ejusdem Marchionissæ Mariæ desumit; Nam ista antequam judicium de nullitate Matrimonii institueret, Obstetrices adscivit, a quibus suum corpus inspici voluit, ut inquirerent an revera Virgo esset, ex quo infert Marchionissam de sua integritate dubitasse.

Perperam verò proponi defectum probationis impotentiæ Mar-

Marchionis Pauli Francisci procedere ex ipsius contumacia cum recognitionem corporis subire detrectaverit. Notat enim hujusmodi contumaciam nihil aliud esse quam fictam confessionem, quæ quidem ficta confessio dum agitur de Sacramento Matrimonii inefficax est ad illius validitatem infringendam, prout nec expressæ Conjugum confessiones sufficiunt, nisi insimul probetur impotentiam esse constantem, perpetuam, & nulla humana arte superabilem.

Ad II. inquit, dispensationem super Matrimonio rato, & non consummato tunc solum ab Ecclesia concedi consuevisse, quando certo constet sequutam non fuisse consummationem, & justæ simul ac gravissimæ causæ concurrant. In præsenti casu advertit Marchionissam non probare, quòd Matrimonium non fuerit consummatum, cum de ejus virginitate, ac de Viri impotentia non satis constet; quare sustinet petitam dispensationem concedi non posse. Inutiliter verò proponi exempla dispensationum, quæ altero etiam Conjuge reluctante, aut sui Corporis recognitionem subire detrectante, concessæ, fuerunt: Quæcumque enim in iis Casibus fuerint causæ, quibus Summi Pontifices moti fuerunt ad dispensationes concedendas, observat, non deesse alia exempla, in quibus licet validissimæ non secutæ consummationis adessent probationes, adhuc tamen dispensatio fuit denegata, ut in *Romana dispensationis relata ab Urfaya tom. 2. part. 1. discept. 3. num. 54. in Eystetens. dispensationis apud de Justis de dispensat. Matrim. in Appendice cas. 33. in Vormatien. Matrimonii 13. Junii 1733., & 23. Januarii 1734., in Hispalen. dispensationis 14. Martii 1739., & 14. Decembris 1743.*

Extraneas esse allatas ex adverso Auctoritates ad probandum, quòd quando agitur de nullitate Matrimonii ex Capite impotentiæ, etiam in dubio concedenda sit dispensatio, nam id procedere contendit, quando nulla adest consummationis suspicio, & dubium sit quòd neque imposterum ex causa impotentiæ consummari valeat Matrimonium; Tunc enim Summi Pontifices inclinati fuerunt ad dispensationem concedendam, secus autem quando de jam sequuta consummatione dubitari potuit.

Matrimonium, unum ex septem novæ legis Sacramentis a Christo Domino institutum, ex sua natura indissolubile est. Solvitur tamen, si Vir ad illius consummationem impotens deprehendatur, & impotentia sit perpetua, & in-

& inſanabilis ; eo namque in caſu licet Mulieri reclamare, & Matrimonii diſſolutionem petere *Text. in Cap. Accepiſti 1. de Frigidis , & Maleficiatis = Si autem ſtatim in ipſa novitate poſt Menſem, aut duos ad Epiſcopum , aut ejus Miſſum proclamaverit dicens : volo eſſe Mater , volo Filios procreare , & ideo Maritum accepi ; Sed Vir , quem accepi , frigidæ naturæ eſt , & non poteſt illa facere, propter quæ illum accepi . Si probari poteſt per rectum judicium, ſeparari poteſtis, & illa ſi vult nubat in Domino .*

Ut autem rectum in hujuſmodi Cauſis proferri poſſit Judicium , inter alias probationes recipi debet jurata depoſitio tam Viri , quàm Mulieris , & ſi diſcordes inter ſe fuerint , hæc mandat *Alexander III. in cap. Continebatur de Deſponſat . Impub. = Cum in decretis* (inquit laudatus Pontifex) *habeatur expreſſum , quod ſi Vir dixerit, quod Uxorem ſuam cognoverit , Viri ſtandum eſt veritati : Profecto Viro , qui dicit ſe Mulierem ipſam cognoviſſe fides eſt adhibenda , ſi id firmaverit juramento .* Confirmatur etiam ex *dicto cap. Accepiſti de Frigidis , & Maleficiatis ,* in quo hæc habentur : *Illa autem ſi prior poſt annum, aut dimidium ad Epiſcopum , aut ejus Miſſum proclamaverit , dicens , quod non cognoviſſes eam , tu autem contrarium affirmas, tibi credendum eſt, eo quod caput es Mulieris .*

Vèrum ſi Mulier Virum arguat de mendacio , & per inſpectionem ſui corporis ſe Virginem eſſe demonſtret , tunc poſthabendum eſt juramentum Viri , & fides adhibenda eſt Mulieri . Sic definivit *Gregorius VIII. in Cap. Propoſuiſti de Probationibus* , qui ſcribens Præpoſito S Cataldi ait = *Propoſuiſti quòd Cauſa Matrimonii , quæ inter O. . . Caſanova, & S. Mulierem vertitur, tibi fuit de mandato Apoſtolico delegata , cumque Partes eſſent in tua præſentia conſtitutæ , Mulier propoſuit , ſe nec a Viro cognitam , nec potuiſſe cognoſci , quod tam juramento , quàm teſtimonio Septem Mulierum probavit , quæ per aſpectum corporis eam eſſe virginem aſſeruerunt : Viro per juramentum ſuum contrarium afferente . Videtur igitur nobis, quod juramento Puellæ , & teſtimonio illarum ſeptem Mulierum fides eſt potius adhibenda .*

Cum autem in præſenti caſu Marchio Paulus Franciſcus , Matrimonium conſummaſſe juramento affirmaverit, Marchioniſſa verò Maria pari juramento Matrimonii conſummationem negaverit , videndum proinde an Mulier , quæ Corporis inſpectionem ſubiit, & Virginitatem ſuam judicio Obſtetricum probaſſe contendit , Virum de pe-

perjurio redarguere possit ; Observandum , an omnes adhibitæ in hoc experimento fuerint cautelæ , & quid de integritate Marchionissæ Mariæ dixerint Obstetrices . Sane quoad Obstetrices notandum , quòd in *Cap. Litteræ vestræ 7. de Frigidis, & Maleficiatis* mandatur, ut sint *Matronæ bonæ opinionis , si le dignæ , ac expertæ in opere nuptiali* , & hujus generis olim fuisse Obstetrices colligitur ex *Tex. in Lege Item si Obstetrix ff. ad Legem Aquiliam , & in Lege Præses ff. de variis , & extraordinariis cognitionibus § Sed , & Obstetrix . Paulus Zacchia tit. 1. quæst. 12. relatus a Gonzalez in Decretal Commentar. ad caput Proposuisti tit xix. de probationibus num. 7.* loquens de Obstetricibus ait = *Obstetrices , id est Medicæ* .

Videndum an fides adhibenda sit Marchioni Paulo , qui non solum consummationem juramento testatus est , sed etiam diem secutæ consummationis indigitavit , & hac in re advertendum an verificentur , aut certa dici possint consummationis signa in Indusio Marchionissæ reperta , & quantum deferendum sit depositioni Nobilis Matronæ Mariæ Dominicæ Sauli , inspecta præsertim contraria depositione Nobilis Æmiliæ Brignole Marchionissæ Sororis .

Ad triennalem cohabitationem quod attinet , num illa computari debeat a die celebrati Matrimonii , seu potius a Judicis Decreto, Viden. Causa *Lucana* descripta *in Folio Congregationis diei* 4. *Maij anni* 1771 , quod publici juris est *Tom.* 40. *Thes. Resol. Sac. Congregationis* .

Quæ fuerit mens Sac. Congregationis , quando vir experimentum sui Corporis facere recusavit , deprehendi poterit ex Causa *Mediolanen. dispensationis Matrimonii relata in Foliis Congregationum dierum* 21. *Aprilis anni* 1731. , 12. *Januarii* , 8. *Martii* , *&* 24. *Maij* 1732. *Tom.* 5. *Thesauri Resolut. Sac. Congregationis* .

Matrimonium ratum , & non consummatum posse Summi Pontificis auctoritate dissolvi certissimum est . Quod pertinet ad circumstantias , & causas quæ in unoquoque casu intervenire , & adesse possunt plura adnotata sunt in Causa *Massanen. Matrimonii* , quæ habetur in Foliis Congregationum dierum 24. *Januarii anni* 1778. , & 16. *Januarii anni* 1779. *Thes. Resol. Tom.* 47. , *&* 48. ; In præsenti casu ponderandum , an quælibet absit suspicio secutæ consummationis , & justæ , ac rationabiles causæ concurrant , ut Dispensatio concedatur .

Omni-

Omnibus maturè perpensis definient EE. VV.

I. *An constet de nullitate Matrimonij in casu &c.*
Et quatenus negativè.

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione Matrimonij rati, & non consummati in casu &c.*

Ad I. Provisum in secundo.

Ad II. Consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati, & non consummati.

QUatuor, quæ sequuntur Causæ descriptæ sunt in Folio præcedentis Congregationis, in qua ob temporis angustiam definiri non potuerunt.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

CAMERINEN. SUBSIDII DOTALIS.

An ex assertis superextantibus reditibus hæreditatis bon. mem. Petri Fanti sint applicanda scuta tercentum in dotem Angelæ Antoniæ Rilli in casu &c.

Non proposita cum reliquis.

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

PISAUREN.

An Decretum Capituli sit confirmandum in casu &c.

ROMA-

ROMANA SUBSIDII DOTALIS. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

An, & pro quibus annualitatibus sit locus præstationi Subsidij Dotalis in casu &c.

ARIMINEN. REDUCTIONIS. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

FIRMANA. In Precibus, quas Xaverius Agostini Canonicus Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli Civitatis Firmi obtulit SSmo Domino Nostro, narravit, plurès in dicta Collegiata abusus irrepsisse contra formam Decretorum tàm Sac. Congregationis, quàm Archiepiscopi, ideoque illos corrigi, & emendari postulavit. Ablegatis hujusmodi precibus ad judicium EE. VV., omnis controversia novem dispertita capitibus proposita fuit totidem dubiis; nempe *I. An Priori Collegiatæ S. Michaelis Civitatis Firmi competat jus perpetuum convocandi Capitulum, seù potius idem jus repartiri annuatim debeat in singulos Canonicos in casu &c. II. An Canonicis Curam Animarum habentibus in dicta Collegiata Ecclesia liceat Sacramentales Confessiones excipere, aliasque Parochiales Functiones in eadem Ecclesia explere singulis diebus tàm festivis, quàm feriatis hora Divinorum Officiorum, seù potius sit servanda Constitutio Firmanæ Synodi anni 1660. in casu &c. III. An dicti* *Sess. 22. Decret. de observan. & evitan. in celeb. Missæ Sess. 24. cap. 12. de Refor. & Sess. 25. Decret. de Invocat., & Vener. &c.*

Canonici Animarum Curam habentes teneantur habitare Ædes Ecclesiæ adnexas, eisque destinatas, nec aliis illas locare, aut quomodolibet concedere valeant in casu &c. IV An quoad easdem Ædes Parochiales servandum sit Decretum Visitationis clar. mem. Card. Paracciani, quo prohibetur in iis Uvas premi, Mustum excoqui, lætamina coacervari, stabula, sues, & Gallinas retineri in casu &c. V. An pariter aliud simile servandum sit Decretum Visitationis, ne in superiori quodam Cubiculo saltem Diebus Festis, ac æstivis Mensibus horæ Canonicæ persolverentur, sed in Choro Ecclesiæ exteriori omnino recitari debeant in casu &c. VI. An Canonicus Camerarius, seù Depositarius pro tempore absque deliberatione, seù resolutione Capituli prohibeatur expensas quascumque ultra summam juliorum quinque erogare etiam sub prætextu Causæ extraordinariæ, aut quomodolibet necessariæ in casu &c. VII. An omnes, & singuli Canonici dictæ Collegiatæ Ecclesiæ teneantur contribuere pro expensis Utensilium Parochialium, seú potiús ad dictas expensas teneantur solummodo Prior, & Sub-Prior Curam Animarum habentes in casu &c. VIII. An in eadem Collegiata Ecclesia Officia Capitularia annuatim sint mutanda, seù renovanda in peculiari Capitulari Congregatione quolibet anno ad id specialiter habenda in casu &c. IX. An, & qui teneantur ad expensas pro executione Rescripti Sac. Congregationis editi die 17. Aprilis 1779. quoad remotionem, & expurgationem Sepulchrorum in casu &c. Die verò 8. *Junii* elapsi anni omnia hæc dubia discussioni subjecta fuerunt, silentibus Capitularibus; Verum ad I. VII., & IX. nulla fuit capta resolutio, mandatumque extitit, ut præfigeretur terminus Priori ad deducendum sua jura in Sac. Congregatione. Ad II. responsum prodiit = *Servetur Constitutio Synodalis anni* 1660. Ad III., IV., V., VI. *Affirmativè*. Ad VIII. *Demum Affirmativè ad formam Decreti Visitationis diei* 11. *Maij anni* 1781.

Resolutioni non acquiescente Capitulo, Causa hodie reproponitur, impertita quoad dubia jam resoluta nova Audientia, & deducente sua jura etiam Priore Collegiatæ. Non graventur Emi PP. resumere Folium Congregationis diei 11. *Maij* anni elapsi, in quo Causa descripta fuit, quod publici juris factum est *Tom.* 51. *Thesauri Resolutionum Sac. Congregationis*, & deinire.

I. *An Priori Collegiatæ Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli Civitatis Firmi competat jus perpetuum convocandi Capitulum, seú potius idem jus repartiri annuatim debeat in singulos Canonicos in casu &c.* II. *An*,

II. *An, & quomodo quoad II., III., IV., V., VI., & VII. Dubium sit standum vel recedendum a Decisis in casu &c.*

III. *An omnes, & singuli Canonici Collegiatæ Ecclesiæ teneantur contribuere pro expensis Utensilium Parochialium, seù potius ad dictas expensas teneantur solummodo Prior, & Sub-Prior Animarum Curam habentes in casu &c.*

IV. *An, & qui teneantur ad expensas pro exequutione Rescripti Sac. Congregationis editi die 17. Aprilis an. 1779. quoad remotionem, & expurgationem Sepulchrorum in casu &c.*

IMOLEN. RESTAURATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS. Usque ab anno 1774. Ecclesia Parochialis *S.* Michaelis de Puteo Diœcesis Imolensis nonnullis indigebat restaurationibus, pro quibus requirebatur impensa scut. 63. = Sacerdos Franciscus Braga ejusdem Ecclesiæ Parochus Sacram adivit Congregationem, petiitque, ut ad contribuendum pro rata Populus adigeretur, utpote quia Parochiæ reditus ad congruam Parochi sustentationem non sufficerent; Petitioni hujusmodi restitit Populus; Cumque Parochus ob ejus paupertatem propria jura tueri non posset, Causa diù silult. Neglecto restaurationis opere, Ecclesiæ status deterior effectus est, quare Sacerdos Braga novas exhibuit preces, quibus narravit Ecclesiam prædictam in parte jam collapsam esse, in parte verò ruinam minari; ne igitur retardata restauratione, penitus collaberetur, efflagitavit ut taxa super Populum, & reliquos Possidentes in districtu Parochiæ imponeretur, cujus ope restaurationes, quæ necessariæ forent, perfici possent. *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

Ad occurrendum imminenti Ecclesiæ periculo, die 18. *Julii* anni 1778. per modum provisionis impertita fuit Parocho facultas imponendi Censum Scutorum centum, & viginti super Bonis Parochiæ, ut hæc summa impendi posset pro restauratione Turris Campanariæ, reservatis

tamen tàm Parocho, quàm Populo juribus in Sac. Congregatione deducendis ad effectum decernendi cui nam onus restaurationis incumberet. Cum autem in dies restaurationis necessitas augeatur, hinc Parochus hodie instat, quòd ab EE. VV. definiatur, quis nam teneatur ad extinctionem Census, ejusque fructus persolvendos, & ad alias restaurationis expensas.

Inquit Parochus Concilij Tridentini lege statutum esse, ut in restaurationem Ecclesiæ Parochialis erogandi sint primario Fabricæ reditus, & ad contribuendum adigatur quoque Parochus; quòd si Parochus proventus sufficientes non habeat, vel nulli extent Fabricæ reditus, tunc onus prædictum in Patronum, aliosque ex eadem Ecclesia fructus percipientes refundi debeat; Atque his omnibus deficientibus, contribuere teneatur Populus; Hisce præmissis, sustinet, quòd, attenta paupertate suæ Ecclesiæ, & exiguis reditibus Beneficiorum, quæ in illa existunt, injuria detrectant Populus, & Possidentes in districtu Parochiæ subire onus restaurationis. Probatam sane esse contendit paupertatem duorum Beneficiorum, quæ in Ecclesia erecta sunt, cum reditus unius ex dictis Beneficiis non excedant annua scuta sex, alterius verò licet pertingant ad scut. 16. quolibet anno, gravatur tamen Beneficiatus onere celebrationis Missarum, & manutentionis propriæ Cappellæ, quæ cum Ecclesia nihil commune habet. Exiguos pariter esse Parochiæ proventus, cum computatis etiam incertis emolumentis, vix ascendant ad scut. 60. in unoquoque anno, quæ summa, cum ad congruam Parochi sustentationem, & onerum Parochiæ inhærentium satisfactionem non sufficiat, sequitur, ut non possit in Parochum onus restaurationis Ecclesiæ refundi, multoque minus in Beneficiatos, qui ex Beneficiorum reditibus parum percipiunt.

Perperam hinc objici, quòd in casu restaurationis Ecclesiæ Parochialis, Congrua Parochi præfinienda sit in ea quantitate, quæ ad subministrationem dumtaxat alimentorum sufficiat, & propterea summa scut. 60. exorbitans nimis comperiatur. Respondet enim, quòd Congrua Parocho pro alimentis assignanda inferior esse non debet summa a Concilio constituta, præsertim quia S. Pius V. mandavit, ut Congrua persolvenda Vicariis Curatis pro honesta eorum sustentatione non sit major scutis centum, nec minor scutis quinquaginta; hinc si a scut. 60., quot sunt reditus Parochiæ, demantur Expensæ pro adimplemento onerum, quibus gravatur, ne dum dicta Congrua exorbitans

non

non est, quin imò nec ad scuta quinquaginta pertinget libera, ideoque inferior est Congrua pro Vicariis Curatis a S. Pio V. assignata.

Quin opponatur, quòd taxa Synodalis Diœcesis Imolensis statuta est in annuis scutis 36. . Nam hujusmodi taxa respicit constitutionem Patrimonii Sacri pro iis, qui majoribus Ordinibus initiari cupiunt, nunquam verò protenditur ad Parochorum Congruam, cum magna inter utrosque intercedat differentia, quia gravioribus oneribus, & laboribus gravantur Parochi, quàm simplices Clerici; Nec opponi posse contrariam consuetudinem, & factum prædecessorum Parochorum, qui Ecclesiam propriis sumptibus restaurarunt, nam nulla de hac consuetudine affertur probatio, & quatenus probaretur, semper inefficax esset tunc cum Parochus ex reditibus Ecclesiæ congruam sustentationem nequaquam percipit. Tandem spernendum esse diffugium a paupertate Parochianorum desumptum, cum ad expensas restaurationum contribuere debeant non solum Parochiani, sed etiam alii, qui Bona in eadem Parochia possident.

Pro parte Parochianorum nihil allatum fuit.

Emus Episcopus plura refert de Statu Ecclesiæ Parochialis S. Michaelis de Puteo, & existimat restaurationis opus perfici debere a Populo, & Possessoribus Bonorum in districtu Parochiæ, pro ut videre est ex binis relationibus, quæ inter documenta Causæ a Parocho circumferuntur.

Concilium Tridentinum *Sess.* 21. *cap.* 7. *de Reform.* mandat Locorum Ordinariis = *Ut Parochiales Ecclesias, etiam si juris patronatus sint, ita collapsas refici, & instaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes, omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemptione, & contradictione remota*. Doctores huic dispositioni inhærentes quosdam veluti gradus constituunt inter eos, qui restaurationis expensas subire tenentur; Hos gradus enumerat san. mem. *Benedictus XIV. Inst.* 100. fere per totam.

Advertit tamen laudatus Pontifex citato in loco *num.* 12., & 13. quòd si desint Fabricæ reditus, nec ullus ex consuetudine, vel Statuto teneatur Ecclesiam restaurare, in

eo

eo casu Parochus ipse Expensas subire debeat ex fructibus, qui ex Beneficio superfunt, detractis tamen iis, quæ ad Parochum sustentandum necessaria sunt; Prosequitur inde *num.* 13., & ait, quòd eveniente casu, quo Ecclesia Patronum non habeat, nullum in ea Beneficium erectum reperiatur, & Parochiæ proventus ita tenues sint, ut ad congruam Parochi sustentationem non sufficiant, tum Populus rependere debet quidquid ad restaurationem requiritur; Et hanc contributionem faciendam esse ne dum a Parochianis, verum etiam ab iis, qui Bona intra fines Parochiæ possident, licet extra ipsam Domicilium habeant. Refert quoque responsum Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium hac in re datum Episcopo Placentino die 10 *Octobris* 1781. his verbis = *Si te convenient illi tres, vel quatuor, quæ ut scribis die prima hujus mensis novas afferunt difficultates, ne quidquam cum reliquis pro restauratione Parochiæ conferant, ubi sua habent Domicilia, illos magno in errore versari dices. Jam tibi significatum fuit curam omnem adhibere, ut Inquilini pro Dominis pecuniam ad id necessariam impendant, ac deinde quidquid ob hanc causam expenderint sibi retineant ex pretio, quod pro Domo condùcenda persolvunt: Sac. Congregatio post accuratum Examen ita statuendum censuit, idque pluribus in locis servatur, cum expensæ, quæ semel indicuntur, perpetuæ futuræ sunt, veluti Templorum restaurationes, cum tamen expensæ leves fuerint, & annuæ, veluti pro sustentando Parocho, aut pro aliis casibus similibus, tunc aliud consilium suscipi poterit. Viam igitur insiste, quam jàm ingressus es in hoc negotio peragendo.*

Hisce animadversis, superest modò, quòd EE. VV. decernant.

An, & quis teneatur ad reparationem Ecclesiæ Parochialis, & respectivè ad extinctionem Census, ejusque fructuum solutionem in casu &c.

NE.

NEPESINA DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. De Mense Martii anni 1780. accurrit Antonius Diotallevi ad sedanda dissidia exorta inter Sacerdotem Alexandrum de Angelis Oppidi Mazzani, & illius Consanguineos; Interim Sacerdos de Angelis e Cubiculo erumpens, ubi, ne quid mali accideret clausus detinebatur, arrepto gladio, dictum Diotallevi adeo graviter percussit, ut post duas horas e vita migraverit. Curia Episcopalis in Homicidam inquisivit, eumque ad Triremes per decennium damnavit, & dimidiam Bonorum partem Fisco addixit. Post hæc pœna Triremis commutata fuit in mulctam sc. 80. piis usibus applicandam, & in Exercitia Spiritualia per annum agenda in Conventu Patrum Carmelitarum Viterbii, sed ob illius paupertatem præfinitus anni terminus ad novem Menses fuit coercitus. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

Expletis Spiritualibus Exercitiis, & satisfacta Parte, & Fisco, dispensationem ab Irregularitate efflagitavit, propositoque dubio = *An dispensatio ab Irregularitate sit concedenda in Casu &c.*, die 3. *Augusti* elapsi anni responsum prodiit = *Negative* = Iterum modò pietatem, & clementiam EE. VV. implorat ut dispensationem assequatur. Hanc gratiam exoptat Magistratus Oppidi Arignani, ubi munus Ludi Magistri dictus Sacerdos modò exercet, quique etiam testatur de optima illius vivendi ratione Ecclesiastico Viro digna; Id ipsum confirmat Archipresbyter dicti Loci, & Episcopus Civitatis Castellanæ, qui est Ordinarius Oppidi Arignani.

Denuo audito Episcopo Nepesino, retulit = *Ante homicidium patratum nihil ex Episcopali Cancellaria a Sacerdote de Angelis commissum constat, quo honestatem vitæ vel levissimè maculaverit. Quod porro ad homicidium attinet, ex actis cognovi, miserum hunc Sacerdotem inter rixam a sibi propinquis excitatam, furore cæcum, vinoque calentem Antonium Diotallevi per errorem fustulisse, in quem necessitudine summa sibi devinctum, nulla sane occurrebat deseviendi causa. Admissum facinus Ecclesiasticis pœnis, proscriptione Bonorum, rerumque summa inopia diluit. Arignani in Diœcesi Civitatis Castellanæ constitere permissus ab anno, solidæ Pœnitentiæ, Christianæque pietatis assiduè specimen exhibuit. Quæ cum ita sint, videtur mihi utique posse EE. VV. infœlici Præsbytero, congrua imposita pœnitentia facultatem benignè impertiri Sacris operandi.*

Quæ

Quæ in hac Causa animadversione digna visa sunt relata fuerunt in Folio Congregationis diei 13. *Julii* anni elapsi, quod Emi PP. resumere deprecantur. Videndum an Orator aliqua commiseratione dignus sit ob lapsum temporis, & ejus paupertatem. Ponderandum num illius vitæ integritas ante patratum Homicidium, necnon signa emendationis, quæ subsecuta sunt, sufficiant ad gratiam assequendam. Vestrum hoc erit definire, Emi PP., ac respondere dubio.

An sit standum, vel recedendum a Decisis in Casu &c.

Sess. 7. cap. 5. & 7. de Reform.

EUGUBINA AUGMENTI CONGRUÆ. Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Eugubinæ unita reperitur Parochialis Ecclesia S. Mariæ Montis Luliani, quæ spatio trium Milliarium a Civitate distat. Pro exercitio Curæ Animarum eligunt Canonici Vicarium Curatum, qui modò est Sacerdos Ubaldus Beni; Hic Sac. Congregationi exposuit reditus Parochiæ adeo tenues esse, ut pro congrua sui sustentatione non sufficiant; Gravari insuper onere præstandi Capitulo certam frumenti quantitatem singulis annis. Addidit pluries rogasse Capitulum, ut ab hac præstatione ipsum liberaret, & Congruam augeret, sed omnia in irritum cessisse: quare supplex petiit, ut imperio EE. VV. Congruæ augmentum decernatur, & omnino deleatur onus præstationis frumenti. De hujus instantiæ meritis agendum modò est.

Parochus Inquit, Vicariis Curatis Congruam deberi, quam S. Pius V. in Constitutione, cujus initium est *Ad exequendum*, præfinivit. In hac Constitutione statutum esse, ut Congrua non sit major scut. 100., nec minor scut. 50., & hanc legem locum habere tam pro Vicariis perpetuis, quàm pro Vicariis amovibilibus. Cum igitur reditus Parochiæ S. Mariæ Montis Luliani ad summam scut. 50. non pertingant, hinc infert denegari non posse Congruæ augmentum; Nec obesse acquiescentiam, & silentium prædecessorum Parochorum; nam

Ante-

Anteceſſores ſuis Succeſſoribus proprio jure venientibus nullum præjudicium inferre potuerunt; Atque ulterius animadvertit in relata Conſtitutione cautum reperiri, quòd ſi Congrua Parocho deſit, debeat augeri non obſtante quacumque contraria Conſuetudine.

Probata neceſſitate augmenti, ſuſtinet illud præſtandum omnino eſſe a Capitulo Cathedralis; Advertit enim Congruam deberi ab iis, penes quos reſidet Cura habitualis Parochiæ; Curam verò habitualem reſidere penes Capitulum, prout reſultat tam ex unione ejuſdem Eccleſiæ facta Capitulo, quam ex antiquo Communitatis Cataſtro, & ex alio recenter facto de mandato SSmi Domini Noſtri, in quibus Bona Parochiæ uti ad Capitulum pertinentia adnotantur, tum demum ex jure, quod habent Canonici deputandi Vicarium ad exercitium Curæ animarum. Quin Canonici juvari poſſint titulo Patronatus Eccleſiæ, cujus cauſa Vicarium eligere affirmant, quia etiam in iſto caſu tenerentur ad Congruæ augmentum. Cæterum Parochiæ unionem ſatis ex eo reſultare, quòd Vicarius Curatus ſit ad nutum amovibilis, ejuſque deputatio abſque Concurſu perficitur.

Ex alia verò parte Capitulum Cathedralis contendit, Vicariis Curatis pro Congrua ſufficere ſummam ſcut. 50. Hoc poſito advertit Sacerdotem Beni non ſolum hanc ſummam, ſed ſummam multo majorem percipere ex redditibus tum certis, tum incertis Parochiæ S. Mariæ Montis Luliani, quare ſuſtinet injuria petere Congruæ augmentum, quando conſtat ipſum cum ſufficienti Congrua eſſe proviſum. Addit præterea, poſſhabendam eſſe Epiſcopi relationem teſtantis de Congruæ deficientia; nam obſervat pretio admodum tenui computaſſe frumentum, quod Vicario ex Decimis obvenire ſolet; Minus etiam recte exiſtimaſſe reditus Prædii Parochiæ aſſignati, demum multum auxiſſe expenſas, quæ a Parocho fiunt, cum aliquæ ſint parvi momenti, aliæ ſint voluptuoſæ, & inutiles. Rejiciendam verò peritiam a Sacerdote Beni exhibitam, & calculum redituum Parochiæ a prædeceſſore Parocho exaratum, quia in his non tota refertur redituum quantitas, & ſegetum, aliorumque frugum pretium ita extenuatur, ut nullus credere poſſit, tam vili pretio fuiſſe venundata.

Ex aquiescientia, & silentio aliorum Vicariorum, qui per plura Sæcula Parochiam rexerunt, satis deprehendi quàm inepte hodie a Sacerdote Beni Congruæ augmentum expostuletur. Notat enim nunquam prædecessores Vicarios reclamasse, prout revera reclamassent, si illam minus sufficientem deprehendissent. Alienum insuper a veritate esse, quòd duo Vicarii Curati propter reditum defectum Parochiam dimiserint, cum constet alterum ad pinguius Parochiale Beneficium translatum fuisse, alterum verò inter suos familiares ab Episcopo assumptum. Cæterum observat, quòd Sacerdos Beni ab anno 1757. ad annum usque 1777., quo Parochialem S. Mariæ Luliani retinet, nunquam de Congruæ deficientia conquestum esse, & quemadmodum Ecclesiæ reditus per id tempus sufficientes fuerunt, ita et imposterum sufficere posse existimandum.

Episcopus inquit = *Petitioni Oratoris benignas aures ab EE. VV. clementia præstandas esse crederem, eo vel maxime, quod Parochus cum fortunæ bonis sit penitus expoliatus, nullam aliam habet suis indigentiis consulendi rationem. Pro hujusmodi augmento prius instetit Orator apud Canonicos, sicut alius insteterat ejus Antecessor Augustinus Jacomini, at nihil obtinere neuter potuit; idque in causa fuit, quod hic cum de suo vivere posset, Parœciæ cessit, ille verò ad Sac. istam Congregationem preces admovit: Capitulum, quod demandato EE, VV. audivi etiam impræsentiarum moderni Parochi postulationi ad versatur diuturnæ consuetudinis momento fretum, ac silentii aliorum ejusdem Ecclesiæ Parochorum, quos asseritur tali stipendio contentos fuisse.*

Alexander III. in Cap. de Monachis 12. de Præbendis scribens Archiepiscopo Vigorienſi sic ait = *de Monachis, qui Vicarios Parochialium Ecclesiarum gravant, ut hospitalitatem tenere non possint eam providentiam habeas, quod ad præsentationem Monacorum nullum recipias, nisi tantum ei de proventibus Ecclesiæ coram te fuerit assignatum, unde jura Episcopalia possit persolvere, & congruam sustentationem habere.* Id ipsum confirmatur in *Cap. Extirpandæ* 30. *dicto tit. de Præbendis, & Cap.* 1. *eod. tit. in* 6. Omnem curam quoque adhibuit Sac. Concilium Tridentinum *sess.* 7. *cap.* 5. *&* 7. *de reform.*, ut Vicarii Curati Parochiarum, quæ Cathedralibus, Collegiatis, aliisque Ecclesiis, aut Monasteriis sunt unitæ de Congrua sufficienti providerentur, ne propter Paro-

cho

chorum inopiam Cura animarum negligeretur, & Beneficia debitis fraudarentur obsequiis.

Quod a Sac. Concilio constitutum est, summa cura, & diligentia exequi voluit S. P us V. in Constitutione, quæ incipit *Ad exequendum* sub datum diei 1. *Novembris* anni 1567. §. 2. ubi Congruæ quantitatem præfiniri mandavit, & Ordinariis Locorum in assignanda Congrua hanc dedit normam, ut non major centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum summa, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis, eis omninò assignetur, nisi Vicariis solitum fuisset plus assignari.

In constituenda quantitate Congruæ ea solum emolumenta calculari debent, quæ licet sint incerta, habent tamen quamdam certitudinem, ut sunt Decimæ Frumenti, Vini, Olei, aliorumque Fructuum, & aliarum obventionum, quæ respectu Vicarii sunt incertæ ratione summæ; Non tamen emolumenta omnino incerta, ut sunt emolumenta Altaris, Funerum, & similium, sicuti definivit Sac. Congregatio in *Isernien. Vicariæ*, in qua agebatur de assignatione Congruæ facta Canonico Curato Ecclesiæ Cathedralis, & Episcopus declaraverat constituendam esse Congruam ducatorum 60., computatis tamen in eadem Congrua fructibus Præbendæ, omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis, exceptis tamen distributionibus quotidianis, quæ lucrantur ratione servitii personalis ob interessentiam Choro, cæterisque oblationibus, & eleemosynis, quæ dantur pro Funeribus, Sponsalitiis, & similibus, cumque ab hac Sententia Capitulum reclamasset, disputato dubio = *An in Congruam Canonici Curati imputari debeant distributiones quotidianæ, quæ dantur ratione servitii spiritualis, & interessentiæ Choro, nec non cætera emolumenta Parochialia expressa in Sententia Episcopi die* 20. *Aprilis* 1697., responsum prodiit = *Affirmativè quoad primam partem, Negative quoad secundam lib.* 47' *Decret. pag.* 112.

Quæ de Congruæ quantitate statuta sunt, servari omninò debent tàm pro Vicariis perpetuis, quàm pro aliis ad nutum amovibilibus *Ferrarius verbo Congrua Art.* 2. *num.* 38. & refert resolutionem hac de causa editam a Sac. Congregatione Visitationis Apostolicæ in *Fanen.* 25. *Novembris* 1693.; Sustinet tamen laudatus Auctor citato in loco *num.* 39, quòd si Congrua semel sufficienter

assignata fuerit, nisi superveniat notabilis diminutio, nova assignatio fieri non debeat.

In præsenti Causa inquirendum est, an reditus Parochiæ S. Mariæ Montis Luliani revera pertingant illam quantitatem, quæ a S. Pio V. statuta est pro Congrua Vicariis Curatis assignanda. Hoc dijudicabunt Eminentissimi PP., a quibus quæritur,

An, quomodo, & a quibus debeatur augumentum Congruæ in casu &c.

Die

Die Sabbathi 6. Septembris 1783. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

JANUEN. MATRIMONII. Validitatem Matrimonii initi a Marchione Paulo Francisco Spinula cum Marchioniſſa Maria Brignole impugnavit primum Mulier in Curia Archiepiscopali Januensi, quæ sententiam tulit pro Conjugum cohabitatione per tempus in posterum definiendum. Devoluta Causa ad Sac. Congregationem, ad quam SSmus Dominus Noster Causam remisit, etiam ad consulendum super dispensatione Matrimonii rati, & non consummati, bina proposita fuerunt dubia I. *An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.*, & quatenus negativè II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione Matrimonii rati, & non consummati in casu &c.*, & die 16. elapsi mensis *Augusti* fuit responsum Ad I. *Provisum in secundo*. Ad II. *consulendum esse SSmo pro dispensatione Matrimonii rati, & non consummati*. *Sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.*

Relata SSmo Domino Nostro Sententia Sac. Congregationis in Audientia diei 20. dicti Mensis Augusti, mandavit Sanctitas Sua, ut Causa iterum ad examen revocaretur in prima proxima Congregatione. Reproponitur proinde Causa, interpellatis tum Defensore Matrimonii tum Procuratore Marchionis Pauli Francisci. Quidquid animadvertendum erat expositum fuit EE. VV. in Folio postremæ Congregationis, quod rogantur resumere, ut decernant.

An sit standum, vel recedendum a decisis.

Ad primum. Ad mentem.

Ad Secundum. In decisis; factaque de præmissis per D. Secretarium relatione Sanctissimo Domino Nostro, Sanctitas Sua benignè approbavit resolutionem S. Congregationis diei 6. Septemb. 1783. cum rescripto = In decisis =, deleto rescripto ad primum dubium = Ad mentem: & Litteras Apostolicas in forma *Brevis* expediri mandavit juxtà solitum.

Se-

Sequuntur aliæ causæ, quæ judicium Emorum PP. expectant; Harum primæ quatuor adnotatæ sunt in Folio distributo pro Congregatione diei 19. elapsi Mensis Julii; reliquæ verò recensentur in Folio dictæ Congregationis diei 16. Augusti.

CAMERINEN. SUBSIDII DOTALIS.

Sess. 22. cap. 6. de Reform. *An ex assertis superextantibus reditibus hæreditatis bon. mem. Petri Fanti sint applicanda scuta sexcentum in dotem Angelæ Antoniæ Rilli in casu &c.*

Negativè, & ad mentem: & mens quod Episcopus incumbat diligenti, & œconomicæ administrationi redituum Legati, relecatis inutilibus expensis.

PISAVREN.

Sess. 21. cap. 7. de Reform. *An Decretum Capituli sit confirmandum in casu &c.*

Negativè.

ROMANA SVBSIDII DOTALIS.

Sess. 22. cap. 6. de Reform. *An, & pro quibus annualitatibus sit locus præstationi Subsidii Dotalis in casu &c.*

Affirmativè prò quinque annualitatibus pro unaquaque ex filiabus Oratricis.

ARI-

ARIMINEN. REDUCTIONIS.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

Negativè, & fiat investimentum singulis annis scutorum duodecim, & obulorum quinquaginta ad reintegrandum capitale scutorum octingentorum: & prò reliqua Summa celebrentur tot Missæ ad ratam manualis ab Episcopo taxandæ, deductis utensilibus, & expensis necessariis prò cultura bonorum.

FIRMANA.

Sess. 22. Decret. de observan. & evitan. in celeb. Missæ Sess. 24. cap. 12. de Reform., & Sess. 25. Decret. de Invocat., & Vener. &c.

I. *An Priori Collegiatæ Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli Civitatis Firmi competat jus perpetuum convocandi Capitulum, seu potius idem jus repartiri annuatim debeat in singulos Canonicos in casu &c.*

II. *An, & quomodo quoad II. III. IV. V. VI., & VIII. Dubium sit standum, vel recedendum à decisis.*

III. *An Omnes, & singuli Canonici Collegiatæ Ecclesiæ teneantur contribuere pro expensis Viensilium Parochialium, seu potius ad dictas expensas teneantur solummodo Prior, & sub-Prior Animarum curam habentes in casu &c.*

IV. *An, & qui teneantur ad expensas pro executione Rescripti Sac. Congregationis editi die 17. Augusti anni 1779. quoad remotionem; & expurgationem Sepulchrorum in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem; Negativè ad Secundam, & amplius.

Ad II. Quoad II. IV. V. VI. in decisis, & amplius: quoad III. in decisis, nisi de licentia Archiepiscopi, & amplius: quoad VIII: in decisis juxta modum; & modus est quod electio Officialium fiat per Secreta Suffragia, exclusis ab exercitio Officiorum Præbendatis; & Officia Camerarii, & Revisorum Computorum tantum in uno eodemque Canonico non cumulentur, & amplius.

Ad III. Affirmativè, ita tamen ut unusquisque contribuat prò rata suæ congruæ.

Ad IV. Affirmativè, ut ad proximum.

IMO-

Sess.21. cap. 7. de Reform. IMOLEN. RESTAURATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS.

An, & quis teneatur ad reparationem Ecclesiæ Parochialis; & respectivè ad extinctionem Census, ejusque fructuum solutionem in casu &c.

Tenerl Populum,& Possidentes in districtu Parochiæ per æs, & libram.

Sess.14. cap. 7. de Reform. NEPESINA DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess.7.cap, 5. & 7.deReform. EUGUBINA AUGMENTI CONGRUÆ.

An, quomodo. & a quibus debeatur augmentum Congruæ in casu&c.

Die

Die Sabbathi 29. Novembris 1783. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUÆ duæ primo ordine adnotantur Cauſæ in poſtrema Congregatione indeciſæ remanſerunt: iis adduntur aliæ ſeptem, & de omnibus judicium Sac. Congregationis hodie exquiritur.

NEPESINA DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. *Seſſ. 14. cap. 3. de Reform.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Expectet.

EUGUBINA AUGMENTI CONGRUÆ. *Seſſ. 7. cap. 5., & 7. de Reſor.*

An, quomodo, & a quibus debeatur augmentum Congruæ in caſu &c.

Negativè in omnibus.

LISBONEN. Franciſca Telles die 21. *Auguſti anni* 1624. ſuum condidit Teſtamentum, in quo univerſæ ſuæ hæreditatis compendium reliquit Patribus Benedictinis Civitatis Ulyſſiponæ. Plurima reliquit legata, & inter alia mandavit = *Ut ab Infidelium Maurorum captivitate quinque Puellæ, ſeu Pueri, attento minoris ætatis periculo,* *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

dummodo genere Mauro, vel Judaico sint immunes, quotannis redimantur: Volo, ut satisfactis coram Abbate, suisque Monachis qualitatibus a me præscriptis unicuique redimendo contribuatur summa scutorum Romanorum viginti quinque, quem ad effectum mando haberi in dicto Monasterio Scrinium, quo æs omne meorum bonorum pro meæ voluntatis implemento reservabitur in deposito. Jussit præterea, ut in Ecclesia Monasterii Capella sub invocatione Beatæ Mariæ Virginis ædificaretur, pro cujus manutentione reliquit annua scuta viginti; Quidquid vero ex præfata summa, expleto dicto manutentionis onere, supereresset, in Captivorum redemptionem erogari mandavit.

Secuto Testatricis obitu, curarunt Monachi singulis annis per ædictales litteras illius voluntatem patefacere, & pecuniæ quantitatem in satisfactionem Legati erogandam indicare, ut si qui adessent Captivi præscripta requisita habentes, beneficio fruerentur. Cum autem tractu temporis in illa Ditione pro Captivorum redemptione diversa methodus inducta fuerit, hinc evenit, ut nullus cor. Abbate comparuerit, qui ad fruitionem Legati admitti postulaverit. Anno 1694. Monasterij Fabrica incendium passa est; quare Monachi in illius restaurationem, necnon in meliorandis prædiis hæreditariis Testatricis impenderunt integram pecuniæ summam, quæ in redemptionis opere eroganda erat, quæque ob deficientiam Captivorum in Monasterii capsa otiosa manebat.

Deinde anno 1709. instante Captivorum Promothore, Abbas Monasterij damnatus fuit ad redditionem rationis gestæ administrationis Legati, & ad traditionem pecuniæ, quæ ob neglectam Captivorum redemptionem cumulata reperiri debuisset. Hanc sententiam infirmavit Judex appellationis, qui insuper Abbatem in administratione Legati confirmavit, præscriptis tamen nonnul is conditionibus, quibus Legati distributio peragenda foret. Judicium anno 1755. denuo instauravit Captivorum Promothor super hujusmodi legati administratione, & i judicio Abbas succubuit, qui tamen appellationem intnerposuit ad Judicem superiorem.

Pendente appellatione, Abbas, & Monachi exposuerunt fan. mem. Benedicto XIV. eorum Ecclesiam, & Monasterium ex Terræmotu, qui accidit Ulyssiponæ anno 1755. gravem jacturam subiisse, & ad restaurationem ingentem pecuniæ summam requiri; hinc nulla facta mentione pen-

den-

dentiæ litis facultatem petierunt, ut in opus restaurationis impendere possent summam, quæ ad redemptionis legatum pertinebat, & deposita in Monasterij arca reperiebatur: insuperque expostularunt, ut commutata Testatricis voluntate, Legati prædicti fructus pro manutentione Ecclesiæ, & Monasterij in posterum possent erogari.

Laudatus Pontifex, audita prius Sac. Congregationis sententia, per suas litteras in forma Brevis die 29. *Aprilis* 1758. Abbatis, & Monachorum precibus annuit, injuncto tamen ipsis onere celebrandi singulis annis de trimestri in trimestre quatuor Anniversaria pro anima Testatricis, & eorum, qui sub captivitatis jugo decessissent. Hoc Pontificio Indulto pacifice usi sunt Abbas, & Monachi ad annum usque 1775., quo tempore Captivorum Promothor in Tribunali Nunciaturæ Apostolicæ gratiam a San. Mem. Benedicto XIV. ipsis tributam subreptionis vitio laborare dixit, eo quia in precibus narrata minime fuit lis, quæ adhuc indecisa pendebat: & hac de causa subreptitium declaratum fuit Apostolicum Breve. Interposita ab hac sententia appellatione, preces Sanctissimo Domino Nostro nomine Abbatis, & Monachorum exhibitæ fuerunt, ut quemcumque defectum ea de causa sanaret, & quatenus opus esset, commutationem voluntatis Testatricis denuo concedere dignaretur, dictamque commutationem extenderet etiam ad eam summam, quæ ex Legato sc. 20. pro manutentione Capellæ relicto, adimpleto manutentionis onere, supereresset, quæque juxta Testatricis præceptum in Captivorum redemptionem erat eroganda. Ablegatis precibus Sac. Congregationi, quæritur hodie ab Eminentissimis PP. an Oratorum instantia exaudiri mereatur.

Præmittunt Monachi ad eruendam subreptionem Brevis san. mem. Benedicti XIV. non sufficere reticentiam sententiæ latæ anno 1755., sed omnino probandum esse, quod si Pontifici sententia innotuisset, petitam gratiam, vel nunquam, vel saltem difficilius indulsisset; Hujus sententiæ notitiam nequaquam potuisse Pontificis animum ab Indulti concessione retrahere, quia sententia innixa erat voluntati Testatricis, quæ Pontifici perspecta, & exposita fuit; hinc arguunt omnia eidem innotuisse ad gratiam necessaria, & ad excludendum subreptionis defectum.

Post hæc advertunt plures in præsenti casu verificari causas, quæ Indulti confirmationem, & quatenus opus sit,

novam conceſſionem ſuadent . Inquiunt enim eorum Monaſterium , & Eccleſiam anno 1694. incendio periiſſe; inſuper ruinam paſſum fuiſſe ex Terræmotu anni 1755. , & rurſus ex alio incendio ſecuto anno 1773. periclitaſſe. Pecuniam , quæ pro Captivorum redemptione erogan-da erat , in Monaſterii , & Eccleſiæ reſtaurationem impendiſſe ; proindeque fuiſſe erogatam in publicam cauſam , cum ex hoc opere cultus divinus augeatur , & Monachis ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria tribuantur; hinc concludunt , juſta intercedente cauſa, Teſtatricis voluntatem commutatam fuiſſe , & modo ope ſanationis poſſe confirmari .

Petitam gratiam aſſequi etiam confidunt , quia omnia , quæ a Teſtatrice diſpoſita ſunt , impleverunt , & per ipſos non ſtetit , quominus pecunia in Captivorum redemptionem erogaretur . Inquiunt enim nunquam omiſiſſe ſummam ad id neceſſariam in Arca Monaſterii deponere : ſingulis annis per edictales litteras notam omnibus feciſſe Franciſcæ Telles voluntatem , ut ſi qui adeſſent Captivi cum qualitatibus ab ea præſcriptis, Legati beneficio fruerentur ; hiſce tamen non obſtantibus, nullum inventum fuiſſe , qui coram Abbate inſteterit , ut legatum peteret ; quare contendunt non potuiſſe per plures annos exequi Teſtatricis voluntatem ſervatis conditionibus ab ipſa præſcriptis : & propterea exiſtimant, præter juſtam & rationabilem cauſam , neceſſitatem quoque interceſſiſſe illam commutandi .

Nec obeſſe , quod Nuntius Apoſtolicus Luſitaniæ aſſerat , ex elencho tum antiquo, tum recenti Captivorum , qui redempti ſunt, plures Captivos ad aſſequendum hujuſmodi legatum habiles deprehendi , cum Nuntius Apoſtolicus id affirmet, non quia Captivi revera probverint qualitates a Teſtatrice requiſitas, ſed quia hujuſmodi probationem difficilem cenſet ; Quare ſi non expreſſe , ſaltem tacite admiſit defectum Captivorum , qui neceſſariis requiſitis præditi forent . Cæterum addunt adeo difficile non eſſe , ut quis ſuam a Judæis , vel Mauris deſcendentiam excludat ; nam eo modo , quo ſe a Catholicis Parentibus ortum habere demonſtrat , eo pariter modo a Judæis , vel Mauris deſcendentiam excludit . Spernendum pariter eſſe , quod modo quælibet ſublata ſit inter Catholicos , & Judæos , ac Mauros differentia; Nam id accidit anno 1773. , poſt quam commutata jam fuerat Teſtatricis voluntas , & propterea ad tempus , quo Breve ſan. mem. Benedicti XIV. editum eſt, retrahi non poſſe .

Ajunt

Ajunt præterea Brevis ſanationem eo fortius concedendam eſſe, quia nempe nullum per ipſum pio Redemptionis Operi præjudicium infertur; Nam in ultima Captivorum redemptione ſecuta in Luſitaniæ Regno anno 1778. juſſu Fideliſſimæ Reginæ comprehenſi etiam fuerunt, qui ſubditi non erant, ex quo infertur nullum Luſitanum, qui præferri debuiſſet, excluſum remanſiſſe; atque ex hoc argui poſſe ſuper abundantes extare reditus pro explenda Subditorum redemptione; Contra vero cum gratia ab ipſis obtenta famuletur piæ voluntati Teſtatricis, quæ erectionem Capellæ Beatæ Mariæ Virginis demandavit, & Monaſterium hæredem ex aſſe inſtituit; hinc, ſi Brevis convalidatio denegetur, gravem Monaſterium jacturam ſubiret: cum licet ſit hæres, hæreditas tamen tot oneribus eſt gravata, ut ex ea nihil percipiat, & ob paſſa infortunia Incendii, Terræmotus, & Annonæ caritatis, multum impenderint, tam in reædificationem Eccleſiæ, & Monaſterii, quam in Bonorum hæreditariorum meliorationem.

Tandem, inconveniens eſſe ajunt, ſi gratia revocetur poſt quam ſpatio viginti quatuor annorum exequuta fuit, & omni diligentia adimpleta fuerunt onera a ſan. mem. Benedicto XIV. in Apoſtolico Brevi injuncta; Minimeque ejuſdem gratiæ validitatem infringi poſſe ob reticentiam ſententiæ anni 1755.: nam hujuſmodi ſententia, præter quam quod nullitatis vitio laboret, lata præterea fuit ſuper jure adminiſtrationis Legati, quod eſt prorſus diverſum a præſenti caſu, in quo de Legati commutatione agitur. Nihil etiam obeſſe ſententiam Auditoris Apoſtolicæ Nuntiaturæ noviſſimè prolatam, cum ipſi licitum non eſſet adverſus Apoſtolicum Breve jus dicere, niſi prius Oris aperitionem obtinuiſſet.

Emus Patriarcha plura ad rem advertit, quæ ex ſua relatione Emis PP. circumferenda videri poterunt: ſententiam vero ſuam aperiens, ſic concludit = *Omnibus tandem perpenſis circumſtantiis præteritis, concomitantibus, & ſubſequentibus, ſupplex hodiernus Abbas, ſuique Monachi de tranſacta Agentis in Curia confuſa, & inordinata veritatis expoſitione inculpabiles, Indulti defectu ſoluto, confirmatione, & gratia digni videntur.*

Nuntius Apoſtolicus refert, quod Oratores ex pecuniis depoſitis pro Captivorum redemptione ad annum uſque 1758. habuerunt ſc. 3310. circiter, & ab eo tempore uſque ad præſens alia ſc. 4700.; advertit tamen, quod multo majorem ſummam erogarunt in reædificationem

Ec-

Eccleſiæ, & Monaſterii, atque in meliorandis Teſtatricis Bonis; Poſt hæc ait = *Non può dubitarſi eſſere l'Opera della Redenzione più pia, e meritoria di quella, in cui richieggono gli Oratori, che ſia commutata, con tutto ciò ben ponderate le circoſtanze del caſo, pare, chè eſſi quanto alle annualità percette ed impiegate nel uſo furiferito non debano eſſere inquietati col preteſto della nullità della grazia ottenuta, per avere i medeſimi occultata al S. Padre la pendenza della lite; E percio che riguarda il futuro la rivalidazione della grazia ſudetta dipende dal maturo, e ſavio diſcernimento dell'E. V., e di lei Emi Colleghi.*

Certum eſt, quod gratia quæcumque per obreptionem, aut ſubreptionem extorta ſit irrita, quamvis reticentia veri, aut falſi expoſitio ex ignorantia, vel ſimplicitate ſequuta fuerit: *Cap. ſuper litteris* 20. *de reſcriptis*. Videndum an reticentia ſententiæ latæ anno 1755. difficiliorem reddere potuiſſet ſan. mem. Benedictum XIV. ad indulgendam commutationem voluntatis Franciſcæ Telles. Quatenus vero Breve Apoſtolicum irritum dijudicetur, ponderandum, an rite proceſſerit Curia Nuntiaturæ Apoſtolicæ, quæ nondum obtenta aperitione oris, illud revocavit. Demum ponderandum, an expediat, attentis circumſtantiis, illud convalidare. Hoc dijudicabunt EE. VV. a quibus quæritur.

An, & quomodo ſit providendum in caſu &c.

Conſulendum SSmo prò Sanatione quoad ſummas in alios uſus hùc uſquè conſumptas: firma remanente in poſterum lege Teſtamenti Franciſcæ Telles.

Seſſ. 25. *cap.* 3. *de Reform.*

FOROLIVIEN. SPONSALIUM. Sponſalia per verba de futuro die 12. *Martii* elapſi anni inita fuerunt inter Joannem Baptiſtam Caſati, & Mariam Zavatti; In Apoca promiſit Sponſus, interpoſito juramento, Matrimonium contrahere cum ad majorem ætatem perveniſſet; nam de tempore ſubſcriptionis Apocæ, vix vigeſimum tertium ætatis annum exceſſerat; Conventum extitit de dotis quantitate, ac præterea conventum quoque fuit, ut Apoca ad publicum Inſtrumentum redigeretur; Demum Apocam, nedum] Sponſus, & Sponſa propria ſubſcriptione firmarunt, verum etiam Sponſæ Pater illam ſigno Crucis obſignavit.

Ubi

Ubi primum horum *Sponſalium* notitia pervenit ad Eliſabeth Corbici Sponſi Matrem, & Curatricem, graviter indignata eſt, & cum ea pariter indignati ſunt cæteri conſanguinei, & Affines; quare Jo. Baptiſta Caſati ſupplex adiit SSmum Dominum Noſtrum, & expoſuit ſe oſcitanter Sponſalia contraxiſſe, quæ exequi non poterat ob diſſenſum Matris, & hunc diſſenſum juſtam præbere cauſam reſiliendi a Sponſalibus: petiitque propter ea, ut Cauſæ examen ad Sac. Congregationem ablegaretur. Voti compos factus dictus Caſati, bina dubia ab EE. VV. hodie definienda ſunt.

Ad I. Advertit Caſati Sponſalium contractum nihil aliud eſſe, quam ſimplicem promiſſionem contrahendi Matrimonium; ſed inſitam habere implicitam conditionem exequendi contractum, dummodo res in eodem ſtatu permaneat: quod ſi aliqua ſuperveniat juſta cauſa ab hujuſmodi contractu reſiliendi, ſtatim denegandam eſſe illius executionem, & contrahentes in priſtinam libertatem reſtitui debere; Nullam vero urgentiorem cauſam adeſſe, ut a data fide recedi poſſit, Parentum diſſenſu; notat enim, quod licet Sac. Concilium Tridentinum valida declaraverit Matrimonia inita ſine conſenſu Parentum, illa tamen illicita eſſe dixit; Cum ergo Sponſalia contra Parentum voluntatem inita viam ſternant ad illicitum Matrimonium, hinc deducit prædicta Sponſalia reſcindi debere, ne Sponſi contra præſcriptum Eccleſiæ agere cogantur, & lethalem culpam incurrant.

Hiſce præmiſſis ait, Sponſalia fuiſſe contracta in abſcondito, & inſcia Matre, idque per dolum, & fraudem factum fuiſſe, quia Sponſæ propinqui conſcii erant de diſſenſu Matris Sponſi, qui quidem diſſenſus ſtatim fuit patefactus per proteſtationem, qua ipſa Mater declaravit, non ex odio, ſed juſtis de cauſis a Matrimonio diſſentire, nec ſperandum eſſe, ut in poſterum unquam conſentiat; quare contendit licere ſibi a Sponſalibus reſilire, ut Matris voluntati obſequatur; Quin objiciatur Patrem jam obiiſſe, & Matris diſſenſum non adeo juſtam cauſam recedendi a Sponſalibus præbere; Reſpondet enim Sponſalia contra voluntatem Parentum irritari non vi patriæ poteſtatis, ſed quia a Filiis erga Parentes ſuos in ſimilibus caſibus debitus non ſervatur honor, & reverentia, quæ Divino præcepto utrique Parenti debetur, ac proinde ſufficere, ut unus ex Parentibus diſſentiat; Minime vero obeſſe Sponſalia juris jurandi religione fuiſſe firmata; nam ea utpote contracta invitis Parentibus, nun-

nunquam juramento confirmantur, quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis, nec contrahentes ad exequutionem adigi posse. Idque magis in Forolivienſi Diœceſi obſervandum, quia Synodali lege irrita declarantur Sponſalia inita contra voluntatem Parentum, etiamsi juramento fuerint munita.

Pro diſſolutione vero Sponſalium urgere etiam imminens periculum quod Jo. Baptiſta Caſati ab ipſa Matre hæreditate privetur, prout pluries proteſtata eſt; quod ſane non leve præjudicium eidem afferret, cum Mater unica ſuperſtes ſit de familia ſua, & opulentum habeat Patrimonium. Plurimi etiam habendum eſſe Propinquorum diſſenſum, quorum timenda indignatio eſt, & præſertim divitis Patrui prole carentis, a cujus hæreditate arceretur, quoties celebrandum foret Matrimonium; Urgere tandem ſui ipſius diſſenſum, & a conciliatis Nuptiis averſionem. Hinc ne bonorum jacturam patiatur, & odia, & diſſidia inter Propinquos oriantur, neve cum invita Uxore vivere cogatur, diſſolvenda eſſe ſuſtinet Sponſalia, ſibique priſtinam libertatem reſtituendam; Quæ quidem omnia eo vel magis ad diſſolutionem ſuadere debent, quia dum Apocam obſignavit, adeo rudis erat, & expers, ut prorſus ignoraret quid ageret, & Mulieris calliditate, earumque Amicorum circumventionibus ad Matrimonii promiſſionem ductus fuit.

Nec Matris diſſenſum ut irrationabilem traduci poſſe, quia omnes Cives Forolivienſes cujuſcumque Ordinis, ætatis, & conditionis, hujuſmodi Sponſalia improbant, & Matris diſſenſum rationabilem dicunt; Idque etiam confirmavit Vicarius Capitularis, & Eminentiſſimus Emiliæ Legatus; quare concludit injuria redargui Matris, & Propinquorum diſſenſum, cum omnium Civium, ipſorumque Civitatis Præſidum aſſenſu, & opinione hujuſmodi Sponſalia improbentur.

Rem tamen intimius perſcrutando contendit, alia non deeſſe momenta, cur datam fidem ſervare non debeat; Ait enim, quod Puellæ ingenium, & vivendi ratio, licet nihil ab honeſtate alienum præſeferat, multum tamen ab ipſo diſcrepat. Addit ſe natales ſortitum eſſe ab honeſtiſſimo, & opulento Mercatore, qui Patrimonium reliquit ſatis pingue, ut vitam ſuam, propriamque Familiam ſuſtentare valeat; At ſponſam omnibus fortunæ bonis deſtitutam eſſe, ejus Patrem Sarcinatoris, Matrem vero Obſtetricis artem exercere, & ambo coactos fuiſſe per varia loca diſcurrere, & in aliorum famulatu ſeſe addicere, ut victum comparare poſſent; Ex hiſce omnibus

arguit

arguit justum esse Matris dissensum, & justam quoque ipsum habere causam, ut a data fide recedat.

Ad II. Advertit Ecclesiam ex assueta æquitate ad censurarum comminationem contra detrectantes exequi promissa Sponsalia, nunquam devenire consuevisse, etiamsi dissensus nullo justitiæ fundamento fulciatur, quando dubium oriri possit, quod scandala, & gravia damna eveniant; Multo magis in præsenti casu a quacumque pœna abstinendum esse, quia agitur de Sponsalibus clam, dolo, & fraude contractis, quibus nec Mater, nec cæteri Parentes assentiuntur, & justissimæ concurrunt causæ, ut ab illorum exequutione recedatur.

Alia vero ex parte, Sponsa inquit ad 1., Sponsalia exequi omnino debere, cum mutuo contrahentium consensu inita fuerint, mutua deliberatione contracta, & juris jurandi religione, & obligatione Camerali firmata. Addit Virum a data fide recedere non posse, vel quia Apocam obsignavit cum imperfectæ adhuc esset ætatis, vel ob passam ad contrahendum seductionem, vel ob impedimentum, quod eidem pro celebratione Matrimonij a propria Matre, & Propinquis dissentientibus præbetur, vel demum ob conditionis disparitatem, aut inimicitias, & scandala ex Matrimonio oritura, cum prædicta omnia a veritate prorsus sint aliena. Notat enim Jo. Baptistam Casatì de tempore initi contractus in vigesimo quarto ætatis anno fuisse constitutum, quæ sane ætas longe exuberat, ut valide hujusmodi contractus celebrentur; nam in Maribus quatuordecim, in Fœminis vero duodecim anni requiruntur; Eademque Sponsalia, nec clanculum, aut tumultuarie inita fuisse, sed libera viri voluntate, & post quam eidem patefactæ fuerunt difficultates omnes, quæ forsan evenire potuissent.

Minimeque obesse Matris dissensum; Præmittit namque primo Matrem semper Filio infensam fuisse, ne Matrimonium contraheret, cum alia plurima distulerit connubia, licet paris essent conditionis; Inde vero advertit Juris civilis leges impedientes Matrimonij celebrationem ob Parentum dissensum, Sacrorum Canonum decretis coercitas fuisse, & ad Matrimonij libertatem tuendam declaratum extitisse ad illius validitatem sufficere liberum contrahentium consensum, numquam vero consensum illorum, sub cujus potestate contrahentes ipsi existunt; Fortius in præsenti casu posthabendum esse Matris dissensum, quia inspecto etiam Cæsareo jure, Sponsalia Filiorumfamilias ob Matris dissensum minimè irritantur;

Extraneam quoque esse dispositionem Synodi Diœcesanæ Forolivienſis ; Nam Synodus loquitur de Patre , qui tantum in Filios potestatem habet, atque insuper requirit, quod illius dissensus rationabili nitatur fundamento ; Ast Joannes Baptista Casati ob Patris obitum , factus est sui juris , Mater vero nullam habet justam causam , ne Sponsalibus assentiatur .

Nec Sponsalia retardari debere , ex quo Mater minata est filium hæreditate privare , vel quia Sponsi Propinqui dissentiant ; Respondet enim de hisce omnibus monitum fuisse Joannem Baptistam Casati , antequam contractui subscriberet , & tamen spretis tum propriæ Matris minis , tum Propinquorum indignatione Sponsalia contraxit ; quare contendit , non posse modo a Sponsalibus resilire ob causas , quas ante contractus celebrationem præscierat. Parvi facienda esse ea quæ proferuntur de natalium disparitate ; Fatetur se genitam ex Patre Sarcinatore , & Matre , quæ Obstetricis artem exercet ; Verum advertit Jo. Baptistam Mercatoris filium esse , & inter illius Matris Consanguineos transactis temporibus fœminas fuisse,quæ Obstetricis munus exercuerunt ; Demum scandala , & dissidia , quæ evenire posse contenditur , si Matrimonium contrahatur , Sponsi Consanguineos , & Cognatos asserere , quin ullum proferant documentum , solumque hoc dictitari , ut ipse a contrahendo Matrimonio retraheretur .

Ex his infert ad II. Dubium : Jo. Baptistam Casati omnibus Juris Canonici remediis cogendum esse , ut datam fidem adimpleat , cum præsertim Sponsalia sint juramento firmata , quo casu oritur obligatio illa omnino exequendi .

Vicarius Capitularis plura ad rem advertit , quæ videri poterunt ex sua relatione inter monumenta causæ circumferenda : votum tamen aperiens ait = *Dubitari potest an Sponsalia per dictum Casati ex juvenili levitate , aut inscia ejus Matre , & Curatrice contracta licita , & legitima essent , atque obligatoria , & quamvis ejusmodi essent , cum dissensus Parentum justam semper præbeat causam Filio resiliendi a Sponsalibus etiam juratis , licitus propterea, & justus videtur recessus dicti Jo. Baptistæ ab assertis Sponsalibus initis cum Marianna ob jam superventum dissensum, atque indignationem Matris exhæredationem etiam minantis , nec non Consanguineorum & Affinium . Nullo enim modo irrationabilis videtur istorum dissensus , & reluctantia . Quod autem certius , & indubitantius est , Mariannam Matri , & propinquis dicti Casati admodum invisam esse , modoque aversionem in eam , ipsum quoque con-*

concepisse, & proinde ex Matrimonio, si unquam ad effectum perduceretur, odia, inimicitias, perturbationes, aliaque gravia incommoda obventura fore, ac acerbos, & infelices exitus metuendos.

Sponsalia nedum mutuo contrahentium dissensu dissolvi possunt, verum etiam unus ex Sponsis, licet alter dissentiat, potest a data fide recedere, si justam habeat resiliendi causam. *Cap. Quemadmodum de Jure jurando* = Inter justas, & rationabiles causas, ex quibus contracta Sponsalia dissolvuntur, locum habet Parentum dissensus. *Benedictus XIV. Inst.* 46. *num.* 11. *Franciscus Muscettola diss. de sponsal., & Matrim. Filiorum fam. relata a Zaulo in opere ad statutum Faventiæ a num.* 145. *ad* 177. pluribus adductis auctoritatibus tuentur, quod Sponsalia sine Parentum consensu inita illicita sunt, & ob Parentum dissensionem dissolvi possunt, licet juramentum interceserit. Et dictus *Muscettola loco citato num.* 110. tenet statutum in jure esse, ut Sponsalia quantumlibet jurata, vel ab ipso principio non obligent, vel sint omnino dissolvenda, quando ex adimplemento damna timeri possunt; Cumque ex Sponsalibus maximè cum persona vilis conditionis contractis plerumque infelix exitus oriri soleat, hinc infert hujus generis promissiones quamvis juramento firmatas nihil obligare, & illarum executionem impediri debere. Immò *Cosci de Sponsalibus Filiorum fam. Vot. IV. num.* 162. *ad* 163. cum aliis ab eo allegatis contendit eo fortius prædicta Sponsalia neque ex vi juramenti adimplenda fore, si ob gravem Parentum indignationem timeatur quod Filij illorum hæreditate privati remaneant.

Dubium oritur an ea, quæ de Parentum dissensu quoad Sponsalia Filiorumfamilias statuta sunt, locum habeant, si defuncto Patre, Mater tantum superstit. Quæstionem hanc illustrat dictus *Cosci vot.* 2. *citati operis, a num.* 62. *ad* 76., & pro affirmativa sententia concludit ductus ratione, quod in Sponsalibus Filiorumfamilias Parentum consensus requiritur, non ratione patriæ potestatis, sed ut debitus honor ipsis servetur; qui quidem honor ex Decalogi præcepto æque tribuendum est Patri, & Matri: & Patre defuncto, jura reverentialia universa coalescunt favore Matris; quare concludit ad dissolvenda Sponsalia Filiorumfamilias, viduæ Matris dissensum sufficere.

Hunc autem Parentum dissensum præpedire executionem

Sponſalium Filiorumfamilias, & illorum Matrimonia ſic contracta illicita eſſe ſuſtinet *Fagnan. in Cap. Tua de Deſponſat. impuber. num.* 14, & 15., ſi Parentes ipſi juſta de cauſa aſſentiri renuant voluntati Filiorum, quia nempe indignum Matrimonium contrahere deſiderant. Quænam vero Matrimonia jure indigna cenſeantur, Judicis arbitrio, & prudentiæ judicandum reliquit *Boſs. de contract. Matrim. cap.* 11. *num.* 167., ubi ad rectum hac ſuper re ferendum judicium, hanc regulam tradit = *Porro ad dignoſcendum, an nupſerit digno, vel indigno ſpectanda ſunt utriuſque Conjugis progenies, ſeu nobilitas, animi bona, mores, divitiæ, legitima natalia, & alia; & ſecundum ea prudens Iudex, attentis moribus Civitatis, judicabit.*

Ponderandum modo eſt, an rationabili fundamento nitatur diſſenſus Mariæ Corbici, ut impedimento eſſe poſſit executioni Sponſalium, quæ Filius contraxit. Præ oculis habenda ſunt, quæ diſponuntur in Synodo Forolivienſi, in qua *cap.* 12. *de Sacramento Matrimonij, & Sponſalibus* hæc habentur = *Quod ſi de Sponſalibus Filiorumfamilias res ſit, a conſenſu excipiendo abſtineant Animarum Paſtores, niſi prius Parentum voluntatem exploraverint; idcirco eoſdem graviter monebunt, ne id ipſis diſſentientibus agant, quinimo illos edoceant Parentum diſſenſum, ſi rationabili nitatur fundamento, juſtam afferre cauſam, qua Sponſalia, etſi jurata, diſſolvantur; Matrimonia vero quamvis ex ſe valida, illicita tamen ex hujuſmodi diſſenſu fieri.*

Sac. Congregatio, juſta concurrente cauſa, Sponſalium executionem denegavit, licet alter ex contrahentibus illorum adimplementum urgeret. In *Senogallien. Sponſalium* Marchio Ludovic s Baviera Sponſalia inierat cum nobili Puella Barbara de Benedictis, quæ promiſſionis Syngraphum ſic conceptam obſignavit = *Io ſottoſcritta prometto, mi obligo, e giuro in nome della SSma Trinità di prendere per legitimo Spoſo il Signor Marcheſe Ludovico Baviera di queſta Città, e non altro* = & Marchio viciſſim ſuam fidem iiſdem repetitis verbis ſpopondit. Cum autem Matrimonij celebrationi ſeſe opponeret Puellæ Pater, qui in actis proteſtationem emiſerat, quod ſi Sponſalia fuiſſent valida intendebat privare ſuam filiam paterna ſucceſſione; Ludovicus vero pro Sponſalium adimplemento inſtaret, tria de hac quæſtione propoſita fuerunt Dubia I. *An conſtet de Sponſalibus in caſu &c.*, & qua-

quatenus affirmativè II. *An ſit locus coactioni in caſu &c.* III. *An D. Barbara poſſit Matrimonium contrahere cum alio Viro, quatenus nolit exequi Sponſalia de quibus agitur in caſu &c.* Die 12. *Maij* 1714. ad I. reſponſum fuit *Affirmativè*, dilata reſolutione II., & III. Dubij. Reſumpto poſtmodum Cauſæ examine, die 1. *Septembris* ejuſdem anni plenis ſuffragiis prodiit reſolutio *Ad II. Negativè, ad III. Affirmativè. lib.* 64. *decretorum pag.* 189., & 346., & id ipſum confirmavit in *Neapolitana Sponſalium* 31. *Julij* 1728., & *in Gallipoletana Sponſalium* 28. *Februarij* 1733. Contra vero Sponſalium executionem demandavit, ſi abſque rationabili cauſa a data fide alter ex Sponſis recedere præſumeret, ut in *Neapolitana Sponſalium* 19. *Septembris* 1722., *in Colonien. Sponſalium* 26. *Aprilis* 1732., & *in Bononien. Sponſalium* 26. *Martij* 1735.

Quando autem de Sponſalium validitate conſtat, & nulla juſta ſubeſt cauſa recedendi, mandat Innocentius III. in *Cap. Præterea de Sponſalibus*, quod = *Qui de Matrimonio contrahendo purè, & ſine omni conditione fidem dederunt, commonendi ſunt, & modis omnibus inducendi, ut præſtitam fidem obſervent.* Quare ſi Vir renuat, *Alexander III. in cap. Ex litteris* 10. *eod. tit.* juſſit, quod per Eccleſiaſticas cenſuras compelli debeat; ſi vero Mulier, Lucius III. *in Cap. Requiſivit* 17. *ejuſdem tituli interrogatus* ab Epiſcopo Rapalen., qua cenſura compelli deberet, reſpondit = *Quod cum libera debeant eſſe Matrimonia, monenda eſt potius, quam cogenda, cum coactiones difficiles ſoleant exitus frequenter habere.*

Omnibus itaque ponderatis circumſtantiis, dignabuntur EE. VV. decernere.

I. *An Sponſalia ſint exequenda in caſu &c.*
Et quatenus affirmativè.

II. *An ſit locus coactioni in caſu &c.*

Negativè ad utrumque: & ad D. Secretarium ad mentem: & mens eſt quod ſolvantur Annæ Mariæ per Joannem Baptiſtam ſcuta tercentum.

NEPE.

Sess. 21. cap. 5. de Reform.

NEPESINA UNIONIS. Parochialis Ecclesia S. Andreæ Oppidi Campaneani, quæ Populo erat fere destituta, die 15. *Septembris anni* 1781. unita fuit Archipresbyteratui alterius Parochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Jo. Baptistæ ejusdem Oppidi. Unionem hanc impugnavit Communitas: & disputato dubio = *An sit standum, vel recedendum a decisis sub die* 15. *Septembris anni* 1781. *in casu &c.*, nulla in Congregatione habita die 5. *Aprilis* currentis anni capta fuit resolutio, sed injunctum est Episcopo, ut præfigeret terminum Communitati ad deducendum jura sua cor. eodem Episcopo.

Mandata EE. VV. exequuta fuerunt, atque ex foliis a Magistratu Campaneani exhibitis patet, quod Communitas unioni assensum præbet, dummodo præservetur jus, quod eidem Communitati competit eligendi nempe Administratorem redituum Fabricæ Ecclesiæ S. Andreæ: quod in eadem Ecclesia consuetæ peragendæ sint Functiones, & in Publicis Supplicationibus binæ eleventur Cruces: quod demum Archipresbyter S. Jo. Baptistæ onus habeat propriis sumptibus Vice-Parochum deputandi, qui in exercitio Curæ animarum totius Oppidi ipsum coadjuvare teneatur.

Episcopus refert = *Occurrebat primum, futurum consultius, si utramque Paræciam, divisis plane, ut ante a juribus, EE. VV. paterentur consistere, modo ex Parochialis Collegiatæ hominum numero, qui ad mille, & quingentos excrevit certa divideretur quantitas præfixis finibus Parochiæ S. Andreæ assignanda. Rem silentio pressi, dum ad loci faciem meum consilium exegerim, ibique præsens, quid revera expediret discusserim. Deprehendi itaque commodiorem divisionem vix, aut omnino fieri non posse, nisi ab eo viæ tractu, qui a Collegiata ad S. Andreæ Ecclesiam procurrit. Verum si hinc peteretur divisio, vix homines circiter quinquaginta Parochiæ S. Andreæ subderentur; id quod nullum ferè levamen Parocho Collegiatæ afferret Parochianis plus æquo gravato, & congruo proventus destituto, & in commodum alterius Parochi cederet, qui minori labore fatigandus, meliorem censum exigeret.*

Suam vero sententiam aperiens ait. *Ea res sane me movet, ut hanc Ecclesiarum Parochialium unionem æquitati consonam putem, Parocho Collegiatæ, modo Œconomum decenti stipendio cogatur in laboris partem adscire, commodam, Populo vero quam maxime utilem. Huc vota accedunt Magistratus illius Terræ, qui eamdem unionem expedire undequaque pernoscens, dummodo sibi integra mà-*

neant

neant, quæ municipalibus jubetur legibus jurà, illam probat, expetitque.

Quod in hàc cauſa animadvertendum erat, deprehendere poterunt EE. VV. ex Folio diſtributo pro Congregatione diei 15. *Martii currentis anni*, in quo deſcripta primo fuit; Dignabuntur illud reſumere, ac definire.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis ſub die 15. *Septembris anni* 1781. *in caſu &c.*

In deciſis juxtà votum Epiſcopi, & ampliùs.

BALNEOREGIEN. Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Balneoregienſis, cum in elegantiorem formam conſtruere optaret Aram principem ejuſdem Eccleſiæ Deo in honorem Divi Bonaventuræ dicatam, inſtetit penes Appolloniam Majoni, ut ultra ſummam ſc. 100., quam ejus prædefunctus Vir pro dicti Altaris ornatu reliquerat, aliquid de proprio ad operis perfectionem impenderet; Canonicorum votis annuit pia Mulier; At ubi id innotuit Nicolao Vittori, ſtatim ipſe ſuam pandidit voluntatem = *di voler eſſere preferito in detta Opera Pia, per eſſere egli antico Gentiluomo della Città, ed avere intereſſe nell' Altare ſudetto, godere, e poſſedere la di lui caſa da tempo immemorabile una delle tre Chiavi della Porta ferrea dove ſi conſerva l'inſigne, e preziosa Reliquia del Braccio di S. Bonaventura noſtro Concittadino, e Protettore.* *Seſſ. 21. cap. 7. de Reform.*

Quod a Nicolao Vittori expoſitum fuerat acceptavit Capitulum; quare accedente Epiſcopi conſenſu, die 22. *Decembris* 1747. ſtipulatum fuit inſtrumentum, quo dictus Vittori onus aſſumpſit conficiendi propriis ſumptibus Altare Majus dictæ Cathedralis Eccleſiæ, quin de legato ſc. 100., & de pecuniis in hanc cauſam a Capitulo cumulatis aliquid perciperet, quia hujuſmodi pecunias Epiſcopi, & Capituli arbitrio erogandas reliquit pro aliis Eccleſiæ ornamentis; Conventum tamen in eodem Inſtrumento fuit, quod idem Vittori facultatem haberet apponendi in dicto Altari Stemma gentilitium ſuæ Familiæ.

Cum autem hodiernus Epiſcopus Eccleſiam Cathedralem fatiſcentem inveniſſet, & illius reſtaurationem aggredi vellet, oportuit hinc ornamenta omnia, & Baſem ipſam Altaris Majoris, ac gentilitium Stemma Familiæ Vittori

a ſuo

a suo loco movere, ut opus perfici posset. Completis postmodum restaurationibus, Joa. Baptista Vittori, Nicolai filius Monitorium cor. A.C. expedivit, quo petiit, ut propriis Episcopi expensis Altare Majus, & suæ Familiæ Stemma in pristinum locum collocaretur. Jussu SSmi Domini Nostri hujusmodi instantia remissa fuit ad Sac. Congregationem. Ne verò Ecclesiæ fabrica longius protraheretur, Episcopo facultas data est restituendi Altare ad pristinum locum. Opus perfecit propriis sumptibus Episcopus, qui expensarum reintegrationem hodie expostulat; quare rogantur Emi PP. ut super dubiis inferius transcriptis proferant judicium.

Ad I. inquit Vittori, Episcopo onus inhærere restituendi in pristinum suis expensis Aram principem Ecclesiæ Cathedralis, cum ipse ex juris dispositione teneatur quartam partem redituum Mensæ in restaurationem Cathedralis impendere, & sicuti Ecclesiam manutenere cogitur, ita tenetur etiam illius Altaria reficere, solumque onus in ipsum Vittori refundere posse, quatenus demonstraret ejus mandato Altare prædictum fuisse demolitum, vel rem utilem ei gessisse, dum illud ad locum ubi fuerat constructum restituit; At neutrum ex hisce probari posse affirmat, cum Altaris demolitio, ipso prorsus inscio, & jubente solum Episcopo, sequuta fuerit: & quia illud ad suum locum restituit, non inde tamen gessit rem utilem, ut expensas repetere valeat.

Neque ullam obligationem desumi posse ex instrumento stipulato anno 1747.; nam in hoc instrumento Nicolaus Vittori promisit Altaris confectionem, & assumptum onus adimplevit, opusque juxta conventas leges ad finem usque perfecit; Perperam vero ex obligatione construendi Altare inferri ad onus perpetuæ illius manutentionis, quia de hoc nullum verbum excidit in dicto Instrumento, & ipsa reticentia probat defectum obligationis.

Multoque minus teneri in vim juris patronatus, quia Patronatus acquiritur fundatione, constructione, aut dotatione: sed Familia Vittori nunquam fundum dedit, ut Ara Major construeretur, nec integre illam extruxit, aut dotem ei constituit; nec ex eo solum desumi posse Patronatum, quod ornamenta marmorea subministravit, quia id fecit ex sola liberalitate, & devotione erga Divum Bonaventuram, & exemplum sequuta fuerat alterius pii Benefactoris, qui Tabulam pictam dono dederat; De cætero sustinet, quod Ecclesia propriis expensis semper Candelabra, alasque Sacras Suppellectiles pro Altaris ornatu com-

comparavit. Ad acquirendum vero patronatum neceſſario requiri, ut tota Capella a Patrono extruatur, & de omnibus Suppellectilibus provideatur; Idque fortius obſervandum eſſe in præſenti caſu, quia agitur de Altari Majori Eccleſiæ Cathedralis, ſuper quo nullo unquam titulo a Laicis patronatus acquiri poteſt. Demum addit, quod licet Altaris patronatu frueretur, non inde tamen adigi poſſet ad ſubeundas expenſas pro reſtitutione in priſtinum ejuſdem Altaris, cum nulla ex parte Epiſcopi præceſſerit interpellatio, dum Altare demolitum ſuit, & ad perficiendam Eccleſiæ Cathedralis reſtaurationem, id neceſſarium erat Altare Majus ſolo æquare, nam Eccleſiæ reſtaurationes, & ornamenta expleri poterant, quin d. Altare a ſuo loco dimoveretur.

Ad II. advertit Stemmata ſuæ Familiæ omnino reponenda eſſe in eodem loco, ubi antea collocata erant, ut perennis habeatur memoria conſtructionis Altaris expletæ ab ejus Patre, qui Altare ædificare promiſit, quia aſſentiente Epiſcopo, & Capitulo indultum ei fuit, ut perpetuo ſuæ Familiæ Stemmata ibi retineri poſſent.

Contra vero Promothor Fiſcalis contendit ad I, Epiſcopum reintegrandum eſſe de omnibus expenſis, quas de proprio erogavit, ut in novo Preſbyterio Altare Majus collocaretur; Ait enim Familiam Vittori Altaris patronatu gaudere, idque etiam faſſum fuiſſe ipſum Ioa-Baptiſtam Vittori, dum Monitorium cor. A. C. expedivit. Ad Patronum vero ſpectare Altaris manutentionem, proindeque teneri Vittorium tanquam Patronum reintegrare Epiſcopum de expenſis, quas erogavit. Perperamque objici Nicolaum Vittori promiſiſſe Altaris conſtructionem, nunquam vero ejuſdem Altaris manutentionem: Reſpondet enim, quod ad inducendum onus manutentionis, non requiritur, ut in actu conceſſionis Patronatus explicite Patronus aſſumat onus manutentionis Eccleſiæ, vel Altaris, sed onus hujuſmodi infixum eſſe ipſi qualitati patronali, ita quidem, ut abſque ulla explicita obligatione, in ipſo actu acquiſitionis Patronatus onus manutentionis inducatur.

Ad II. inquit, non licere Vittori Stemmata ſuæ Familiæ in Altari apponere, quoties renuat expenſas reficere, cum hujuſmodi Stemmata ſint ſigna Patronatus, quem ipſe amittit, ſi onus reædificandi Altare ſubire recuſet.

Clemens III. *in cap. Nobis* 25. *de jure patronat.* ita diſponit= *Inquiſitioni tuæ, tale damus reſponſum, quod ſi quis Eccleſiam cum aſſenſu Diœceſani conſtruxit, ex eo juspatro-*

natum acquirit=Quæ de Ecclesiarum patronatu statuta sunt, inquiunt Doctores, locum etiam habere quoad patronatum Capellarum: hinc *Riccius in prax. part.* 4. *resol.* 342. *num.* 1. *Antonell. de regimine Ecclesiæ lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 33. *Barbos. de potest. Episcopi allegat.* 102. *num.* 10. sustinent, quod si Capella reparatione, vel nova indigeat constructione, Patronus teneatur omnes expensas subire, quæ pro hujusmodi constructione, vel reparatione necessariæ forent; Idque confirmant *Sperell. decis.* 60. *num.* 11. *Amostaz. de causis piis cap.* 6. *num.* 21. *Ventrigl. in prax. part.* 2 *annot.* 19. §. *unico num.* 33., qui addunt, quod Patronus ab initio fundationis tenetur conferre dotem, quæ pro omnibus Capellæ indigentiis sufficiat, & sic etiam pro reparatione, & fabrica: & si ab initio dos non fuerit sufficiens, onus habet suis sumptibus reparandi, & reædificandi, cum hæc obligatio Patronatui sit infixa.

Advertunt *Lambert. de Jurepat. lib.* 1. *part.* 1. *quæst.* 11. *art.* 4. *num.* 1., & *Card. de Luca de jurepatr. disc.* 25. *num.* 14. quod Patronus prædicta onera subire debet, etiamsi non habeat jus præsentandi, sed tantum jura honorifica, & agatur de Altari Majori Ecclesiæ Conventualis, ubi extet Chorus, & peraganturFunctiones Ecclesiasticæ, cum hujusmodi actus, divinum cultum respicientes, non possint a Patrono impediri.

Pignattellus *tom.* 9. *consult.* 82. *num.* 145. refert resolutiones Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium editas in *Mutinen.* 2. *Maii* 1601. 2. *Januarii* 3. *Julii* 1602. 9. *Januarii* 1604., & 9. *Octobris* 1618., quibus definitum fuit, Patronis Capellarum, & Altarium, quæ essent inornatæ, vel reparatione indigerent, præfiniendum esse terminum ad faciendas restaurationes, & si post tertiam monitionem id præstare detrectent, sit in facultate Ordinarii, vel Superiorum Ecclesiarum dictas Capellas, & Altaria destruere, vel aliis concedere.

Existimat *Piton. de controv. Patron. allegat.* 12. *num.* 29., & 30., quod si Ecclesia propter nimiam vetustatem reparatione, vel etiam nova reædificatione indigeat, & ex aliqua justa causa necesse foret, ut fieret magis ampla, puta, quia est Cathedralis, aut Parochialis, tunc Capellæ Patronus cogi non possit ad subeundas expensas, quæ pro ampliatione requiruntur, sed solum teneatur ad expensas respondentes statui antiquo Ecclesiæ, vel Capellæ juxta pristinam dimensionem, in forma tamen elegantiori, & recentis architecturæ. Verum si Ecclesia ne-

neceſſario ſit reædificanda, & reædificatio perficiatur juxta conſuetam ſuam dimenſionem, ſed forma magis eleganti, teneatur Petronus pro elegantiori ornat.

Ponderandum in caſu eſt, an Eccleſia Cathedralis Balneoregien. neceſſaria reparatione indigeret, & propterea abs re non erit reſumere Folium cauſæ *Balneoregien. Eccleſiæ Cathedralis* diſtributum pro Congregatione *diei* 22. *Iunij* 1776., quod publici juris eſt in *Theſauro Reſolutionum Sac. Congregationis Tom.* 45., ubi multa de neceſſaria ejuſdem Eccleſiæ reſtauratione adnotantur. Ponderandum, in qua ſumma Epiſcopus efflagitet, aut petere poſſit expenſarum reintegrationem, ut rite definiri valeat.

I. *An expenſæ pro collocatione, ſeu repoſitione in priſtinum Altaris veteris S. Bonaventuræ in Eccleſia Cathedrali Balneoregien. reficiendæ ſint Epiſcopo in caſu &c.*

Et quatenus negativè.

II. *An in eodem Altari reponendum ſit Stemma Familiæ Vittori in caſu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius.
Ad II. Affirmativè, & amplius.

NUCERINA CANONICATUS. Pia Mulier Joanna de Gabriellis in Teſtamento exarato die 1. *Auguſti anni* 1627. hæredem inſtituit Jacobum Riccium Virum ſuum; quo defuncto juſſit, ut de bonis ſuis erigerentur tot Canonicatus in Eccleſia S. Petri Saxoferrati annui reditus ſcutorum quadraginta pro quolibet. Patronatum activum reliquit tam Maſculis, quam Fœminis Familiæ Gabrielli Incolentibus in d. Oppido, ſervata tamen inter deſcendentes majoris ætatis prærogativa, iiſque deficientibus, illum detulit Vexillifero pro tempore ejuſdem Loci. Volult inſuper = *Quod Canonici nominandi, & præſentandi teneantur alternis hebdomadis in Choro dictæ Eccleſiæ dicere, recitare, canere, & perſolvere Horas Canonicas diurnas, & nocturnas . . . . . & unuſquiſque debeat qualibet hebdomada in infinitum celebrare Miſſas tres, ſcilicet die Lunæ, Mercurii, & Veneris, & ulterius quolibet Menſe Miſſam unam* = Poſt hæc ait = *Et ſi præſentati, & inſtituti Sacro Presbyteratus ordine fuerint initiati, vel qui poſſint illico eo initiari, alias quouſque non fuerint eo initiati, inſigniti teneantur nihilominus ſervire Choro in recitandis horis prædictis alternis hebdomadis, ſi nulla legitima excuſatio*

Seſſ. 25. cap. 9. de Reform.

tio intercedat arbitranda arbitrio Reverendiſſimi Epiſcopi, & quocumque impedimento non obſtante Miſſas præfatas modis, & formis præmiſſis ab aliis Presbyteris celebrari faciant, ac etiam teneantur, celebrante ſolemniter Archipresbitero, fungi officio Diaconatus, & Subdiaconatus in defectum aliorum.

Poſt Teſtatricis obitum, lis orta eſt inter illius Conſanguineos, & Communitatem, ac Vexilliferum Saxoferrati ſuper pertinentia Patronatus activi dictorum Canonicatuum. Verum die 3. *Octobris* anni 1707. tranſactio inter partes inita fuit, qua reſervato Conſanguineis dictæ Teſtatricis jure nominandi ad Canonicatum ſub titulo S. Petri, Jus patronatus activum Canonicatuum ſub invocatione Omnium Sanctorum, & S. Pauli Communitati, & Vexillifero Saxiferrati perpetuo fuit attributum.

Obiit die 15. *Februarij* anni elapſi Sacerdos Joſeph Bravi, qui Præbendam Canonicalem ſub titulo Omnium Sanctorum poſſidebat; Oportebat hinc ad novi Canonici electionem devenire; ſed hujuſmodi electio abſque diſſidio perfici non potuit. Vexillifer Saxiferrati anno 1781. erat Antonius Agoſtini, qui tamen juſſu Sac. Conſultæ ab Officio fuit ſuſpenſus, & in ejus locum ſubrogatus Benedictus Marini; Electionem Canonici tam Agoſtini, quam Marini ad ſe ſpectare unuſquiſque autumabat; Primus aſſerebat, ſe ab Officio fuiſſe ſuſpenſum, ſed poſtmodum reintegrationem obtinuiſſe, & propterea ad vacantem Canonicatum præſentavit Clericum Aloyſium Ceſauri; Contra vero Benedictus Marini, ſpreta hujuſmodi reintegratione, ad dictum vacantem Canonicatum nominavit germanum fratrem Odoardum Marini.

Clericus Marini obtenta nominatione, ſtatim adiit SSmum Dominum Noſtrum, & Canonicatus inſtitutionem efflagitavit; Obſtitit alter Clericus Aloyſius Ceſauri, & obſtitit etiam Capitulum, qui Clericum Marini adeo rudem eſſe dixit, ut licet in decimo octavo ætatis anno eſſet conſtitutus, adhuc tamen legere, & ſcribere neſciret, & propterea inhabilem ad Sacros Ordines ſuſcipiendos, & Capituli, & Canonicatus onera ſubeunda; Quæſtionis examen ab Emo Pro-Datario judicio Sac. Congregationis ablegatum fuit; quare proponitur infraſcriptum Dubium ab EE. VV. definiendum.

Inquit Clericus Marini aliena prorſus a veritate eſſe, quæ de ejus ignorantia dictitantur, cum contrarium eruatur ex depoſitione Ludi Magiſtri, & ex teſtimonio aliorum aſſerentium ipſum aſſiduè Scholæ interfuiſſe, & Studiis pro-

profeciſſe. Ab Epiſcopo Nucerino Clericali Tonſura fuiſſe inſignitum, quod certe nunquam Ordinarius feciſſet, ſi de ejus ſcientia certum teſtimonium non habuiſſet. Spernendam pariter eſſe nominationem factam ab Antonio Agoſtini; nam is die 21. *Julij*, & 11. *Auguſti* anni 1781. juſſu Sac. Conſultæ ab Officio Vexilliferi fuit ſuſpenſus, & in ejus locum die 19. *Auguſti* ejuſdem anni extractus Benedictus Marini: hinc concludit, Agoſtini nullum jus habuiſſe, ut ad vacantem Canonicatum nominaret.

Nec obeſſe, quod a Sac. Conſulta die 15. *Decembris* anni 1781. dictus Antonius Agoſtini ad munera publica obeunda fuerit reintegratus; Advertit enim hujuſmodi reintegrationem nihil aliud præleferre, quam illum habilem reddere ad intereſſendum publicis Comitiis, & ad Officia Communitatis exercenda, nunquam vero ad Muneris Vexilliferi, a quo fuit dimiſſus obtinendam reintegrationem; Idque etiam reſultare ex aliis ordinibus a Sac. Conſulta poſtmodum datis, quibus mandatum eſt, ut Benedictus Marini dimiſſo ære alieno, quo antea cum Communitate gravabatur, in Officio Vexilliferi perduraret. Parumque afficere, quod in Sacerdotali ordine inſtitutus non ſit, cum Canonicatus hujuſmodi qualitatem minime requirat, & Teſtatrix, quæ illum fundavit, indulſit, ut Canonicus per alium Miſſarum onera adimplere poſſet, quouſque ad Presbyteratus Ordinem non fuiſſet promotus.

Clericus Aloyſius Ceſauri, licet monitus, ſua jura deducere minime curavit.

Epiſcopus in Epiſtola ad Emum Pro-Datarium data referens quæſtionis ſtatum ait = *Il fatto ſia, che è in queſtione, ſe Benedetto Marini, che come attuale Confaloniere di Saſſoferrato ha fatto la nomina di queſto Canonicato in perſona del Chierico Odoardo ſuo Fratello carnale ſia vero e legittimo Confaloniere, e per conſeguenza, ſe poſſa come Confaloniere fare queſta nomina Antonio Agoſtini, che era il vero Confaloniere di Saſſoferrato: meſi addietro fù ſoſpeſo dall' eſercizio della ſua carica con ordine di Roma, indi a non molto tempo con altro ſucceſſivo ordine di Roma ſegnato dalla Sag. Conſulta fù reintegrato. Di queſta reintegrazione egli è ſtato impedito di godere l'effetto ſtante la oppoſizione del Giudice locale, che io non sò quanto ſia ragionevole. Frattanto atteſo l'ordine di ſoſpenſione ſuddetto fu dal Buſſolo delli Spicciolati eſtratto Benedetto Marini ſuddetto a ſervire da Confaloniere proviſionale, e come tale tro-*

trovandosi in esercizio in questo tempo, ha creduto di poter fare la nomina =

De Clerici Marini scientia refert = *Le opposizioni, che l'Arciprete, e Canonici di Sassoferreto fanno al detto Chierico Marini restringendosi all' incapacità, o sia ignoranza, giacche è pur troppo vero, che non sa leggere, ancorche D. Francesco Mozzetti di lui Maestro gli faccia ut attestato colla espressione del* competenter legere, & scribere nescit, *che si puo leggere* competenter legere, & scribere nescit = *da chi sa, che il Maestro ogni anno per la sua riferma deve passare sotto i voti de Consiglieri, tra i quali il Marini può avere buon partito, e per la parentela, e per le aderenze. Io che hò esaminato questo Chierico Odoardo Marini nel mese di Luglio scorso allorche mi richiese d'iniziarlo alla prima Tonsura convengo nella rappresentanza, che i Canonici fanno di lui, e dico, che non sa leggere il latino, e dovendo salmeggiare, in Coro, non e possibile, che possa farlo, se non si abilita nel leggere, progresso, che dieciotto anni di sua età, e dieci almeno di studio per imparare a leggere, non fanno sperare con fondamento =.*

Addit præterea = *Ciò però che più interessa si è il sapere, che il Chierico Marini non puo godere di questa nomina, perchè la Fondatrice richiede la qualità Præsbiterale, se non in atto almeno in potenza, e fra tanto, che non siano ordinati Sacerdoti vuole la Testatrice, che li Canonici nominati debbano ministrare all' Arciprete celebrante nel Ministero di Diacono, e Sudiacono. Da tutti questi Ordini Sagri è troppo distante il Chierico Marini, il quale per godere questo Canonicato dovrebbe avere ventiquattro anni, e non dieciotto =.*

Demum inquit = *Sento a dire, che Antonio Agostini reintegrato al Confalonierato, come dissi, si pretenda in diritto di far lui questa nomina, e che l'abbia gia fatta in persona di un tal Chierico Luigi Cesauri, e che questo similmente abbia promosso le sue istanze in codesta Dataria Apostolica. Nulla però essendo stato dedotto avanti di me come Ordinario, ne per parte del Marini, ne per parte dell' Agostini, ne dal Cesauri, mi sono trattenuto in inazione fin quì =*

Ponderanda est Testatricis voluntas, ut dijudicari possit, an. Canonicatus vacans sit Præsbyteralis, vel non. Præ oculis habendum est, quid de persona Clerici Marini refert Episcopus, ut inde definiri valeat.

An, & cui sit danda institutio in casu &c.

Non proposita cum reliquis.

AUXI-

AUXIMANA EMPHITEVSIS. Clericus Franciſcus Conſoli Rector ſimplicis Beneficii S. Joa. Baptiſtæ erecti in Eccleſia B. Mariæ Virginis Terræ Montis Fani, in emphiteuſim tradidit Hyacinto Conſoli prædium ſitum in Territorio d. Oppidi in contrada *Beldiletto* capacitatis Rubrorum ſex cum dimidio ad dictum Beneficium pertinens cum annuo canone ſcutorum decem. Vt hujusmodi contractus ſuam haberet firmitatem, petiit, quod a Sac. Congregatione approbaretur. Affixis de more edictis, major fuit oblatio Comitis Franciſci Carradori, qui perſolvere promiſit annua ſcuta viginti ſeptem cum dimidio, & onus aſſumpſit meliorandi prædium; quare iſtius favore die 15 *Aprilis anni* 1780. indulta fuit facultas ineundi contractum. *Seſſ. 25. Cap. 11. de Reform.*

Apoſtolicis litteris nondum expeditis, nec ſtipulato inter contrahentes inſtrumento, alii tres Oblatores comparuerunt, nempe Paſcalis Falascone, qui obtulit annua ſcuta 32. 50., Auguſtinus Piccioni, qui pro annuo canone obtulit ſc. 34., ac demum Joſeph Paſſarini, cujus oblatio pervenit ad ſc. 33., onere tamen ab omnibus aſſumpto meliorandi Prædium. In hoc rerum ſtatu mandatum fuit Licitatoribus, ut propria jura in Sac. Congregatione deducerent: hinc propoſito dubio = *An ſint recipiendæ novæ oblationes, ſeu potius procedendum ſit ad expeditionem Litterarum Apoſtolicarum favore Comitis Franciſci Carradori in caſu &c.*; Die 12. *Maii anni* 1781. placuit EE. VV. Cauſæ reſolutionem differre, & mandare, *ut affigerentur nova edicta, firma tamen remanente oblatione Joſephi Paſſarini.*

Juſſa Sac. Congregationis exequutus eſt Eminentiſſimus Epiſcopus, qui teſtatur, quod = *Intra tempus in publicatis Edictis præfinitum, duo comparuerunt Oblatores, quorum primus Aloyſius Canonicus Conſoli ejuſdem Rectoris Franciſci germanus frater, qui obtulit ſc. 35. 50., alter vero Joa. Traluci, qui annuum obtulit Canonem ſc. 36. cum onere idem prædium meliorandi, pacto adjecto primam generationem incipiendam eſſe ab ejus Filiis maſculis jam natis, proſequendam in cæteris nascituris, de qua conditione penes acta meæ Curiæ idem Orator proteſtatus fuit nec eſſe, nec fore admittendam.*

Habent EE. VV. in Folio Congregationis diei 7. *Aprilis* anni 1781. ubi præſens cauſa adnotata fuit, quod publici juris eſt in *Theſauro Reſolutionum Tom.* 50, nonnulla, quæ ad rem conferre poſſunt. Hic tamen addere præſtat Eccleſiarum Rectoribus vetitam eſſe quamcumque alienationem Bonorum Eccleſiæ favore eorum, qui cum ipſis ſanguine ſunt conjuncti, Id colligitur *ex cap. Decenter 6. diſt.*

d ſt. 90., in quo ſic legitur = *Quicumque igitur Pontificum deinceps, aut ſanguine propinquis, aut favore perſonis quibuſcumque ſibi conjunctis talia lucra commendare tentaverit, ad ſuum nefandæ præſumptionis excidium, & quod juſſum fuerit devocetur in irritum: Et qui ordinaverit annuæ excommunicationi ſubjaceat. Quæ vero oblata fortaſſe fuerint, ab eo qui tulerit reddantur in duplum* = Confirmatur etiam ex *Cap. Epiſcopus 7. cauſ. 10. quæſt. 3.* San. Mem. Alexander VII. in Conſtitutione quæ incipit = *In ſuprema* = ſub datum 23. *Aprilis anni* 1657. juſſit, quod in Urbe Beneficiati neque in Emphiteuſim neque Locationis titulo poſſent bona ſuorum Beneficiorum concederero priis Conſanguineis, vel Affinibus, uſque ad tertium gradum incluſive.

Hiſce animadverſis rogantur *EE. VV.* decernere.

An, & cujus favore ſit ſtipulandum Inſtrumentum Emphiteuſis in caſu &c.

Seſs. 21. *cap.* 4. *de Reform.*; & *Seſs.* 24. *cap.* 13. *de Reform.*

REATINA DISMEMBRATIONIS, ET JURIS DECIMANDI. Cum inter Parochiam Oppidi Caſtri Franchi, & Parochiales Eccleſias SS. Euſanij, Leopardi, & Donati Civitatis Reatis nulla adeſſet Confinium diviſio, Epiſcopus Reatinus in paſtorali viſitatione habita in eodem Oppido die 5. *Maij anni* 1781. dictarum Parochiarum confinia præfinire curavit, & hoc Epiſcopi decretum die 28. *Julij* ejuſdem anni auctoritate Sac. Congregationis confirmatum fuit. Hujuſmodi diviſionem impugnarunt Joſeph, & Carolus Fratres Stola, qui bona poſſident in Territorio Caſtri Franchi; Inſuperque conqueſtus eſt illius Archipresbyter de renuentia Colonorum dictorum Fratrum Stola, qui poſt publicatum Epiſcopi decretum, decimas perſolvere detrectarunt; Utraque quæſtio judicio EE. VV. ſubmiſſa fuit, & propoſitis Dubiis *I. An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis ſub die* 28. *Julii* 1781. *in caſu &c.*, *& quatenus in deciſis II. An, & a quibus debeantur Decimæ a die decreti Epiſcopi in caſu &c.* Die 31. *Maij currentis anni* prodiit reſolutio ad I. *In deciſis, & amplius; ad II. Deberi ab Inco lentibus domos Fratrum Stola exiſtentes in Parochia Caſtri Franchi.*

Verum huic reſolutioni non acquieſcentes dicti Fratres Stola, & facta ipſis facultate illam impugnandi in Congregatione habita die 19. *elapſi menſis Julii*, Cauſa nunc reproponitur. Dignabuntur EE. VV. reſumere Folium Congregationis diei 31. *Maii currentis anni*, in quo multa de ſtatu quæſtionis adnotata fuerunt, & reſpondere dubio.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

FINIS.

INDEX
RESOLUTIONUM

Quæ prodierunt in Cauſis in Sac. Congregatione Concilii propoſitis anno 1783.

A

Abſtendi indultum, cauſa ſtudiorum, Canonico non ſuffragatur ad effectum non ſolvendi punctaturas, in locum diſtributionum ſubrogatas, prò tertia parte tantum fructuum ſui Canonicatus, a die non intereſſentiæ Choro. *Eugubina Punctaturarum* 5. *Aprilis ad* 1., *&* 11. *dub. pag.*74.

Acta alterutrius Eccleſiæ Viterbien., aut Tuſcanen. confici poſſunt a quolibet ex Notariis Epiſcopo beneviſo; juxtà tamen Reſolutionem in *Hortana* diei 8. Junii 1624. *Viterbien. & Tuſcanen.* 11. *Januar. ad* VI. *dub.* *& ſeq. pag.*1., *& ſeq.*

Si conficiantur a Cancellario Viterbien. prò Diœceſi Tuſcanen., tenetur ille vèl Autographum, vel Copiam authenticam, ſoluta dumtaxat mercede Scripturæ, tradere Cancellario Tuſcanen. in Cancellaria Tuſcanen. ſervandam: & vice verſa. *ibid.*

Ædes Parochiales inhabitandas eſſe a Canonicis Animarum cuſam habentibus, nec aliis locandas, aut quomodolibet concedendas, niſi de licentia Archiepiſcopi denuò referbitur in *Firmana* 6. *Septemb. ad* 11. *dub. quoad* III. *pag.*191.

Uti reſcribitur quoad eaſdem ſervandum eſſe decretum Viſitationis, quo prohibetur in iis Uvas puemi, Muſtum excoqui, laxamina coarcervari, Stabula, Sues, & Gallinas retineri. *ibid. quoad* IV. *dub.*

Præſtare debent Incolæ Villæ Canutii Capellano Curato. *Ravennaten. Diſmembrationis* 5. *Aprilis ad* 11. *dub. pag.* 75. *& ſeq.*

Ætatis diſpenſatio concedenda eſt Filio Patroni in undecimo ætatis anno conſtituto, ad aſſequendum Beneficium, uſquè dùm pervenerit ad legitimam ætatem, adimpletis interim per alium oneribus. *Bononien. Diſpenſationis* 25. *Januar. ad* 1. *dub. pag.*28.

Applicatio Miſſæ Conventualis reducitur ad dies Feſtos de præcepto tantum. *Albinga-*

nen. Reductionis Miſſæ Conventualis 8. *Februar. pag.*34.

Fieri non debet a Canonicis Eccleſiæ S. Mariæ in Cœlum aſſumptæ Oppidi Podybonitii prò Benefactoribus in genere. *Colen. Applicationis Miſſæ Conventualis* 15. *Martii pag.*51.

Lectæ fieri debet prò Fundatore Beneficii. *Bononien. Diſpenſationis* 25. *Januarii ad* 11. *dub. pag.*28.

Legatorum Miſſarum Parochiæ. Vid. *Parochia.*

Appoſitio Stemmatis Gentilitii in Altari Majorí fieri debet juxtà votum Epiſcopi. *Mevelitana* 7. *Februar. pag.* 40. *& ſeq.*

Augmentum Congruæ. Vid. *Congrua.*

B

Beneficiati Eccleſiæ Cathedralis Narniæ vocati, & ſuffragari non debent in Capitulis, in quibus agitur de rebus Eccleſiæ S. Mariæ del Ponte. *Narnien. Juris intereſſendi, & votandi* 8. *Februar. ad* 1, *dub. pag.*33.

Beneficium Eccleſiaſticum declaratur Capellania inſtituta a Paulo de Bonianis. *Nullius Guaſtallen.* 31. *Martii ad* 1. *dub. pag.*101.

Ad quod nominandus eſt Sacerdos actu, vel habitu; non autem Clericus quatuordecim annorum. *ibid. ad* 11. *dub.*

Brevis ſanatio. Vid. *Sanatio.*

C

Camerarius. Vid. *Canonicus.*

Campanile S. Mariæ Fruſinonis reſtaurandum eſt Sumptibus Communitatis tantum. *Verulana Reſtaurationis Jurris Campanarum* 10. *Maii pag.*85.

Cancellarius Epiſcopalis Tuſcanen. nonniſi arbitrio Epiſcopi retinere poteſt pènes eumdem Epiſcopum quocumque in loco commorantem, ſubſtitutum ab ipſo Epiſcopo approbandum prò conficiendis Actis ſolam Eccleſiam Tuſcanen. reſpicientibus. *Viterbien.*

bien. & *Tuscanen.* 11. *Januar. ad* v. *dub. pag.* 1., & *seq.*

Viterbien., Acta si conficiat prò Diœcesi Tuscanen., tenetur vel autographum, vel copiam authenticam, soluta duntaxat mercede Scripturæ, tradere Cancellario Tuscanen. in Cancellaria Tuscanen. servandam: & vice versâ. *ibid ad* VI. *dub.*, & *seq.*

Canonicatus erigendus est ad formam Testamenti Josephi Silvestrelli ex bonis Catharinæ Barbarasi, unà cùm aliis ab eodem Josepho ad hunc effectum relictis. *Viterbien. Erectionis Canonicatus* 21. *Junii ad* 1., & 11. *dub. pag.* 121., & *seq.*

Canonici Camerarii, & Revisorum computorum tantùm officia in uno, eodemque Canonico cumulari nequeunt. *Firmana* 6. *Septemb. ad* 11. *dub. quoad* VIII. *pag.* 191.

Canonico Camerario, seù Depositario non licere expensas erogare ultra summam Juliorum quinque sub quocumque prætextu, absque resolutione Capitulari, iterùm referibitur. *ibid. quoad* VI. *dub.*

Canonicis Curatis prærcripta, cùm decreto Visitationis, inhabitatio ædium Parochialium iterùm præscribitur. *ibid. quoad* III. *dub.* Vid. etiam *Ædes*.

Canonicus in Sacris non constitutus, & super residentia, cautâ studiorum, dispensatus, eligi non potuit in Camerarium Sacrarii. *Sarnen.* 31. *Maii ad* 1. *dub. pag.* 105., & *seq.*

Capellania instituta a Paulo de Bonianis declaratur esse Beneficium Ecclesiasticum, ad quod nominandus est Sacerdos actu, vel habitu. *Nullius Guastallæ* 31. *Maii ad* 1., & 11. *dub. pag.* 101.

Capellaniam obtinens gravatam prò integro reditu Missarum oneribus, manuali duntaxat eleemosinæ respondentibus, promoveri potest, arbitrio Episcopi, ad Sacros Ordines. *Interamnen.* 25. *Januarii pag.* 28.

Capellanis persolvenda sunt quotannis ab Archiconfraternitate Sanctissimæ Annuntiationis prò summis deficientibus sc. 14. 50. *Romana Capellanarum* 10. *Maii ad* 11. *dub. pag.* 88., & *seq.*

Capellanus Curatus transferendus est ab Ecclesia S. Eleutherii ad alteram S. Mariæ Angelorum; & domus ipsi præstanda est ab Hominibus Villæ Canutri. *Ravennaten. Dispensationis* 5. *Aprilis ad* 11. *dub. pag.* 75. & *seq.*

Capituli decretum obstans voluntati Fundatoris non est confirmandum. *Pisauren.* 6. *Septemb. pag.* 190.

Capitulis interessendi, & votandi jus non habent Beneficiati Ecclesiæ Cathedralis Narniæ, in quibus agitur de rebus Ecclesiæ S. Mariæ del Ponte. *Narnien. Juris interessendi.* & *votandi* 8. *Februar. ad* 1. *dub. pag.* 33.

Capitulum convocandi jus perpetuum competit Priori Collegiatæ S. Michaelis Archangeli; nec repartiri debet in singulos Canonicos. *Firmana* 6. *Septemb. ad* 1. *dub. pag.* 191.

Capitularia officia annuatim mutanda, seù renovanda esse juxta modum, iterum referibitur *ibid. ad* 11. *dub. quoad* VIII.

Nempe, quod electio Officialium fieri debeat per secreta suffragia, exclusis ab exercitio officiorum Præbendatis; & officia Camerarii, & Revisorum computorum tantùm in uno eodemque Canonico non cumulentur. *ibidem*.

Clerus unius Ecclesiæ Cathedralis unitæ cogi potest ad interessendum Synodo celebrandæ in altera, si Synodus indicatur prò utraque Diœcesi, & Cleri utriusque convocentur. *Viterbien.*, & *Tuscanen.* 11. *Januar. ad* 11. *dub. pag.* 1. & *seq.*

Coactioni non est locus prò executione Sponsalium; sed solvenda sunt Sponsæ sc. tercentum. *Perusinen.* 29. *Novemb. ad* 11. *dub. pag.* 198. & *seq.*

Communitas Oppidi Frusinonis restaurare debet Campanile S. Mariæ ejusdem Oppidi. *Perusina Restaurationis turris campanarum* 10. *Maii pag.* 85.

Commutatio voluntatis. Vid. *Sanatio Brevis*. *Voluntas*.

Concursus tertius, jussu Sac. Congreg. indictus, sustinetur; & Parochia adjudicatur prælecto in eodem. *Feretrana Parochialis* 8. *Februar. ad* 11. *dub. pag.* 34., & *seq.*

Congruæ augmentum denegatur in *Eugubina Augmenti Congruæ* 29. *Novemb. pag.* 193.

Confinia Parochiarum. Vid. *Decretum Episcopi*. *Parochia*.

Confraternitates Castri Nubilariæ in funeribus Defunctorum S. Andreæ, & Ronchinsambaci Fani convenire tenentur in Ecclesiam Parochialem ad levandum Parochum. *Fanen.*, & *Pisauren. Funerum* 21. *Junii pag.* 121.

Constitutiones Capitulares, institutionem Missæ communis prò quotidianis distributionibus prætermittentes, reprobantur *Pisauren. Missæ communis* 25 *Januarii ad I. dub.*, & *seq. pag.* 27.

Constitutionis Synodalis observantia præscripta Canonicis Curatis circa Sacramentales Confessiones excipiendas, aliasque Parochiales functiones explendas hora Divinorum officiorum confirmatur. *Firmana* 6. *Septemb. ad II. dub. quoad* 11. *pag.* 191.

De-

D

DEcimæ debentur ab Incolentibus domos Fratrum Stola existentes in Parochia Castri Franchi a die decreti Episcopi. *Reatina Dismembrationis, & Juris Decimandi* 31. *Maii ad II. dub. pag.*110., *& seq.*

Decretum Capituli. Vid. *Capitulum. Constitutiones. Statutum.*

Episcopi editum in Sacra Visitatione, quo Parochiarum confinia præfinivit, & a Sacra Congregatione approbatum, ab eadem denuò approbatur. *Reatina Dismembrationis, & juris decimandi* 31. *Maii ad I. dub. pag.*110., *& seq.*

Visitationis clar. mem. Card. Paracciani, quo in ædibus Parochialibus nonnulli usus prohibentur, servandum esse iterum rescribitur *in Firmana 6. Septembris ad II. dub. quoad IV. pag.*191.

Uti illud, ne in quodam superiori cubiculo, saltem diebus Festis, ac æstivis mensibus, horæ Canonicæ persolverentur, sed in Choro exteriori Ecclesiæ. *ibid. quoad V. dub.*

Deletio nominis ab urna. Vid. *Dos.*

Dismembratio Parochiæ. Vid. *Parochia.*

Dispensatio ab Irregularitate prò Judæo ab annis quinque baptizato ad effectum suscipiendi Sac. Ordines remittitur arbitrio Episcopi. *Adrien. Irregularitatis* 31. *Maii ad II. dub. pag.*102., *& seq.*

Prò Clerico, qui in rixa ictu Sclopi oculum adversarii vulneravit, differtur cum Rescripto = *Expectet. & ad mentem; & mens quod Scribatur Ordinario, qui referat an oculus vulnerati sit amissus ex ictu passo? Nullius S. Laurentii in Campo* 19. *Julii pag.*139

Pro Presbytero, qui in rixa homicidium involuntarium gladio commisit, pariter differtur - *Nepesina Dispensationis ab Irregularitate* 29. *Novemb. pag.*193.

Ætatis. Vid. *Ætas.*

Matrimonii. Vid. *Matrimonium.*

Distributiones quotidianæ formari, & dividi debent inter Canonicos Collegiatæ S. Michaelis Archangeli Oppidi S. Angeli ad formam Bullæ erectionis. *Pisauren. Missæ communis* 25. *Januarii ad III., & IV. dub. pag.*27.

Dote per Puellas consecuta ad nominationem Gubernatoris Societatis mortis, non debent eædem consequi alteram forte extrahendam ab urna, a qua deletio earum nominis sustinetur, recedendo a decisis. *Viterbien. Dotium* 8. *Februarii pag.*33.

Dotis augmentum ex assertis superextantibus reditibus hæreditatis Petri Fanti denegatur. *Camerinen. Subsidii Dotalis 6. Septembris pag.*190.

Cumulus ex quinque annualitatibus conceditur prò unaquaque ex Filiabus Oratricis. *Romana Subsidii Dotalis 6. Septembris p.*190.

E

ELectio Canonici in Sacris non constituti, & super residentia, causa Studiorum, dispensati in Camerarium Sacrarii non substinetur. *Sabinen.* 31. *Maii ad I. dub. pag.*105., *& seq.*

Ad officia Capitularia fieri debet annuatim per secreta suffragia, exclusis ab exercitio eorumdem Præbendatis. *Firmana 6. Septemb. ad II. dub. quoad VIII. pag.*191.

Episcopus Viterbien., & Tuscanen. nec alternatim, nec separatim convocare tenetur Synodum in, & pro unaquaque ex suis Ecclesiis; Sed ejus arbitrio, & prudentiæ relinquitur. *Viterbien. & Tuscanen.* 11. *Januarii ad I. dub. pag.*1., *& seq.*

Cogere potest Clerum unius Ecclesiæ ad interessendum Synodo celebrandæ in altera, Si Synodus indicatur prò utraque Diœcesi, & Cleri utriusque convocentur. *ibid. ad II. dub.*

Non tenetur alternatim peragere in Civitate Tuscanen. Pontificalia, Ordinationes, & Consecrationes S. Oleorum; Sed ejus arbitrio. *ibid. ad III. dub.*

Nec in eadem Civitate singulis annis residere per aliquod temporis spatium; Sed pariter ejus arbitrio. *ibid. ad IV. dub.*

Adhibere potest in conficiendis Actis alterutriùs Ecclesiæ quemlibet ex Notariis sibi beneviſum, juxtà tamen Resolutionem in *Hortana* diei 8. Junii 1624 *ibid. ad IV. dub., & seq.*

In Actibus privative respicientibus Ecclesiam Tuscanen., prænominari debet ab illa. *ibid. ad XI. dub.*

In Actibus autem communibus, utramque Ecclesiam respicientibus, prænominari debet ab Ecclesia, in qua residebit: Si extra utramque resideat, ab Ecclesia Viterbien. *ibid. ad XII., & XIII. dub.*

Episcopus Interamnen., arbitrio suo, promovere potest ad Sac. Ordines obtinentem in supplementum tituli Patrimonii Sacri, Capellaniam, seù Officiaturam gravatam prò integro reditu Missarum oneribus manuali tantum eleemosinæ respondentibus. *Interamnen.* 25. *Januarii pag.*28.

Episcopi judicium non esse irrationabile in reprobatione facta in secundo concursu Appellantis, & prælectione in tertio prætensivè minus idonei rescripsit Sac. Congregatio *in Ferstrana Parochialis* S. *Februarii ad I. dub. pag.*34., *& seq.*

Necnon in prælectione illius, qui minora Suffragia reportavit. *Lunen.*, *seù Sarzanen. Parochialis 5. Aprilis pag.*73.

Statur *in* decisis *in eadem* 21. *Junii pag.*121.

Episcopo Nucerino non licet visitare Ecclesiam S. Leonardi spectantem ad Sac. Religionem Hierosolymitanam . *Nucerina Juris Visitandi* 25. *Januarii ad I. dub. pag.* 28.

Perusino pariter non licet visitare Ecclesias non Parochiales spectantes ad eandem Religionem , licet ab ejus Prædecessoribus visitatæ fuerint . *Perusina Juris Visitandi* 25. *Januarii ad I. dub. pag.* 28.

Per eosdem respective facta visitatio diarum Ecclesiarum non est attendenda . *ibid. ad II. dub.*

Erectio Canonicatus . Vid. *Canonicatus* .

Novæ Parochiæ permittitur, juxta votum Archiepiscopi in *Firmana Erectionis Parochiæ* 25. *Martii pag.* 51. , & *seq.*

Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Angelorum in Parochialem denegatur *in Ravennaten. Dismembrationis* 5. *Aprilis ad I. dub. pag.* 75. , & *seq.*

Sed ad illam transferendus est ab alia Ecclesia Capellanus Curatus . *ibid. ad II. duo.*

Examinatorum mala non fuit relatio *in Feretrana Parochialis ad I. dub. pag.* 34. , & *seq.*

Expensæ litis fieri debent a Capitulo , non autem a singulis Canonicis . *Narnien. Juris Interessendi , & Votandi* S. *Februar. ad II. dub. pag.* 33 .

Solvendæ sunt ab Archipresbytero , & Canonicis , qui consenserunt liti . *Sabinen.* 31. *Maii ad III. dub. pag.* 105. , & *seq.*

Episcopo non sunt reficiendæ a Filio Benefactoris pro repositione in pristinum Altaris Majoris Ecclesiæ Cathedralis ; & Stemma ejus gentilitium in eodem est reponendum . *Bancorogien.* 29. *Novembris ad I. , & II. dub. pag.* 207. & *seq.*

Sacrarii providendæ sunt juxta Capitula 12. & 13. Statutorum, *Pisaurens. Missæ communis* 31. *Maii pag.* 101.

Utensilium Parochialium contribuendæ sunt ab omnibus , & singulis Canonicis Collegiatæ S. Michaelis Archangeli , non autem a solis Priore , & Sub-Priore animarum curam habentibus . *Firmana 6. Septembris ad III. dub. pag.* 191.

Ita tamen ut unusquisque contribuat pro rata suæ Congruæ . *Ibidem* .

Contribuendæ similiter sunt ab iisdem pro executione Rescripti Sac. Congreg. quoad remotionem , & expurgationem Sepulchrorum . *ibid. ad II. dub.*

Ultra summam Juliorum quinque non sunt erogandæ a Canonico Camerario sub quocumque pretextu absque resolutione Capitulari , uti iterum respondit Sac. Congreg. *ibid. ad II. dub. quoad VI.*

Utensilium Sacrorum , necnon necessariæ pro cultura bonorum , deducendæ sunt ex summa superextante pro celebratione Missarum ad ratam manualis . *Ariminen. Reductionis 6. Septembris pag.* 191.

F

Fabricæ Ecclesiæ Collegiatæ S. Michaelis Archangeli satis provisum est . *Pisaurens. Missæ communis* 31. *Maii pag.* 101.

Forma dotandi a Testatore præscripta omnino servanda est . *Romana Capellaniarum* 10. *Maii ad II. expl. pag.* 88. & *seq.*

Fructus Beneficii juxta peritiam faciendam integraliter erogari debent in celebrationem Missarum ad taxam perpetuæ . *Bononien. Dispensationis* 25. *Januar. ad II. dub. pag.* 28.

Functiones Parochiales. Vid. *Cantus. Synodalis.*

Funeribus Defunctorum invitatæ Confraternitates convenire tenentur in Ecclesiam Parochialem ad levandum Parochum . *Fanen. & Pisauren. Funerum* 21. *Junii pag.* 121.

G

Gratificatio Patrimonii constituti pro Clerico eo indigente ad S. Ordines faciendos , danda est favore Raphaelis Cignani . *Ravennaten. Patrimonii Sacri* 19. *Julii ad II. dub. pag.* 147. , & *seq.*

H

Hierosolymitana Religio . Vid. *Episcopus. Visitatio* .

Horas Canonicas in Choro exteriori Ecclesiæ , non autem in superiori quodam cubiculo , saltem diebus Festis , ac Mensibus æstivis , persolvendas esse denuo respondit Sac. Congreg. in *Firmana 6. Septemb. ad II. dub. quoad V. pag.* 191.

I

Incolæ Villæ Canutii obligationem emittere debent præstandi domum Capellano Curato . *Ravennaten. Dismembrationis* 5. *Aprilis ad II. dub. pag.* 75. , & *seq.*

Indultum abeundi . Vid. *Absentia Indultum* .

Irregularis declaratur Judæus ab annis quinque baptizatus . *Adrien. Irregularitatis* 31. *Maii ad I. dub. pag.* 102. , & *seq.*

A qua Irregularitate locus est dispensationi arbitrio Episcopi ad effectum suscipiendi S. Ordines . *ibid. ad II. dub.*

Vid. etiam *Dispensatio* .

Jubilationis denegatum Statut ob non præstitum continuum , & laudabile servitium per 40. annos . *Riminen. Jubilationis* 8. *Februarii pag.* 41. , & *seq.* , & *Placentina Jubilationis* 21. *Junii pag.* 129. & *seq.*

Judi-

Judicium Episcopi non fuit irrationabile in *Feretrana Parochialis 8. Februar. ad I. dub. pag. 34., & seq., & in Lunen., seu Sarzanen. Parochialis 5. Aprilis pag. 73., & 21. Junii pag. 121.*

Jus convocandi Capitulum. Vid. *Capitulum*.

Interessendi, & votandi Capitulis. Vid. *Beneficiati. Capitulum*.

K

KAlendarii separata impressio pro Ecclesia Tuscanen. ab Episcopo permissa, approbatur. *Viterbien.*, & *Tuscanen. 11. Januarii ad XIV. dub. pag. 1., & seq.*

Et in ejusdem separata impressione prænominatio competit utrique Ecclesiæ in suo. *ibid. ad XV. dub.*

L

LEgati Missarum applicatio. Vid. *Parochia. Restauratio*.

Litis expensæ. Vid. *Expensæ*.

M

MAssa communis confici debet inter Canonicos S. Michaelis Archangeli Oppidi S. Angeli ex omnibus reditibus provenientibus tam ex hæreditate de Rubeis, quam ex legato Corradi. *Pisauren. Massæ communis 25. Januar. ad II. dub. pag. 27.*

Matrimonii rati, & non consummati dispensatio confulitur Sanctissimo. *Januen. Matrimonii 16. Augusti ad II. dub. pag. 163., & seq.*

Et Statur in decisis in *eadem 6. Septemb. ad II. dub. pag. 189.*

Missarum applicatio. Vid. *Applicatio*.

Celebratio peragenda est pro intranti quantitate reditumm ad taxam perpetuæ. *Terracinen.*, & *Setina Reductionis 10. Maii pag. 89., & seq.*

Intermissio. Vid. *Restauratio*.

Numerus præfiniendus est ab Emo Archiepiscopo juxta Peritiam faciendam fructuum Beneficii, qui integraliter erogari debent in earum celebrationem ad taxam perpetuæ. *Bonnien. Dispensationis 25. Januar. ad II. dub. pag. 28.*

Numerus controversus præfinitur in *Anconitana 5. Aprilis pag. 74.*

Reductio. Vid. *Reductio*.

Translatio. Vid. *Translatio*.

N

NOminationi ad Patrimonium constitutum pro Clerico eodem indigente ad S. Ordines suscipiendos locum esse rescribitur, rejecta oppositione possessoris renuentis illud ad formam constitutionis dimittere. *Ravennaten. Patrimonii Sacri 19. Julii ad I. dub. pag. 147. & seq.*

O

OFficia Capitularia. Vid. *Capitularia officia*.

Officium Camerarii exerceri non potest a Substituto non Capitulari. *Sabinen. 31. Maii ad II. dub. pag. 105., & seq.*

Onerum suspensio. Vid. *Suspensio*.

Ordinario. Vid. *Episcopus*.

P

PArochi in Funeribus Parochianorum levari debent in suis Ecclesiis a Confraternitatibus iisdem invitatis. *Fanen.*, & *Pisauren. Funerum 21. Junii pag. 121.*

Parochia adjudicatur præfecto in tertio concursu jussu Sac. Congreg. indicto. *Feretrana Parochialis 8. Februarii ad II. dub. pag. 34., & seq.* Vid. etiam. *Episcopus*.

Non est dismembranda, ut erigatur Ecclesia B. M. V. Angelorum in novam Parochiam. *Ravennaten. Dismembrationis 5. Aprilis ad I. dub. pag. 75., & seq.*

Sed in ea apponendus est Capellanus Curatus. *ibid. ad II. dub.*

Nova erigenda est juxta votum Archiepiscopi. *Firmana Erectionis Parochiæ 15. Martii pag. 51., & seq.*

Parochiæ indigentiis ad occurrendum, cum petita fuerit legatorum applicatio, & unio, onerumque iisdem inhærentium reductio, rescribitur = *Ad D. Secretarium cum SSmo juxta mentem in Spoletana 3. Aprilis pag 73.* = *& Pro gratia, celebratis Missis 24. quolibet anno ad formam Testamenti, facto verbo cum SSmo in Tudertina 19. Julii pag. 152., & seq.*

Parochialis Ecclesiæ restauratio fieri debet per Populum & possidentes in districtu Parochiæ per æs, & libram. *Imolen. Restaurationis Ecclesiæ Parochialis 6. Septemb. pag. 192.*

Parochiales ædes. Vid. *Ædes*.

Parochiarum confinium præfinitio ab Episcopo facta in Sac. Visitatione, & a Sac. Congreg. approbata, denuo ab eadem approbatur cum Rescripto: *In decisis. Reatina Dismembrationis, & Juris decimandi 31. Maii ad I. dub. pag. 110. & seq.*

Patrimonii Sacri circa assignationem, eum refer-

reservatione usufructus, factam absque licentia Episcopi in augmentum dotis, rescripsit Sac. Congr. = *Non sustineri instrumentum . diei* 12. *Januarii* 1768. *quoad olivetum tantum: Sustineri autem instrumentum diei* 30. *Aprilis* 1768. *Tusculana* 10. *Maii pag.* 85.

Constituti pro Clerico eodem indigente ad S. Ordines suscipiendos, & donec de aliquo Beneficio provisus fuerit, vacationem declaravit Sac. Congr. contra oppositionem provisi de Parochia. *Ravennaten. Patrimonii sacri* 19. *Julii ad I. dub. pag.* 147., *& seq.*

Ejusdemque gratificationem dandam esse favore Raphaelis Cignani. *ibid. ad II. dub.*

Patroni Filio indulgenda est dispensatio ætatis ad assequendum Beneficium usque dum pervenerit ad legitimam ætatem. *Bononien. Dispensationis* 25. *Januar. ad I. dub. pag.* 28.

Stemma gentilitium apponendum est in Altari Majori juxta votum Episcopi. *Melevitana* 8. *Februar. pag.* 40. *& seq.*

Pontificalia. Vid. *Episcopus*.

Populus, & possidentes in districtu Parochiæ tenentur ad restaurationem Ecclesiæ Parochialis per æs, & libram *Imolen. Restaurationis Ecclesiæ Parochialis* 6. *Septembris pag.* 192.

Prænominatio. Vid. *Episcopus. Kalendarium*.

Punctaturæ in locum distributionum subrogatæ solvendæ sunt a Canonico, causa studiorum cum indulto, absente pro tertia parte tantum fructuum sui Canonicatus a die non interessentiæ Choro. *Eugubina Punctaturarum* 5. *Aprilis ad I. & II. dub. pag.* 74.

R

Reductio applicationis Missæ Conventualis conceditur ad dies Festos de præcepto tantum. *Albinganen. Reductionis Missæ Conventualis* 8. *Februarii pag.* 34.

Missarum indulgetur juxta votum Episcopi in *Senogallien. Reductionis* 10. *Maii pag.* 86., *& seq.* & in *Viterbien. ejusdem* 10. *Maii pag.* 91., *& seq.*

Denegatur in *Terracinen.*, *& Setina Reductionis* 10. *Maii pag.* 89., *& seq.*

Habita ratione ad reditus præsentes, pariter denegatur; Sed fieri debet singulis annis investimentum Sc. 12. 50. , ad reintegrandum Capitale Sc. 800., celebratis pro reliqua summa tot Missis ad ratam manualis, deductis utensilibus, & expensis necessariis pro cultura bonorum. *Ariminen. Reductionis* 6. *Septemb. pag.* 191.

Repositio Stemmatis gentilitii. Vid. *Stemma*.

Restauratio Campanilis. Vid. *Campanile*.

Ecclesiæ Parochialis. Vid. *Parochia. Populus*.

Restaurationi Oratorii, & Sacrarii applicari permittitur medietas summæ, quæ in celebrationem Missarum esset eroganda. *Bonomien.* 21. *Junii pag.* 122., *& seq.*

S

Sacrarii expensæ. Vid. *Expensæ*.

Sanatio Brevis Testatricis voluntatem immutantis SSmo non consulitur; Sed tantum Sanatio consulitur quoad summas in alios usus huc usque consumptas, firma remanente in posterum lege Testamenti. *Lisionen.* 29. *Novemb. pag.* 193. *& seq.*

Sequestrum ab Episcopo appositum in S. Visitatione Ecclesiæ non Parochialis spectantis ad S. Religionem Hierosolymitanam, non est servandum. *Nucerina Juris visitandi* 25. *Januar. ad II. dub. pag.* 28.

Synodus nec alternatim, nec separatim convocanda est pro Ecclesiis Viterbien., & Tuscanen. Sed arbitrio Episcopi. *Viterbien.*, *& Tuscanen.* 11. *Januarii ad I. dub. pag.* 1., *& seq.*

Synodo pro utraque Ecclesia indictæ intervenire tenentur Cleri earum convocati. *ibid. ad II. dub.*

Synodalis constitutionis observantia circa Sacramentales Confessiones excipiendas, aliasque Parochiales functiones per Canonicos Curatos explendas hora Divinorum Officiorum denuo præscribitur in *Firmana* 6. *Septemb. ad II. dub. quoad II. pag.* 191.

Sponsalia exequi non tenetur Sponsus; sed solvere debet Sponsæ sc. tercentum. *Forolivien. Sponsalium* 29. *Novembris ad I.*, *& II. dub. pag.* 198., *& seq.*

Statutum Ecclesiæ Collegiatæ, cum decretis approbationis Episcopi, transmittendum est, ut videatur particulariter de ejusdem examine. *Eugubina Punctaturarum* 5. *Aprilis ad II. dub. pag.* 74.

Stemma gentilitium Patroni apponendum est in Altari Majori juxta votum Episcopi. *Melevitana* 8. *Februarii pag.* 40., *& seq.*

Reponendum in Altari Majori Ecclesiæ Cathedralis, quod pro restauratione Chori amotum fuerat, absque expensis Filii Benefactoris. *Balneoregien.* 29. *Novembris ad I.*, *& II. dub. pag.* 207., *& seq.*

Subsidium dotale. Vid. *Dos*.

Suspensio ad sexennium omnium onerum Canonicatus indulgetur, ut reditus, qui supererunt celebrationi peragendæ annuæ in Missarum decem, erogentur pro recuperatione bonorum. *Montis Falisci Reductionis* 21. *Junii pag.* 128., *& seq.*

T

Taxæ perpetuæ ad rationem celebratio Missarum peragenda est in *Bononien. Dispensationis* 25. *Januarii ad II. dub. pag.* 28., & in *Terracinen.*, *& Setina Reductionis* 10. *Maii pag.* 89., *& seq.*

Translatio oneris Missarum denegatur in *Brixinien.* 8. *Februarii pag.* 34.

Factæ ad Ecclesiam Monialium S. Andreæ Montis Georgii sustinetur, recedendo a decisis. *Firmana Reportationis oneris Missarum* 15. *Martii pag.* 51.

V

VAcatio Patrimonii Sacri. Vid. *Patrimonium*.

VisitatioEcclesiarum non Parochialium spectantium ad S. Religionem Hierosolymitanam Episcopis non est licita. *Nucerina Juris Visitandi* 25. *Januarii ad I. dub. pag.* 28., & *Perusina Ejusdem. ibidem*.

Per eosdem Episcopos facta, non est attendenda. *Ibid. ad II. dub.*

Unio Parochialium Ecclesiarum ob Populi deficientiam, facta cum Rescripto Sac. Congr. Sede Episcopali vacante, sustinetur juxta votum Episcopi. *Nepesina Unionis* 29. *Novembris pag.* 206., & *seq.*

Legatorum Missarum Parochiæ. Vid. *Parochia*.

Voluntati Fundatoris obstans decretum Capituli non est confirmandum. *Pisauren.* 6. *Septemb. pag.* 190.

Voluntas Testatricis non immutari, sed in posterum firma remanere debet. *Lisbonen.* 29. *Novemb. pag.* 193. & *seq.*

Vid. etiam *Sanatio*.

Votandi jus. Vid. *Beneficiati*.

Utensilia Parochialia. Vid. *Expensæ*.

Sacra. Vid. *Reductio*.

FINIS.

INDEX CONCLUSIONUM,

Quæ adnotatæ fuerunt in foliis Causarum anni 1783.

A

Abesse a residentia ultra tres menses Canonicis non licet vigore cujuslibet Statuti, aut consuetudinis. *pag.* 43. §. *Ex assueta*. Vid. etiam *Vacatio*.

Abessendi indultum ob infirmitatem non denegatur. *pag.*44. §. *Caterum*.

Absens causa Studiorum lucratur fructus Præbendæ: *pag.* 69. §. *Honorius*.

Distributiones tamen quotidianas amittit, *pag.* 70. §. *Quamvis*.

Vel tertiam partem fructuum, si omnes in distributionibus consistant. *pag.*67. §. *Inter*. Vid. etiam *Punctaturæ*.

Administratio Massæ communis privativè spectat ad Canonicos. *pag.*22. §. *Advertit*. Vid. etiam *Beneficiati*.

Administratores Locorum piorum tenentur singulis annis rationem administrationis reddere Ordinario: *pag.*136. §. *Alterum*.

Nisi secus in fundatione cautum sit. *ibid.*

Rationem tamen reddendo Deputatis, illum adhibere debent: *ibid.*

Aliter factæ liberationes, ipsis non suffragantur. *ibid.*

Negligentes autem in adimplemento voluntatis Fundatoris, quamvis exempti, ab Ordinario compelli possunt ad rationem sibi reddendam. *pag.*137. §. *Licet*.

Ægrotanti debentur omnes fructus: *pag.*44. §. *Caterum*.

Conceduntur distributiones quotidianæ; *ibid.*

Denegantur tamen, si sanus a Choro abesse consueverit. *pag.*45. §. *Verum*.

Ætas quatuordecim annorum requiritur ad obtinendum Beneficium: *pag.*18. §. *Alexander*.

Et sufficit ad possidendum Canonicatum Ecclesiæ Collegiatæ *pag.* 107. §. *Clemens*.

Ætatis dispensatio concedi solet passivè vocato, & unico ex contemplata Familia: *pag.*18. §. *Sustinent*.

Et accedente consensu Patronorum, concessa fuit Pueris quatuor, quinque, & sex annorum. *ibid.*

Alienatio Patrimonii Sacri. Vid. *Patrimonium Sacrum*.

Quæcumque bonorum Ecclesiæ Beneficiatis vetita favore Consanguineorum. *pag.*215. §. *Habent*. Vid. etiam *Beneficiati*.

Appellatio ab irrationabili judicio Episcopi permissa; *pag.*37. §. *Ut autem*.

Sed intra decendium interponenda: §. *Post hæc*:.

In cujus gradu Sententia inniti debet solummodo probationibus ab Actis elictis, tam respectu doctrinæ, quam aliorum meritorum; §. *Accessit*.

Non admissis aliis post Concursum quæsitis. *ibid.*

Vid. etiam *Concursus*.

Applicatio Missarum volita censetur ex earum demandata celebratione. *pag.*19. §. *Hæc de*, & *pag.* 145. §. *Ferrarius*.

Et pro applicatione respondit Sac. Congr. *pag.*19. §. *Hanc.*, & *seq.*

Quandoque tamen ab hac regula recedendum esse existimant Doctores. *pag.* 145. §. *Ferrarius*.

Missæ Conventualis quotidie pro Benefactoribus fieri debet in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis: *pag.*25. §. *Certum*.

Nisi ob Præbendarum tenuitatem obtineantur a Sac. Congr. reductio ad dies Festos. *ibid.*

Fieri verò non debet in Ecclesiis, quæ non sunt Collegiatæ, quamvis in illis Horæ Canonicæ quotidie persolvantur, & Missa cantetur. *pag.*49. §. *Advertit*.

Augmentum Congruæ. Vid. *Congrua*.

Legati. Vid. *Legatum*.

B

Beneficia simplicia non requirunt Ordines Sacros: pag.97. §. *Hæc de*.

Nisi in fundatione cautum fuerit. *ibid.*

Obtineri nequeunt ante ætatem quatuordecim annorum. *pag.*18. §. *Alexander*.

Unius Diœcesis ad aliam non sunt transferenda. *pag.*31. §. *Nec obesse*.

Quoad unionem. Vid. *Unio*.

Beneficii Status præscribi potest. *pagin.* 97. §. *Sanè*.

Beneficiatus ægrotans, aut legitimè impeditus, an eximatur ab obligatione celebrandi per alium? *pag.*6. §. *Cum autem.*, & *seq.*

Benefi-

Beneficiati non comprehenduntur sub nomine Capituli: *pag.* 22. §. *Glossa*.

Non habent jus eidem interessendi, & ferendi suffragium: *pag.* 21. §. *Qui*.

Nec ipsis reddenda est ratio administrationis Massæ communis. *pag.* 22. §. *Advertit*.

Quandonam autem cum Canonicis ad illius administrationem veniant admittendi? *ibid.*

Beneficiatis prohibita est quæcumque alienatio bonorum Ecclesiæ favore Consanguineorum. *pag.* 215. §. *Habent*.

Beneficiati Urbis non possunt concedere neque in Emphyteusim, neque locationis titulo bona suorum Beneficiorum Consanguineis, vel Affinibus usque ad tertium gradum inclusivè. *ibid.*

Bona fides neminem excusat a solutione proprii debiti. *pag.* 68. §. *Ad II.*

Breve Apostolicum non est contradicendum, nisi obtenta prius oris aperitione. *pag.* 197. §. *Tandem*.

C

Camerarii officium personalem residentiam, & assistentiam requirit. *pag.* 106. §. *Ad I. inquit*.

Et ad illud eligendus est unus de gremio Capituli. §. *Ad II.*

Campanilis restauratio. Vid. *Restauratio turris*.

Canonicatus Collegiatarum obtineri possunt in ætate quatuordecim annorum. *pag.* 107. §. *Clemens*.

Canonici abesse non possunt vigore cujuslibet Statuti, aut consuetudinis ultra tres Menses. *pag.* 43. §. *Ex assueta*.

Residere tenentur in loco Beneficii, ut fructus lucrentur: *pag.* 68. §. *Nec obesse*.

Et interesse Choro, ut distributiones percipiant. *ibid.*

Tenentur quotidie celebrare, & applicare Missam Conventualem pro Benefactoribus. *pag.* 25. §. *Certum*, & *pag.* 49. §. *Canonici*.

Vid. etiam *Applicatio*.

Habent administrationem privativam Massæ communis: *pag.* 22. §. *Advertit*.

Nec ejusdem rationem reddere debent Beneficiatis. *ibid.*

Sacris non initiati, carent voce in Capitulo, *pag.* 107. §. *Clemens*.

Quæ nequidem ab aliis liberè ipsis concedi potest; *ibid.*

Nec præscriptione acquiri. §. *Ex mente*.

An etiam voce passiva careant, ita ut ad nullum officium eligi possint, controvertitur. *pag.* 108. §. *Disputant*.

Super ætate dispensatis ad obtinendum Canonicatum in Cathedralibus competere vocem in Capitulo respondit Sac. Congreg. §. *Sustinet*.

Ægrotantes, aut legitimè impediti constituere possunt Procuratorem ad ferendum Suffragium in Capitulo. *pag.* 109. §. *Quod attinet*.

Nedum in electionibus, verum etiam in aliis negotiis Capitularibus; *ibid.*

Dummodo Procurator sit de gremio Capituli. *ibid.*

Capellania non requirit Ordines Sacros; *pag.* 97. §. *Hæc*.

Nisi Fundator præscripserit, *ibid.*

Quibus verbis dignoscatur præscripsisse? *ibid.*

Quando est Sacerdotalis, nominandus est ad illam Presbyter actu, vel habitu. *ibid.*

Erigi non potest ab Ordinario in Beneficium Ecclesiasticum; *pag.* 95. §. *Clemens*.

Etiam de consensu Patroni, qui illius reditus auxerit. *ibid.*

Mutari tamen in illud potest præscriptione quadragenaria. *pag.* 97. §. *Sanè*.

Capitulum constituunt soli Canonici. *pag.* 21. §. *Qui Canonicorum*.

Capituli nomine non comprehenduntur Beneficiati. *pag.* 22. §. *Glossa*. Vid. etiam *Beneficiati, Canonici*.

Capituli interest ne ejus secreta patefiant, *pag.* 109. §. *Quod*.

Hinc Procurator Absentis debet esse de ejus gremio. *ibid.*

Clausula *sublata* cum Decreto irritanti inficit quamcumque observantiam in contrarium. *pag.* 9. §. *Nec obesse*.

Coactiones difficiles solent frequenter habere exitus. *pag.* 205. §. *Quando*.

Coadjutor non potest exercere officia Capituli pro Coadjuto; *pag.* 106. §. *Ad II.*

Nec Capitulis interesse, nisi in Litteris Coadjutoriæ explicitè exprimatur, & concedatur. *pag.* 109. §. *Quod*.

Collegiata quomodo dignoscatur? *pag.* 49. §. *Advertit*.

Illius erectio fo'ius Sedis Apostolicæ auctoritate fieri debet. *ibid.*

Facta namque per Episcopum non sustinetur. *ibid.*

Commutatio voluntatum. Vid. *Voluntates*.

Concursus indicendus est ad vacantem Parochialem; *pag.* 36. §. *Sacrorum*.

In quo de singulorum concurrentium meritis, & doctrina diligenter inquirendum est. *ibid.*

Et Episcopi constituti sunt judices ad digniorem eligendum. *pag.* 60. §. *Contendit*.

Pro digniore tamen non habendus doctior, *pag.* 38. §. *Consonant*.

Nisi cum doctrina concurrant probati mores, & prudentia. §. *Verum*.

Pro recto judicio Episcopi militat præsumptio; *pag.* 60. §. *Despiciendum*.

Quod ut irrationabile dicatur, deprehendi debet, tanta meritorum inæqualitas, ut manifestum excessum inducat. *pag.* 58. §. *Consonant*.

Hinc hujusmodi querelæ passim a Sac. Cong. rejectæ : *pag.* 39. §. *Hinc*.

Quandoque admissæ. §. *At iustis*. Vid. etiam *Appellatio ab irrationabili*.

Congrua Parochi in ea quantitate statuenda, est, quæ prò Parochiæ, ac Rectoris necessitate decenter sufficiat. *pag.* 148. §. *Post hæc*.

Hujusmodi quantitas non ubique in eadem summa præfiniri debet, sed habendæ est ratio ad locorum qualitates. *ibid.*

Non debet esse major Centum, nec minor quinquaginta scutorum. *pag.* 180. §. *Perperam* ; & *pag.* 187. §. *Quod a*.

Computatis omnibus, etiam incertis emolumentis, & obventionibus communiter percipi solitis. *ibid.*

Ut sunt decimæ, & aliæ obventiones, quæ solum ratione summæ sunt incertæ. §. *In constituendo*.

Non computatis tamen emolumentis Altaris, Funerum ; & similium, quæ omninò incerta sunt. *ibid.*

Et debetur ab iis, penes quos residet Cura habitualis Parochiæ, aut jusparronatus. *pag.* 185. §. *Probata*.

Tam Vicariis perpetuis, quam amovibilibus. *pag.* 184. §. *Parochus*, & *pag.* 187. §. *Quæ de*.

Si deficiat, assignari debet non obstante quacumque contraria consuetudine. *pag.* 184. §. *Parochus*.

Semel sufficienter assignata, augeri non debet, nisi superveniat notabilis diminutio. *pag.* 187. §. *Quæ de*.

Congruæ ad S. Ordines suscipiendos requisitæ inter reditus, an computanda, seu detrahenda sit stipes respondens numero Missarum Beneficio adnexarum? *pag.* 8. §. *Docet*.

Consuetudo abeundi a residentia ultrà tres Menses a S. C. Trident. sublata ; *pag.* 43. §. *Ex assuetæ*.

Præservata tamen illa, quæ longius servitii tempus requirit. *ibid.*

Spectanda in reparatione Ecclesiarum, & turrium *pag.* 83. §. *Qui*. & *pag.* 181. §. *Advertit*.

Immemorabilis facit præsumere auctoritatem Episcopi lite pendente. *pag.* 9. §. *Episcopus*.

Contradictor illegitimus a limine judicii repellendus. *pag.* 99. §. *Contra*.

Convocatione legitimè facta, sustinentur gesta a minore parte interessente. §. *Nec dici*.

Culpa Legatarii. Vid. *Legatarius*.

Cumulus dotium. Vid. *Dotes*.

Curata Beneficia. Vid. *Visitatio*. *Unio*.

Curæ Animarum quis præficiendus? *pag.* 36. §. *Sacrorum*.

D

Decimæ debentur Parochis ratione administrationis Sacramentorum. *pag.* 113. §. *Hæc de*.

Aliæ sunt prædiales, aliæ personales. *ibid.*

Cuinam hujusmodi decimæ solvendæ? *ibid.*

Defectus formæ. Vid. *Forma*.

Jurisdictionis. Vid. *Jurisdictio*.

Dismembratio Parochiæ. Vid. *Parochiæ erectio*.

Dispensatio ætatis. Vid. *Ætatis dispensatio*.

Ab irregularitate. Vid. *Irregularitas*.

Distributiones quotidianæ nonnisi ab interessentibus Choro percipiendæ. *pag.* 70. §. *Quamvis*

Ægrotanti tamen concedendæ. *pag.* 44. §. *Cæterum*.

Sed ei denegandæ, si sanus a Choro abesse consueverit. *pag.* 45. §. *Verùm*.

Amittendæ ab absentibus causa studiorum. *pag.* 70. §. *Quamvis*, Vid etiam *Punctaturæ*.

Ut augerentur, nonnulla Missarum onera reducta fuerunt. *pag.* 64. §. *Plura*.

Docentes S. Litteras in Scholis publicis, percipere debent in absentia fructus Præbendarum. *pag.* 69. §. *Honorius*.

Dotium in collatione, nedum Consanguineæ extraneis præferuntur ; *pag.* 155. §. *Sac. Cong.*

Verùm etiam earum favore cumulus fieri quandoque conceditur. *ibid.*

Et in illo statuendo, semper attenditur paupertas, & conjunctio cum Testatore in eo gradu, qui majorem affectionem præsumeret. *ibid.*

Post contractum Matrimonium dos, aut cumulus an concedatur? §. *Videndum*.

E

Ecclesia Collegiata. Vid. *Collegiata*.

Ecclesiæ restauratio. Vid. *Restauratio*.

Eleemosina Missarum an computari debeat inter reditus congruæ ad Patrimonium Sacrum requisitæ? *pag.* 7. §. *Contra*.

Eleemosinæ plures prò una Missa nequeunt accipi. *pag.* 144. §. *Infinitus*. Vid. etiam *Missa*.

Emolumentorum incertorum nomine, quænam veniant? *pag.* 187. §. *In constituenda*.

Episcopus omnium piarum dispositionum est executor : *pag.* 136. §. *Clemens*.

Sed minimè potest eas invertere. *pag.* 95. §. *Clemens*.

Hinc nequit erigere Capellaniam in Beneficio

neficium Ecclesiasticum. *ibid.*

Etiam consentiente Patrono, qui reditus auxerit. *ibid.*

Parochiarum divisionem, & separationem facere debet, certis limitibus ac perpetuo Parocho assignatis. *pag.* 113. §. *In Congregatione.*

Titulo Patrimonii, aut Pensionis neminem tenetur ordinare. *pag.*6. §. *Ne Ministri.*

In quacumque alienatione Patrimonii Sacri, ejus licentia debet intervenire. *pag.*80. §.*Concilium.*

Quoad collationem Parochialium. Vid. *Appellatio ab irrationabili. Concursus.*

Quoad Ordinandos. Vid. *Ordinari.*

Quoad rationes exigendas ab Administratoribus Locorum Piorum. Vid. *Administratores.*

Quoad unionem, visitationem. Vid. *Unio. Visitatio.*

Erectio novæ Parochiæ. Vid. *Parochiæ novæ erectio.*

Expensæ repeti possunt ab eo, qui gessit rem utilem. *pag* 208. §.*Ad* 1. *inquit.*

Litis subeundæ indistinctè ab omnibus Canonicis, cùm agitur de tuendo jure totius Capituli, & lis evidenti calumniæ nota caret. *pag.*22. §.*Ad* 11.

Reficiendæ ab iis, qui liti causam dederunt *pag.*106. §.*Ad* 111.

F

FIdes non est præstanda deponenti ad proprium commodum. *pag.* 172. §. *At revera.*

Formæ substantialis defectus ipso jure irritat actum. *pag.*79. §. *Nec judicia.*

Fructus Præbendarum debentur docentibus & studentibus in scholis publicis. *pag.* 69. §.*Honorius.*

Funeribus interessentes tenentur ad observantiam legis vigentis in Diœcesi, in qua funera ducuntur: *pag.*115. §. *Perperam.*

Et convenire in Ecclesiam Parochialem, vel aliam juxtà Loci consuetudinem. §. *In Rituali.*

Nec possunt expectare per viam, vel ad domum Defuncti. *ibid.*

Idque etiam a Regularibus observandum est, quamvis cadavera in eorum Ecclesiis tumulari debeant; *ibid.*

Uti responsum fuit in *Volaterrana*, & in *Tranen. pag.*116. §. *Sac. hæc.*

G

GRatia per obreptionem, aut subreptionem obtenta irrita est: *pag.*198. §. *Ceroum.*

Etiamsi reticentia veri, aut expositio falsi ex ignorantia, vel simplicitate processerit. *ibid.*

Gratuito merè actu gesta retorqueri non debent contrà agentem. *pag.*83. §. *Perperamque.*

H

HÆres non tenetur ad supplementum redituum legati taxativè concepti. *pag.* 90. §. *Testator.*

Hierosolymitanus Ordo. Vid. *Visitatio.*

Hospitalia. Vid. *Administratores. Visitatio.*

I

IMpeditus. Vid. *Beneficiatus. Canonicus.*

Indultum abessendi ob infirmitatem, & lucrandi distributiones quotidianas denegari non solet. *pag.*44. §. *Caterum.* Vid. etiam *Ægrotans.*

Jubilationis conceditur post continuum, & laudabile servitium quadraginta annorum *pag.*43 §. *Ex assueta.*

Denegatur, & concessum revocatur, quoties servitium *vel* discontinuum, vel parùm laudabile fuisse comperitur. *pag.*44. §. *Observat.*

Interpretatio facienda contrà eum, qui legem dicere potuit apertiùs. *pag.*19. §. *Hæc de.*

Irrationabile judicium Episcopi. Vid. *Appellatio Concursus.*

Irregulares an sint descendentes ab Infidelibus. *pag.*103. §. *Ex his: & seq.*

Irregulares fiunt mutilantes membrum aliquod principale. *pag.*132. §.*Hac in.*

Irregularitatis dispensatio ad cautelam peti debet ab abscindente digitum pollicem. *ibid.*

Jura non respiciunt ad casus infrequentes. *p.*7. §. *Contrà.*

Juramentum non debet esse vinculum iniquitatis. *pag.*199. §.*Hisce.*

Jure proprio venientibus nullum præjudicium infertur ex facto Prædecessorum. *pag.*184. §. *Parochus.*

Jurisdictionis ex defectu circumscribendum est sequestrum. *pag.*9. §. *Nec obesse.*

Juspatronatus. Vid. *Patronatus*

L

LEgati ob augmentum licitum non est variare leges in fundatione præscriptas. *pag.*95. §.*Clemens.*

Taxativè concepti deficientibus reditibus, hæres non tenetur ad supplementum; *pag.*90. §.*Testator.*

Sed reduci debent onera. *ibid.*

Legatarii culpa si bona perierint, non cessat obligatio iisdem infixa. *pag.*92. §. *Inter.*

Secùs verò si citrà ipsius culpam *ibid.*

Leges in fundationibus præscriptæ non sunt invertendæ. *pag.* 95. §. *Clemens*.

Condere, liberum est unicuique Sodalitio, novasque addere ad suum regimen aptas, & utiles. *pag.* 99. §. *Nec dici*.

Litis expensæ. Vid. *Expensæ litis*.

Loca Pia. Vid. *Administratores*. *Visitatio*.

Locatio bonorum Ecclesiæ. Vid. *Beneficiati*.

M

MAssæ communis administratio. Vid. *Administratio Massæ communis*.

Matrimonium ex sua natura indissolubile, dissolvitur, Si Vir ad illius consummationem sit impotens: *pag.* 173. §. *Matrimonium*.

Impotentia perpetua & insanabilis. *ibid.*

Et Mulier reclamet, dissolutionemque petat. *ibid.*

Si verò impotentia Sit invisibilis, verificanda est per probationes à jure præscriptas. *pag.* 164. §. *Ad* 1.

Et triennali cohabitatione completa, Mulierisque virginitate probata, judicium de Matrimonii nullitate ferendum est. *ibid.*

A quo die computanda, & quomodo currere debeat triennalis cohabitatio. *pag.* 165. §. *Ad infringendum*., *& seq.*, *& pag.* 175. §. *Ad triennalem*.

Si Vir juramento Matrimonii consummationem affirmet, Mulier verò neget, Viro fides præstanda est: *pag.* 174. §. *Ut autem*.

Nisi Mulier per inspectionem sui corporis se adhùc Virginem probaverit. §. *Verùm*.

Inspectio corporis Mulieris quomodò per Obstetrices peragenda *pag.* 166. §. *Post hæc*., *& seq.*

Debent illæ esse Matronæ bonæ opinionis, fide dignæ, ac in opere nuptiali expertæ. *pag.* 174. §. *Cum autem*.

Reprobata est opinio quod earum oculi, & manus sæpè falluntur. *pag.* 166. §. *Antiquatam*.

In recognitione corporis Mulieris adhibiti quandoquè fuerunt Periti. §. *Attentum*., *& pag.* 171. §. *Non inficiatur*.

Serotina reclamatio gravem suspicionem inducit: *pag.* 169. §. *Defensor*.

Deberet namque fieri post mensem, aut duos. §. *Addit*., *& pag.* 173. §. *Matrimonium*.

Reluctantia pariter Viri sese subjiciendi recognitioni sui corporis, vehemens præbet impotentiæ argumentum. *pag.* 164. §. *Ad* 1.

Eo casu quæ sit mens Sacræ Cong.? *pag.* 175. §. *Quæ fuerit*.

Juramentum septimæ manus Propinquorum quid, & quando importet. *pag.* 170. §. *Ad eludendam*.

Validitas Matrimonii nequidem infringi potest ex expressa Conjugum confessione super alteruttius impotentia: *pag.* 172. §. *Perperam*.

Nisi intimùl probetur impotentiam esse perpetuam, & insanabilem. *ibid.*

Matrimonium ratum, & non consummatum, ùt auctoritate Summi Pontificis dissolvatur, etiam reluctante altero ex Conjugibus, quænam probationes non secutæ consummationis, & causæ adesse debeant? *pag.* 168. §. *Ex his*, *& seq.*, *& pag.* 175. §. *Matrimonium*.

Matrimonia sine consensu Parentum inita, valida sunt, sed illicita. *pag.* 199. §. *Ad* 1.

Quænam jure indigna censeantur, Judicis arbitrio, & prudentiæ judicandum relinquitur. *pag.* 203. §. *Hunc*.

Missa Conventualis quotidiè celebrari, & applicari débet à Canonicis Cathedralium, & Collegiatarum prò Benefactoribus *pag.* 25. §. *Certum*, *& pag.* 49. §. *Canonici*. Vid. etiam. *Applicatio*.

Secunda, aut tertia applicari quoque debet prò Benefactoribus in genere, ubi viget consuetudo: *pag.* 146. §. *Cum autem*.

Ubi verò consuetudo non viget, libera relinquitur celebrantibus applicatio. *ibid.*

Missa quandò a Beneficiato applicanda prò Beneficii Fundatore, licet non sit expressum? *pag.* 145. §. *Ferrarius*.

Missæ valor est infinitus; Sed finita ejus applicatio: *pag.* 144. §. *Infinitus*.

Hinc prò una Missa non licet plures eleemosinas accipere, & pluribus oneribus satisfacere. *ibid.*

Accipi potest eleemosina prò applicatione ab eo, qui ad solam celebrationem tenetur, non autem ad applicationem. *ibid.*

Missarum celebratio excellentior est servitio Chori. *pag.* 87. §. *Redituum*.

Ex celebratione plus suffragii consequuntur Animæ Defunctorum, quam ex aliis piis operibus. *ibid.*

Onera. Vid. *Onera Missarum*.

Reductio. Vid. *Reductio Missarum*.

Translatio. Vid. *Translatio*.

Mutilatio alicujus membri principalis, uti manus, pedis, brachii, auris, & similium inducit Irregularitatem *pag.* 132. §. *Hæc in*.

Occisioni namquè æquiparatur. *ibid.*

Mutilatio non est abscissio digiti, excussio dentis: *ibid.*

Ob abscissionem tamen digiti pollicis, aut indicis petenda est dispensatio ad cautelam. *ibid.*

N

NEcessitas Ecclesiæ est justa causa unionis. *pag.* 59. §. *Justa*.

Quandonam autem intercedat? *ibid.*

Neophyti non sunt ordinandi; *pag.* 102. §. *Nemmem*, *& seq.*

Nisi antea certum vitæ testimonium de-

derint. *pag.*104. §. *Verùm*.

Quantum temporis decurrere debeat, ut hoc testimonium præbeant? diversa est Doctorum Sententia. *ibid.*

O

OBreptio gratiam reddit irritam, etiamsi ex ignorantia, vel simplicitate processerit. *pag.*198. §. *Certum*.

Obstetrices. Vid. *Matrimonium*.

Onera Missarum reducta fuerunt, ùt augeantur distributiones quotidianæ. *pag.* 64. §. *Plura*.

An detrahenda in computandis reditibus prò congrua ajuxtà taxamSynodalem requisita ad S. Ordines suscipiendos? *pag.*6. §. *Cum autem, & seq.*

Delenda, si bona legata perierint citrà culpam Legatarii; *pag.*92. §. *Inter*.

Nequaquam tamen, si culpa sua defecerint. *ibid.*

Ordinarii Locorum. Vid. *Episcopus*. *Visitatio*. *Unio*.

Ordinari non debet Clericus Sæcularis, nisi priùs legitimè constet possidere Beneficium ad victum sufficiens. *pag.* 6. §. *Ne Ministri*.

Titulo Patrimonii, aut Pensionis non debent, nisi ii, quos Episcopus judicaverit Ecclesiæ necessarios, vel utiles. *ibid.*, & *pag.* 80. §. *Concilium*.

Perspecto priùs Patrimonium, vel Pensionem verè ab iis obtineri, & ad vitam sustentandam sufficere. *ibid.*

Ad quem effectum potest Episcopus in sua Synodo præfinire quantitatem proventuum, qui censeantur sufficientes: *pag.* 8. §. *Docet*.

Necnon statuere nùm inter hujusmodi proventus numeranda, aùt detrahenda sit stipes respondens numero Missarum Beneficiis adnexarum *ibid.*

Oris aperitio necessaria, ùt contrà Breve Apostolicum jus dicatur. *pag.*197. §. *Tandem*.

P

PArentum dissensus. Vid. *Matrimonium*. *Sponsalia*.

Parochia summam sc.100. non excedens, non debet gravari Pensione. *pag.* 148. §. *Post hæc*.

Parochiæ novæ erectio a jure permissa ob distantiam, vel difficilem accessum ad Parochialem. *pag.*76. §. *Alexander*.

Etiam invito Rectore; *ibid.*

Reservato tamen eidem jure præsentandi Parochum. *ibid.*

Necnon competente honore Matrici Ecclesiæ. *ibid.*

Pró forma substantiali novæ erectionis, non requiritur quod Parochiani absque Sacramentis quandoquè decesserint; *pag.* 75. §. *Perperam*.

Sed sufficit distantia Loci finè difficultate; & vice versa difficultas finè distantia. *pag.*76. §. *Hanc*.

Qualis esse debeat Loci distantia, vel difficilis accessus, Jure non statuitur; sed relinquitur Judicis arbitrio. *ibid.*

Justa, & rationabili concurrente causa, Parochiarum erectiones a S. Cong. admissæ; *pag.*77. §. *Sac. Cong.*

Deficiente verò, & præsertim si necessitati satis consultum sit ope Vice-Parochi, semper denegatæ *ibid.*

Parochiæ indigentiis quomodò occurrendum? *pag.*64. §. *Plura*.

Parochiarum divisio, & separatio fieri debet, certis limitibus, Populo, ac perpetuo Parocho assignatis. *pag.*113. §. *In Congregatione*.

Parochialium Ecclesiarum pluralitas prohibita. *pag.*90. *Verùm*.

Restauratio. Vid. *Restauratio*.

Visitatio. Vid. *Visitatio*.

Unio. Vid. *Unio*.

Parochus perpetuus, ac peculiaris unicuique Populo assignandus. *pag.*113. §. *In Congreg.*

Levandus in Ecclesia Parochiali etiam à Regularibus interessentibus funeribus suorum Parochianorum. *pag.*116. §. *Sacra hæc*.

Non tenetur ad restaurationem Ecclesiæ, nisi ex fructibus, qui superfunt congruæ sustentationi. *pag.*181. §. *Advertit*.

Decimas debet habere ratione administrationis Sacramentorum. *pag.* 113. §. *Hæc de*.

Parochiani subsidiariè tenentur ad restaurationem Ecclesiæ. *pag.*181. §. *Concilium*. Vid. etiam *Restauratio*.

Patrimonium Sacrum sinè licentia Episcopi, alienari, extingui, vel remitti nullatenùs potest. *pag.*80. *Concilium*.

Quæcumque alienatio, inscio Episcopo, est ipso jure nulla, *ibid.*

Etiamsi ordinatus de Beneficio fuerit provisus, *ibid.*

Vel aliunde se sustentare valeret, *pag.*81. §. *Denique*.

Uti est illius Donatio, reservato quamvis usufructu, *pag.*80. §. *Sæpè*.

Concessio in Emphyteusim perpetuam, cùm reservatione annui Canonis fructibus respondentis. *ibid.*

Renuntiatio post assecutionem Beneficii ad vitam Sufficientis. *ibid.*

Obligatio, & fidejussio. *pag.*81. §. *Juxta*.

Patrimonii, vel Pensionis titulo ordinandi solùm sunt ij, quos Episcopus judicaverit Ecclesiæ

clesiæ necessarios, vel utiles. *pag.6. §. Ne Ministri. & pag.80. §. Concilium.* Vid. *etiam Ordinari.*

Patronatus acquiritur fundatione, constructione, aut dotatione. *pag.208. §. Multoque.*

Interveniente assensu Ordinarii. *pag.209. §. Clemens.*

De Ecclesiarum patronatu statuta, locum etiam habent quoad Capellas. *ibid.*

Patrono manutentio, ac reædificatio incumbit, etiamsi onus illud explicite non assumpserit, *pag.209. §. Contrà & § Clemens.*

Si dos, quæ ab initio fundationis debet conferri, prò manutentione non sufficiat; *ibid.*

Cùm hujusmodi obligatio Patronatui sit infixa. *ibid.*

Præfiniendus est terminus ad restaurationes faciendas: *pag.210. §. Pignatellus.*

Et post ternam monitionem, in Ordinarii facultate est Capellas, & Altaria destruere, vel aliis concedere. *ibid.*

Patronus Capellæ, quandò Ecclesia est reparanda, vel reædificanda, ad quas expensas teneatur? *§. Existimat.*

Non potest obtinere ab Ordinario erectionem Capellaniæ in Beneficium Ecclesiasticum, ob adauctos per ipsum reditus. *pag.95. §. Clemens.*

Præscribi potest status Beneficii, vel Capellaniæ. *pag.97. §. Sanè.*

Præsumptio militat prò recto judicio Episcopi. *pag.38. §. Consonant.*

Probatio haberi nequit major, & efficacior propria Scriptura. *pag.319. §. Notat.*

Procurator Absentis debet esse de gremio Capituli. *pag.109. §. Quod attinet.*

Punctaturas in locum distributionum subrogatas solvendas esse ab Absente causa studiorum ex tertia parte fructuum respondit Sac. Cong in *Nullius Farfen. pag.70. §. Cùm tamen.*

Q

QUalitas Beneficii, vel Capellaniæ quibus verbis dignoscatur? *pag. 97. §. Hæc de.*

R

RAtio administrationis. Vid. *Administratores. Canonici.*

Reductio applicationis Missæ Conventualis ad dies Festos conceditur ob Præbendarum tenuitatem. *pag.25. §. Et revera.*

Oneris Missarum concessa fuit, ut augerentur distributiones quotidianæ. *pag.64. §. Plura.*

Reductionis onerum Missarum justam, & rationabilem præbet causam imminutio redituum, *pag.87. §. Redituum.*

Dùm legatum est taxativè conceptum; *pag.90. §. Testator.*

Nisi reditus, qui supersunt, onerum adimplemento sufficiant: *pag.9[illegible]. §. Inter.*

Regula est potiùs reducenda esse alia onera pia, quam illa Missarum. *pag. 128. §. Habent.*

Receditur tamen ab hac regula, si Testatoris voluntas contraria dignoscatur. *pag.87. §. Redituum.*

Reductio oneris Chori, simùl & Missarum a S. Cong. fuit concessa: *§. Sac. Cong.*

Imò solius Missæ quotidianæ ad rationem perpetuæ, firmo remanente onere audiendi Confessiones. *§. In Aquen.*

Residere in loco Beneficii tenentur Canonici, ut fructus præbendæ lucrentur, *pag.68. §. Nec obesse.*

Ad minùs novem Menses. *pag.43. §. Ex assueta.*

Restauratio Ecclesiæ Cathedralis fierì debet ex quarta parte redituum Mensæ. *pag. 208. §. Ad 1. inquit.*

Parochialis ex reditibus fabricæ. *pag. 82. §. Qui. & pag.181. §. Concilium.*

Et iis non sufficientibus, adigi deben omnes Patroni, aliique, qui fructus aliquos ex Ecclesia percipiunt: *ibid.*

Et in illorum defectum, Parochiani, *ibid.*

Ac etiam ii, qui bona intrà fines Parpchiæ possident, licet extrà illam domicilium habeant. *pag.181. §. Advertit.*

Nisi diversa inducta, & spectanda consuetudo hunc ordinem invertat, & onus illud alteri imponat. *pag.82. §. Qui, & pag.181. §. Advertit.*

Parochus restaurationi impendere debet solos fructus, qui congruæ sustentationi supersunt. *ibid.*

Restauratio turris campanarum cui incumbat? Jus non statuit. *pag.82. §. Qui.*

Fieri debet ab iis, quibus Statutum; vel consuetudo hujusmodi onus imposuit. *ibid.*

Capellæ incumbit Patrono, si dos assignata non sufficiat. *pag.209. §. Clemens.*

Restaurationi necessariæ Ecclesiarum exemptarum ab Ordinario in S. Visitatione providendum opportunis Juris remediis. *pag.10. §. Ex dispositione.*

S

SAcerdotalis qualitas Beneficii, aut Capellaniæ quibus verbis innotescat? *pag. 97. §. Hæc de.*

Sacerdotale si sit Beneficium, aut Capellania, nominandus est Presbyter, vel Clericus, qui infrà annum ad Presbyteratum promoveri possit. *ibid.*

Seri-

Scriptura propria probatio major, & efficacior haberi nequit. *pag.*119. §. *Notat*.
Sequestrum ex defectu Jurisdictionis circumscribendum. *pag.*6. §. *Nec obesse*.
Sponsalia insitam habent implicitam conditionem: *Si res in eodem statu permaneat. pag.* 199. §. *Ad* 1.
Nedùm mutuo Contrahentium consensu dissolvuntur, *pag.*202. §. *Sponsalia*.
Verùm etiam unus, licet alter dissentiat, potest ab iis resilire, si justa causa subsit. *ibid.*
Uti est Parentum dissensus. *ibid.*
Etiam jurata, dùm ex eorum adimplemento damna timeri possunt, vel non obligant, vel sunt omninò dissolvenda. *ibid.*
Sponsalium Filiorum-Familias dissolutioni, num dissensus Viduæ Matris sufficiat? §. *Dubium*.
Executionem, justa concurrente causa, denegavit Sac. Cong., licet alter ex Contrahentibus, adimplementum urgeret. *pag.* 204. §. *Sac. Cong.*
Deficiente verò causa, executionem demandavit. *ibid.*
Vir renuens absque causa Sponsalia exequi, compellendus est per Ecclesiasticas Censuras. *pag.*205. §. *Quando*.
Mulier autem monenda est potiùs, quam cogenda. *ibid.*
Status Beneficii, vel Capellaniæ præscribi potest. *pag.*97. §. *Sanè*.
Statutum. Vid. *Consuetudo*.
Studentes Sacris Litteris in Schola publica, percipere debent in absentia fructus. *pag.*69. §. *Honorius*.
Successoribus jure proprio venientibus nullum præjudicium inferunt acta Prædecessorum. *pag.*184. §. *Parochus*.
Subreptio gratiam reddit irritam. *pag.* 193. §. *Certum*.
Suffragium ferendi jus. Vid. *Beneficiati*, *Canonici*.
Suffragium majus consequuntur animæ Defunctorum ex Missarum celebratione, quam ex aliis piis operibus: *pag.*87. §. *Redituum*.
Et illud habetur, quocumque in loco Missæ celebrentur. *pag.*30. §. *Inquit*.

T

TEstamenti ad pias causas validitas Jure Canonico, non Cæsareo judicanda; *pag.*119. §. *Alexander*.
Ad quam præsentia Testium non est necessaria: §. *Notas*.
Sed solùm ut de voluntate Testatoris plenè constet: *ibid.*
Eorum namque defectus per æquipollens suppleri potest: *ibid.*
Nempe per Schedulam ab ipso Testatore vel Scriptam, vel subscriptam. *ibid.*
Testes duo, aut tres in Testamentis ad pias causas sufficiunt. *pag.*119. §. *Alexander*.
Lite pendente expiscati non sunt attendendi. *pag.*47. §. *Lis autem*.
Testium depositio ad proprium commodum elicita, nullam probationem constituit. *ibid.*
Translatio Missarum Justa de causa indulgenda. *pag.*30. §. *Inquit*.

V

VAcatio trium Mensium a S. C. Trident. non concessa; *pag.*44. §. *Observat*.
Sed longior ex Statuto, aut consuetudine ad tres tantùm Menses restricta: *ibid.*
Præservantur namque expressè consuetudines longius servitii tempus requirentes. *ibid.* Vid. etiam *Abesse*.
Verisimile inspiciendum est in obscuris. *pag.*19 §. *Hæc de*.
Verisimile proindè est Fundatorem onus celebrandi Missam imponendo, applicationem prò se voluisse. *ibid.*
Visitatio fieri debet singulis annis ab Ordinariis Beneficiorum Curatorum unitorum. *pag.*10. §. *Ex dispositione*.
Appellationibus, privilegiis, exemptionibus non obstantibus. *ibid.*
Necnon, auctoritate Apostolica, quarumcumque Ecclesiarum quomodolibet exemptarum. *ibid.*
Visitationi tamen Ordinariorum non subsunt Ecclesiæ non Parochiales Ordinis Hierosolymitani. *pag.*9. §. *Inquit.*, & *seq.*
Etiamsi pluries ab eorum Prædecessoribus per longum tempus fuissent visitatæ. *pag.*11. §. *Post relatam*.
Visitari verò, possunt ab iisdem tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis illæ, quibus animarum Cura imminet, in his dumtaxat quæ ad dictam Curam, & Sacramentorum administrationem pertinent. *pag.* 10. §. *Sanè hæc*, & *seq.*
Visitationi Ordinariorum, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatorum, adhùc subsunt Monasteria commendata, Prioratus, & Præposituræ, in quibus non viget Regularis observantia: *pag.*12. §. *In Ascalana*.
Necnon Hospitalia, & Collegia quæcumque; *pag* 136. §. *Clemens*.
Non tamen ea, quæ sunt sub immediata Regum protectione, sine eorum licentia; *ibid.*
Nec ea, quæ ex lege fundationis ab Ordinaria Jurisdictione sunt exempta. *pag.*135. §. *Præsidium*.
Vid. etiam *Administratores*.
Unio nedùm Beneficiorum simplicium ab Episcopis, etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis, fieri potest Parochialibus Ecclesiis

siis ob earum paupertatem ; *pag. 59. §. Ex Concilio.*

Verùm etiam Curatorum in cæteris quoque casibus a jure permissis ; *ibid.*

Uti est Ecclesiæ necessitas , vel utilitas ; *§. Justa.*

Vicinitas , & deficientia Populi , *ibid.*

Quæ ad mancipia minùs decem debet esse redacta . *§. Verum.*

Voluntates piæ omninò sunt servandæ ; *p. 95. §. Clemens.*

Salva Sedis Apostolicæ auctoritate illas immutandi , *ibid.*

Quandò necessitas, vel utilitas id expostulat. *p. 72. §. Dum agitur , & p. 157. §. Regula .*

In Ordinarii potestate nullatenùs est illas invertendi *p. 95. §. Clemens .*

Voluntatis probatio major & efficacior haberi non potest , quam Scriptura manu propria exarata . *p. 119. §. Notat .*

Vox in Capitulis . Vid. *Beneficiati . Canonici .*

FINIS .

THESAURUS
RESOLUTIONUM
SAC. CONGREGATIONIS
CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta, aliasque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.

OBEUNTE

R. P. D. CARRARA

Prodierunt in Causis sub annum 1784.

PROPOSITIS

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis, ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus apprimè utilis, ac necessarius,

TOMUS LIII.

TRIPLICE

INDICE LOCUPLETATUS.

ROMÆ MDCCLXXXIV.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

THESAURUS

CONCILIORUM

INDEX

ALPHABETICUS CAUSARUM,

Quæ in Sacra Congregatione Concilii propositæ fuerunt anno 1784. per Diœceses dispositus.

A

Æsina Subsidiorum dotalium 21. Augusti *pag.*214., 11.Septemb. *pag.*220., ac 27.Novemb. *pag.*234.

Alatrina Servitii Chori 24.April. *p.*85.

Arboren. Dispensationis 13. Martii *pag.* 53.

Ariminen. Reductionis 13.Martii *p.*58.

Ariminen. Suspensionis onerum 13. Martii *pag.* 62.

Ariminen., seu Feretrana 24. April. *pag.* 92.

Ariminen. Servitii Chori 3., & 24. Julii *pag.*164., & 171.

Auximana Emphyteusis 10. Januar. *pag.* 1.

B

Beneventana 10., & 24. Januar. *pag.*21., & 25.

Beneventana 22. Maii *pag.* 128., ac 21. Augusti *pag.* 189.

Bononien. Nullitatis electionis 24. Januar. *pag.*26.

Bononien. 3. Julii *pag.*152.

Bononien. 11. Decemb. *pag.*251.

Bossanen. Commutationis voluntatis 22. Maii *pag.* 140., ac 3. Julii *pag.* 143.

C

Camerinen., seu Fabrianen. 8. Maii *pag.* 110.

Camerinen. 21.Augusti *pag.*204., 11. Septemb. *pag.*220., ac 27.Novemb. *pag.* 233.

Civitatis Plebis 22.Maii *pag.* 138.

Civitatis Plebis Erectionis Capellaniæ 11. Septemb. *pag.*229., ac 27. Novemb. *pag.*235.

Comen. Beneficii 24. Januar. *pag.*30., ac 7. Februar. *pag.*43.

Cornetana Suspensionis oneris Missarum 24. April. *pag.*100., ac 8. Maii *pag.* 105.

D

Derthonen. 22.Maii *pag.* 126.

F

Fanen. 10. Januar. *pag.* 2., 27. Martii *pag.*84., ac 24.April. *p.*85.

Faventina Reductionis Servitii Chori, & Missarum 24. Januar. *pag.* 37., ac 7. Februar. *pag.* 44.

Firmana Reportationis oneris Missarum 7. Februar. *pag.* 52., ac 13., & 27. Martii *pag.* 53., & 80.

Firmana Unionis Parœciarum, & erectionis Præbendæ Theologalis 3. Julii *pag.* 157.

Forolivien. 21. Augusti *pag.* 205., ac 11. Septemb. *pag.*217.

Fulginaten. 3. Julii *pag.* 143.

I

Imolen. Restaurationis Ecclesiæ Parochialis 10.Januar. *pag.*12.

L

Lauretana Emphyteusis 7.Februar. *pag.*49., ac 13.Martii *pag.* 53.

Lauretana 24.April. *pag.*90., 11. Septemb. *pag.* 228., ac 27. Novemb. *pag.*235.

Lucana Servitii Chori 10. Januarii *pag.* 12.

Lucana 22. Maii *pag.*134.

M

Maceraten. Canonicatus 24. Apr. *pag.*96., 22.Maii *pag.*141.,ac 3. Julii *pag.* 143.

Majoricen. Dispensationis ab irregularitate 11. Septemb. *pag.* 232., ac 27. Novemb. *pag.*236.

Montis Falisci Beneficiorum 21. Augusti

gusti *pag.* 201. ; 11. Septemb. *pag.* 220., ac 27. Novemb. *pag.* 233.
Mutinen. Dispensationis 24. Januar. *pag.*40., ac 7.Februar. *pag.* 44.

N

Nepesina Dispensationis ab irregularitate 3., & 24. Julii *pag.* 168., & 171.
Nucerina Canonicatus 10.Januar. *p.*1., 21. Augusti *pag.*214., 11. Septemb. *pag.*220., ac 27.Novemb. *pag.* 234.
Nucerina Reductionis 13. Martii *pag.* 56., ac 8. Maii *pag.* 106.
Nullius S.Laurentii in Campo Dispensationis 8. Maii *pag.* 116.
Nullius S. Laurentii in Campo Commutationis voluntatis 11. Decemb. *pag.*241.

P

Papien. Dispensationis 24. Julii *pag.* 178.
Perusina Reductionis 3. Julii *pag.* 162.
Prænestina Jubilationis 27.Martii *p.*81., ac 24.April. *pag.* 85.
Prænestina 21. Augusti *pag.* 195., ac 11.Decemb. *pag.* 250.

R

Reatina Dismembrationis, & juris decimandi 10.Januar. *pag.* 1.
Recineten. Reductionis Missæ Conventualis 10., & 24.Januar. *pag.*23., & 26.
Regien. Permutationis 3., & 24. Julii *pag.*169., & 171.
Regien. Reductionis 24. Julii *pag.*176.
Romana Taxæ Seminarii 24. Julii *pag.* 172.

S

SAbinen. Capellaniæ 13., & 27. Martii *pag.*65., & 75.
Sanctæ Severinæ Irregularitatis 10., & 24. Januar. *pag.*17., & 25., 24. April. *pag.* 102., ac 8.Maii *pag.*105.
Sancti Miniatis 24.April. *pag.*103., ac 8. Maii *pag.*106.
Senogallien. Reductionis Missarum 13. & 27. Martii *pag.*67., & 75., 24. Julii *pag.*187., 21.Augusti *pag.*189., ac 11. Decemb. *pag.*247.
Senogallien. Præeminentiarum 27. Martii *pag.*76., & 79.
Spoletana Subsidii dotalis 22. Maii *pag.* 136.
Spoletana 24. Julii *pag.* 184.

T

TErracinen., & Setina 21. Augusti *pag.*190.
Terracinen. Servitii Chori, & Missæ Conventualis 11.Decemb. *pag.*243.
Tridentina Irregularitatis 13., & 27. Martii *pag.* 70., & 76.
Tudertina 8. Maii *pag.*114.
Tudertina Reductionis 24. Julii *pag.* 182., ac 11. Decemb. *pag.*243.

V

VAden. 24. Januar. *pag.* 35., ac 7.Februar. *pag.*43.
Vallisoletana 22.Maii *pag.*123.
Verulana Erectionis Parochiæ 8., & 22. Maii *pag.* 117., & 123.
Verulana 11.Decemb. *pag.*252.
Visen. Dispensationis ab irregularitate 11.Septemb. *pag.*221., ac 27. Novemb. *pag.*235.
Viterbien. 7. Februar. *pag.* 44.
Viterbien., seu Tuscanen. 7. Februar. *pag.*48., ac 27.Martii *pag.*76.
Viterbien. Reductionis onerum 8.Maii *pag.* 108.
Urbanien. 11. Decemb. *pag.*248.
Urbevetana 27.Novemb. *pag.*236., ac 11. Decemb. *pag.*241.
Urbinaten., seu Ariminen. 24. Januar. *pag.*32., ac 7.Februar. *pag.*43.

FINIS

Die Sabbathi 10. *Januarij* 1784. *in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

AD hodiernam Congregationem dilata fuit propositio trium Causarum, quæ primo ordine adnotantur. Has igitur, aliasque sex mox additas, pro eorum sapientia Emi PP. definire dignabuntur.

NUCERINA CANONICATUS.
An, & cui sit danda institutio in casu &c. *Sess. 25 cap. 9. de Reform.*

Dilata, & ad mentem: & mens est quod transmittatur integra fundatio Canonicatus.

AUXIMANA EMPHYTEUSIS.
An, & cujus favore sit stipulandum Instrumentum Emphyteusis in casu &c. *Sess. 25. cap. 11. de Reform.*

Instrumentum Emphyteusis stipulandum esse favore unius ex Filiis Joannis Traluci ad tertiam generationem masculinam tantum.

RATINA DISMEMBRATIONIS, ET JURIS DECIMANDI.
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c. *Sess. 21. cap. 4. & Sess. 24 cap. 13 de Reform.*

In decisis super utroque, & amplius.

Sess.7. cap. 6., & Sess.22.cap. 11. de Reform.

FANEN. Anno 1766. Ecclesia sub titulo Visitationis Beatæ Mariæ Virginis Oppidi Urceani, quæ vulgo nuncupatur S. Maria Nova, auctoritate San. Mem. Clementis XIII, in insignem Collegiatam erecta fuit. Suppressa ideo fuerunt, & eidem Collegiatæ unita duo Beneficia Curata, atque nonnulla Simplicia, & quædam alia Pia Legata, quæ a Sodalitatibus SSmi Sacramenti, & Rosarij, & a Communitate ejusdem loci administrabantur. Præter tres Dignitates, Præpositum nempe, & Archipresbyterum, qui Curam Animarum exercerent, & Archidiaconum de jure patronatus Communitatis, octo alij instituti sunt Canonicatus, & tres Mansionariæ. Unicuique peculiaris Præbenda fuit assignata, insuperque statuta est Massa, tam pro necessariis expensis, & annuis Collegiatæ oneribus, quam pro quotidianis Distributionibus.

Decursu temporis compertum est, reditus Massæ Communis ferè omnes in adimplementum onerum fore erogandos: Siquidem Massæ communis reditus pertingebant ad summam scut. 504. 87., & pro adimplendis oneribus requirebatur summa scut. 485. 10.; hinc summa tantum scut. 19. 37. pro distributionibus supererat. Compertum pariter est Capitulum pro expensis erectionis Collegiatæ censum scut. 1500. imposuisse, & majori etiam ære alieno gravatum esse; quare, ut illud dimitteret, obtento jam Communitatis assensu, postulavit a SSmo Domino Nostro, ut per annos duodecim suspendere nominationem Dignitatis Archidiaconatus tunc vacantis, ejusque reditus in dimissionem æris alieni convertere dignaretur. Precibus annuit Sanctitas Sua, & in Audientia diei 5. *Julij* anni 1775. indulsit, ut prædicti Archidiaconatus nominatio per septennium suspenderetur, & interim, adimpletis per Capitulum oneribus, deputaretur Œconomus ab Episcopo approbandus, qui bona administraret, & fructus deponeret in solutionem æris alieni erogandos.

Dum Sacram Visitationem ageret hodiernus *Episcopus* in dicto Urceani Oppido, ad accuratiorem trutinam revocavit statum tum introitus, tum exitus Capituli, comperiitque Capitulum, præter censum scut. 1500. pro erectione Collegiatæ, gravatum esse alio censu sc. 50.; Comperit insuper omissse extinctionem alterius census sc. 55., quod intra sexennium jam elapsum extinguere tenebatur; Comperiit denique alio etiam ære alieno gravatum esse in summa scut. 1004. 67. pro reintegratione Capitalium, quæ

quæ distraxerat ad subeundas alias expensas erectionis Collegiatæ. Cum autem totum Capituli debitum conflaret summam scut. 2609. 67. Episcopus excitavit Canonicos, ut ad Sac. Congregationem pro opportuno remedio confugerent.

Superventis Capituli precibus, cum ex Episcopi relatione cognitum fuerit, quod summa prædicta pro expensis erectionis Collegiatæ, & pro comparandis Sacris Suppellectilibus fuerat consumpta, quodque nihil in proprium commodum Capitulares converterant, SSmus Dominus Noster in audientia diei 6. *Junij* anni 1781. protrahere dignatus est provisionem Archidiaconatus ad aliud sexennium, mandavitque suspensionem per decennium Præbendæ Canonicalis primo vacaturæ, quæ non esset de jurepatronatus Laicorum; ac tandem jussit, ut Canonici quotannis deponerent summam scut. 54. 46., quæ adaucta reditibus Archidiaconatus, & Canonicatus in dimissionem æris alieni erogaretur.

Post hæc Sacerdos Paulus Ercolani possessor Canonicatus sub titulo S. Liberatæ in eadem Collegiata erecti, adiit Datariam Apostolicam, & SSmo Domino Nostro preces porrexit, quibus narravit omnia gesta in Sac. Congregatione pro suspensione provisionis Archidiaconatus, atque narravit prorogationem ad aliud sexennium fuisse obtentam, irrequisito novo Communitatis consensu. Exhibuit præterea nominationem ad eandem Dignitatem, quam a Communitate, & Hominibus Urceani obtinuerat; quare institutionem postulavit. Obtentis Litteris Apostolicis, possessionem nactus est die 3. *Octobris* anni 1782. Episcopus verò die 4. ejusdem mensis Canonicatum sub titulo S. Liberatæ a Paulo Ercolani possessum contulit Sacerdoti Dominico Ulissi. Cum autem provisionem præfati Canonicatus S. Liberatæ a Dataria Apostolica impetrasset Clericus Franciscus Maria Ercolani die 29. *Octobris* dicti anni 1782., & provisionis Litteræ pro executione exhibitæ fuissent Vicario Generali Episcopi Fanensis, gravis hinc excitata est controversia inter Sacerdotem Ulissi, & Clericum Ercolani. Quæstionis examen Decreto R. P. D. Auditoris SSmi ad Sac. Congregationem ablegatum est; qua de re disceptatur hodie de validitate tum suspensionis Archidiaconatus ad aliud sexennium, tum de illius provisione; Quæritur quippe an aliquo vitio Provisio hujusmodi infecta sit, & quatenus non subsistat, videndum erit an Proviso competat regressus ad Canonicatum, quem prius possidebat, & si re-

greſſus non competat, definiendum erit, an Litteræ Apoſtolicæ obtentæ a Clerico Franciſco Maria Ercolani executionem mereantur. Quæſtionum capita quatuor diſpertita dubiis, & partibus jura ſua deducentibus, EE. VV. judicio definienda proponuntur.

Qui Promotoris Fiſcalis, & Capituli cauſam agit inquit ad I. juſtam adfuiſſe cauſam petendi prorogationem Proviſionis Archidiaconatus, cum conſtaret Capitulum ingenti ære alieno gravatum reperiri, & ad illius dimiſſionem impares omnino eſſe Capitulares, utpotè poſſidentes Præbendas exigui reditus, & fere nihil percipientes ex Maſſa communi. Advertit nihil fuiſſe aut expreſſum, aut reticitum, quod Summum Pontificem a concedenda gratia retrahere potuiſſet, quam quidem gratiam, prævio accurato rerum omnium, omniumque factorum, & circumſtantiarum examine, Sanctitas Sua indulſit.

Nec Sacerdoti Paulo Ercolani prodeſſe defectum conſenſus Communitatis, quia hujuſmodi exceptio non ipſi, ſed ſoli Communitati ſuffragari poſſet; Sed tantum abfuit, ut Communitas reclamaret, quin immo factum ejuſdem Sacerdotis Ercolani improbavit. Addit præterea Communitatem aſſenſum ſuſpenſioni collationis Archidiaconatus jam præſtitiſſe per annos duodecim, nec proinde opus erat novo conſenſu ad obtinendam gratiæ prorogationem, præſertim quia conſenſus Communitatis antea præſtitus in ſupplici libello pro prorogatione exhibito fuit expoſitus.

Minimeque objici poſſe conſenſum a Communitate præſtitum ad annos duodecim effectu caruiſſe, quia gratia ad ſeptennium tantum fuit impertita. Reſpondet enim Communitatem in Comitiis habitis pro deliberanda ſuſpenſione proviſionis Archidiaconatus libere conſenſum præbuiſſe, ut ſuſpenſionis gratia ſpatio annorum duodecim perduraret, ſolumque voluiſſe, ut Capitulum propriis ſumptibus Apoſtolicum beneplacitum impetraret, & durante ſuſpenſionis tempore reditus Archidiaconatus in æris alieni extinctionem erogarentur, cumque conditiones prædictæ adimpletæ jam fuerint, quamvis gratia prima vice obtenta ad ſeptennium circumſcripta ſit, non inde ſequitur, quod Communitatis conſenſus ad longius tempus præſtitus, ad ſolum ſeptennium contractus poſtea fuerit, novoque conſenſu Capitulum indigeret pro Indulti prorogatione impetranda.

Spernendum vero, quod in precibus pro hujuſmodi proro-

ga-

gatione obtinenda narratum fuerit primam gratiam ad ſexennium fuiſſe conceſſam, quando revera ad ſeptennium obtenta fuit, quodque computato tempore utriuſque gratiæ, conficiatur terminus annorum treſdecim, ad quem non protenditur Communitatis conſenſus. Advertit enim materialem hunc errorem expreſſionis ſexennij, loco ſeptennij, abſque ulla fraude, & dolo commiſſum, tanti non eſſe, ut gratia de ſubreptione redargui poſſit. Preces autem pro Indulti prorogatione datas fuiſſe nondum elapſo ſexennio primi reſcripti, ideoque mirum non eſſe, ſi in illis de ſexennio ſermo habitus fuerit, cum revera Capitulum Pontificis gratia per ſex tantum annos gaviſum fuerit; Cæterum, ſi utraque gratia per integros annos treſdecim protrahi non poſſit, ſatis eſſe, ut Capitulum per annos duodecim ejus beneficio fruatur.

Ad II. ſuſtinet, quod admiſſa validitate reſcripti editi die 6. *Junii* anni 1781., quo Proviſio Archidiaconatus ad aliud ſexennium fuit prorogata, conſequitur Proviſionem Archidiaconatus noviſſimè factam favore Sacerdotis Pauli Ercolani irritam prorſus eſſe, cum ipſe impetraverit Beneficium, quod nondum vacabat, & illius fructus ex diſpoſitione Summi Pontificis cedere debebant in extinctionem æris alieni Capituli. Hujuſce autem Proviſionis validitatem ex eo etiam impugnat, quia Sacerdos Ercolani dolo, & fraude plura expreſſit, quæ a veritate ſunt prorſus aliena, plura etiam reticuit, quæ exprimenda forent; Narravit ſiquidem fuiſſe a Communitate nominatum, ſed narrare omiſit, nominationem expletam fuiſſe ſub expreſſa conditione, quod nominationis effectu frui non poſſet, niſi poſt lapſum duodecim annorum; Hæc ſi Pontifici innotuiſſent, nunquam Sacerdos Ercolani Archidiaconatus Proviſionem obtinuiſſet, cum præſumendum non ſit Pontificem lædere voluiſſe jus Capituli, & delere conditionem in actu nominationis appoſitam, & Indultum præcedenter conceſſum.

Litteras Apoſtolicas Obreptionis, & Subreptionis vitio infectas pariter eſſe, quia dictus Sacerdos Ercolani expoſuit, ipſum fuiſſe a Communitate nominatum, & ab ea præſentatum, cum hujuſmodi præſentatio, quæ noviſſimè facta aſſeritur, nunquam in Communitatis Comitiis decreta deprehendatur, & ad illam probandam nullum pro parte Proviſi afferatur monumentum. Perperam vero objici mandatum procuræ exaratum ab Euſtachio Betti ad hanc explendam præſentationem, cum licet

licet dictus Betti Officio Vexilliferi Urceani fungeretur, in ejus tamen potestate non erat quidquam agere nomine Communitatis, nisi interpellatis Civibus, & re mature in Comitiis deliberata.

Ad III. contendit non posse Sacerdotem Paulum Ercolani redire ad possessionem Canonicatus S. Liberatæ, quia nempe dissipavit capitalia ad dictum Canonicatum pertinentia. Notat in facto, quod hujusmodi Præbenda quatuor Census possidebat, qui a respectivis debitoribus fuerunt dimissi, & pecuniæ in manibus dicti Sacerdotis persolutæ; nullibi tamen constat easdem pecunias denuo fuisse investitas, immo licet dictus Sacerdos judicialiter pulsatus fuerit ad docendum de investimento, nunquam proprii Ordinarii mandatis paruit. Spernendum vero esse testimonium Thomæ Magi, & Antonii Ercolani afferentium pecunias ab extinctione dictorum censuum provenientes pro majori parte in aliis Censibus fuisse collocatas, nam de emptione horum Censuum instrumentum non exhibetur; Minime vero attendendum, quod superextantes pecunias Sacerdos Ercolani consumpserit pro sustinenda lite favore dicti Canonicatus; nam ignoratur, quæ fuerit hujusmodi lis, nec probatur versio pecuniarum in dictam causam facta auctoritate legitimi Superioris.

Observat ad IV. Canonicatum S. Liberatæ esse de jurepatronatus Laicorum, & propterea minime obnoxium Apostolicis reservationibus; hinc infert Litteras Apostolicas impetrationis non esse exequendas, & sustinendam Provisionem factam de eodem Canonicatu ab Episcopo Fanensi in personam Sacerdotis Dominici Ulissi.

Contra vero Sacerdos Paulus Ercolani advertit Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Fani non esse in præsenti causa legitimum contradictorem, cum nullam in ea habeat interesse; Inquit Archidiaconatus nominationem ad Communitatem Urceani spectare, quæ ad sui favorem nominationem explevit, & de Provisione ejusdem Dignitatis a Sede Apostolica obtenta minime conqueritur; Capitulum vero Collegiatæ, licet in Comitiis habitis die 2. *Februarii* elapsi anni consensum præstiterit, ut hujusmodi lis assumeretur, in aliis tamen Comitiis celebratis die 24. *Maii* ejusdem anni, censuit Procuratorem constituere, qui nomine Capituli liti renunciaret; Addit præterea postremam hanc Congregationem legitimè fuisse convocatam, nec obesse, quod nonnulli ex Ca-

Capitularibus, re infecta, ab Aula Capituli recesserint, vel quod Episcopus sua auctoritate illam infirmaverit; Respondet enim, certum in jure esse, quod si unus, vel alter ex Capitularibus ab Aula Capitulari recedat, totum jus consolidatur in illis, qui remanent, & legitime deliberare possunt de iis, quæ ad eorum Collegium spectant; Ordinarium vero facultatem non habere captas resolutiones infringendi, præsertim quando interesse Capituli respiciunt, nec bonis moribus adversantur.

Hisce animadversis, sustinet ad I., rescriptum editum die *6. Junii* anni 1781. pluribus de causis firmitate carere, & primo quidem, quia subreptum fuit falso usurpato nomine Capituli, quod pro prorogatione gratiæ nunquam supplicavit. Inquit enim, quod pervoluto ab anno 1775. ad annum usque 1782. Codice Capitularium Resolutionum, nunquam deprehenditur in Capitulo actum fuisse de petenda gratiæ prorogatione; Obtenta post elapsum septennium ab Apostolica Sede Archidiaconatus Provisione, se absque reclamatione in possessionem immissum fuisse, cum de cætero Capitulum reclamare non omisisset, si ad illius instantiam prorogationis gratia impetrata fuisset.

Novum præterea opus fuisse Communitatis consensum exquirere, ut prorogatio Provisionis Archidiaconatus tuto obtineri posset, cum prorogationis Indultum eidem Communitati præjudicium inferret, eique præpediret jus nominandi Archidiaconum; hinc arguit eas in secundo actu adhibendas fuisse solemnitates, quæ in primo actu fuerant de jure requisitæ. Nec obesse, quod hæc sit exceptio de jure tertii, & quod actus prorogationis sit unus, idemque cum actu primi Indulti; Observat enim ad sustinendam Communitatis nominationem, ea omnia proponere posse, quæ Communitas ipsa deduceret, si ad suam tuendam nominationem in judicio se sisteret. Addit insuper, quod tunc actus prorogatus unus, idemque censetur cum actu primi indulti, si res sit inter eosdem contrahentes, secus vero si prorogationis actus tertio præjudicium inferat.

Et minime objici posse Communitatem usque ab initio consensum præstitisse, ut Provisio Archidiaconatus ad duodecim annos suspenderetur. Notat enim hujusmodi consensum præstitum fuisse sub expressa conditione obtinendi Apostolicam approbationem, & sub eadem conditione R.P.D. Urbini Præsidem resolutionem consiliarem hac super re editam approbasse; Cumque Pontifex sus-

pen-

penſionis tempus ad ſeptennium reduxerit, reſoluta proinde fuit conditio a Communitate appoſita, & illius conſenſus habetur, ac ſi datus per ſeptennium dumtaxat fuiſſet, novoque conſenſu opus erat, ut valide prorogationis gratia obtineretur.

Reſcripti nullitatem ex eo etiam eruit, quia Pontifici falſo narratum fuit primam gratiam ad ſexennium indultam fuiſſe, cum revera ad ſeptem annos conceſſa deprehendatur, quæ quidem circumſtantia Pontificis animum difficiliorem reddere poterat, ne prorogationem indulgeret; Parum recte ad hæc exciperetur, quod error fuerit materialis, & citra fraudem, & dolum irreptus, cum veroſimile non ſit, Capitulum, cujus nomine preces oblatæ dicuntur, adeò de primo Indulto ignarum fuiſſe, ut neſciverit illud ad ſeptennium fuiſſe conceſſum.

Ad II. contendit injuria Promothorem Fiſcalem in quæſtionem revocare inſtitutionem Archidiaconatus a Dataria Apoſtolica obtentam, cum Epiſcopus Fanenſis illam, & verbis, & facto laudaverit, atque probaverit; Inquit enim quod vix habita ab eodem Epiſcopo notitia de adepta Archidiaconatus poſſeſſione, ſtatim acta ea de cauſa geſta ſuſcepit, & ſequenti die contulit Sacerdoti Uliſſi Canonicatum S. Liberatæ; æquum propterea non eſſe, ut modo Promothor Fiſcalis inficiatur, quod jam ab Epiſcopo validum, & juſtitiæ conſonum agnitum fuerat. Neque opponi poſſe, quod Epiſcopo notæ minime erant Apoſtolicæ Litteræ Proviſionis Archidiaconatus, cum enim inter acta poſſeſſionis dictæ Dignitatis adeſſent quoque Apoſtolicæ litteræ illius Proviſionis, idcirco ſtatim ac hujuſmodi acta recepit, agnoſcere poterat quid in Apoſtolicis Litteris contineretur, quidve Summo Pontifici narratum fuerit.

Præfatas vero Apoſtolicas Litteras ab omni Obreptione, vel Subreptione immunes eſſe contendit, quia narratum fuit quod Capitulum accedente conſenſu Communitatis, licet ſuſpenſionem Proviſionis Archidiaconatus ad duodecim annos petierit, nihilominus ex reſcripto Sac. Congregationis anni 1775. hujuſmodi ſuſpenſio ad ſeptennium redacta fuerit. Narratum præterea, quod de menſe *Junii* anni 1781. vigore alterius reſcripti, nec reportato a Communitate novo conſenſu, & ſub expreſſione, quod Proviſionis ſuſpenſio ad ſexennium tantum indulta fuerit, ejuſdem Proviſionis ſuſpenſio ad alios ſex annos prorogata extiterit; Narratum denique se a Communitate nominatum fuiſſe, & modus expoſitus, quo ſui nominatio ab eadem

dem peracta fuit; Cumque prædicta omnia nullam falsitatis notam involvant, & sub hac narratione Provisionem obtinuerit, hinc infert Provisionem ipsam omnino sustineri debere, & satis esse probare, quod exposita Pontifici vera fuerint, quin demonstranda sit narratorum relevantia; nam pondus, & relevantia expositorum cognoscit Pontifex, & ex narratione facti, quæ juris sunt, discernit.

Perperam vero objici actum nominationis a solo Vexillifero fuisse subscriptum, cum ex constanti consuetudine in Oppido Urceani vigente probetur, quod cuicumque a Consilio Communitatis Munia, Honores, & Dignitates conferuntur, Patentales litteræ privative a solo Vexillifero expediuntur. Ex hisce omnibus satis probatam esse validitatem Provisionis Archidiaconatus, atque hinc infert ad III. Dubium inutilem esse sermonem instituere super competentia regressus ad Canonicatum S. Liberatæ, quia tunc de eo differendum esset, si gratia Provisionis Archidiaconatus nulla, atque irrita decerneretur.

Ad IV. Clericus Franciscus Maria Ercolani contendit Canonicatum S. Liberatæ vacasse per assecutionem alterius incompatibilis Beneficii, quo casu *Juxta decretum* vacare dicitur, & tunc illius Provisionem ad Sedem Apostolica spectare. Addit se originarium Civem esse Oppidi Urceani, Capitularibus acceptum, & bonis moribus imbutum, veniam ætatis a Sanctissimo impetrasse; quare sustinet, verificari ea omnia, quæ Pontifici narrata sunt, ut Litteræ Apostolicæ retardari non possint: Nec obesse, quod idem Canonicatus collatus antea ab Episcopo fuerit Sacerdoti Dominico Ulissi, cum collatio hujusmodi nulla sit, quia agitur de Præbenda Apostolicæ Sedi reservata; Neque ad tuendam Episcopi collationem opponi posse, quod licet Canonicatus S. Liberatæ sit juris patronatus mixti, attamen cum in illius fundatione præservata extiterit qualitas laicalis, propterea nequaquam obnoxium esse Apostolicis Reservationibus; Respondet enim, quod Pontifex in Provisione Archidiaconatus collationem dicti Canonicatus suæ dispositioni reservavit, licet esset laicalis patronatus, & ulterius hanc ipsam qualitatem Laicalem Pontifici narrasse dum Canonicatum petiit.

Cæterum advertit, quod inter Episcopum, & Communitatem jus præsentandi ad Canonicatum S. Liberatæ per

turnum fuerat divisum, & Canonicatus vacaverit in turno Episcopi; quo casu Beneficium reputatur juris patronatus Ecclesiastici, & Apostolicis Reservationibus remanet affectum.

Quæ in præsenti Causa sit Episcopi sententia, perlegent EE. VV. ex binis Relationibus ad Sac. Congregationem datis, quæ inter monumenta Causæ circumferentur.

Triplici ex capite validitas rescripti diei 6. *Junii* anni 1781. inficiatur, tum nempe quia usurpatum fuit Capituli nomen, dum prorogationis gratia petita est, tum etiam quia defuit novus Communitatis consensus, tum demum quia falso narratum fuit, primam gratiam ad sexennium tantum fuisse impetratam. Quoad usurpationem nominis Capituli, ponderandum occurrit in facto, quod Episcopus in actu Sacræ Visitationis discutiens statum æconomicum Capituli Urceani, deprehendit nimio ære alieno gravatum reperiri, & plures factas fuisse Capitalium distractiones absque venia Apostolicæ Sedis; quare eodem Episcopo hortante, Capitulares recursum ad Sac. Congregationem habuerunt, ut opportunum eorum indigentiis afferret remedium. Res adeo implexa visa fuit, ut oportuerit votum exquirere clar. mem. Cardinalis Panfili; Capitulares in diversas abierunt sententias, & præsertim ii, qui recenter in Capitulum fuerant admissi authumarunt sese Censuris minime irretitos esse, quia distractiones secutæ erant, ante quam in Capitulum cooptarentur. Votum Eminentissimi relatoris prodiit post quam utraque pars sua jura cor. ipso deduxit. Licet ergo nulla appareat Capitularis resolutio pro obtinenda prorogatione Provisionis Archidiaconatus, videndum tamen, an preces hac de causa porrectæ, usurpato Capituli nomine, & minus legitime exhibitæ fuerint, cum Capitulares plurimum inter se decertaverint, antequam prorogationis gratia prodierit.

De Communitatis consensu in actu prorogationis gratiæ denuo exquirendo, sustinet *Bartol. in Leg. 1. ff. ad municipal. num.* 23. ,quod requirendus haud sit, si semel interceserit. Verum *Brunneman. ad Legem Labeo ff. de recept. arbitr. num.* 2. cum aliis ab eo allegatis, advertit, quod quando dies prorogatur, debet id fieri cum omnibus qualitatibus, & solemnitatibus, quæ requiruntur in primo actu, *& Carpzov. dec. illustr. part. 1. decis.* 51. *num.* 15. affirmat, quod solemnitas, & forma, quæ adhibetur in primo actu, etiam in actu prorogato observari debet, quia

quia nempe prorogatio non facit actum novum, sed unus idemque est cum prorogato. Quod attineat ad expositionem minus veram obtentæ primæ gratiæ ad sexennium, quando revera ad septennium indulta fuerat, ponderandum an ea difficiliorem Summum Pontificem reddere potuisset ad indulgendam prorogationem, & hic advertendum, num Capitulum totum æs alienum dimittere potuisset, si suspensio Provisionis Archidiaconatus ad duodecim tantum annos fuisset coercita.

Dubium, quod secundo loco disceptatur, a primi Dubij resolutione pendet. Ad III. advertendum est in *Cap. Nulli liceat 5. tit. de rebus Ecclesiæ alienandis vel non* vetitam esse Ecclesiis, Lociscque piis quamcumque bonorum, & rerum immobilium alienationem, & in *Extravagante Ambitiosæ cap. unic. de rebus Eccles. non alienandis* Paulus II., post quam ad coercendam Ecclesiasticorum libertatem super alienatione bonorum Ecclesiæ plura statuerat, sic ait = *Inferiores vero Prælati Commendatarii, & aliarum Ecclesiarum Rectores Beneficia, vel administrationem quomodolibet obtinentes Prioratibus, Præposituris Dignitatibus, Canonicatibus; .... aliisque Ecclesiasticis cum Cura, & sine Cura, Sæcularibus, & Regularibus Beneficiis, quorum res, & bona alienarunt dumtaxat, ipso facto privati existant: illaque, absque declaratione aliqua, vacare censeantur. Possintque per Locorum Ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis, quæ propterea privatæ fuerunt) libere de jure conferri.* Id ipsum confirmavit Sac. Concilium *Sess. 22. cap. 11. de reform.*. Quatenus igitur corruat Provisio Archidiaconatus, videndum erit, an Sacerdos Paulus Ercolani revera alienaverit bona Canonicatus S. Liberatæ, ita ut pœnas incurrerit illius privationis.

Ad IV. demum, serio ponderanda est erectio dicti Canonicatus, ut dijudicari possit, an Reservationibus Apostolicis sit obnoxius, & locum habeant disposita in *Extravagante Ad regimen de Præbendis, & Dignitatibus inter Commun.* Præ oculis quoque habendum est Decretum appositum in Litteris Apostolicis Provisionis Archidiaconatus, ut inde definiri possit, an Clericus Franciscus Maria Ercolani rite Canonicatum fuerit assecutus.

Post hæc vestrum erit Eminentissimi PP. decernere.

I. *An Rescriptum diei 6. Junii 1781. sustineatur in casu &c.*
Et quatenus Negativè.

II. *An sustineatur Provisio Archidiaconatus in casu &c.*
Et quatenus Negativè.

III. *An sit locus regressui in casu &c.*

Et quatenus Negativè.

IV. *An Litteræ Apostolicæ sint exequendæ in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ; Ad II. Negativè ; Ad III. Affirmativè ; Ad IV. Negativè.

Sess. 21. Cap. 7. de Reform.

IMOLEN. RESTAURATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS. Cum Ecclesia Parochialis S. Michaelis de Puteo Diœcesis Imolensis restauratione indigeret, *Sacerdos* Franciscus Braga Parochus ejusdem Ecclesiæ petiit a Sac. Congregatione definiri cui nam onus restaurationis incumberet ; propositoque hac de re dubio die 6. *Septembris* anni nuper elapsi, cum Populus jura sua non deduxerit, responsum prodiit = *Teneri Populum, & Possidentes in districtu Parochiæ per æs, & libram.* Huic resolutioni non acquiescentes Populus, & Possidentes, denuo audiri postularunt ; sed urgente restaurationis necessitate, instat Parochus ut Causa reproponatur, licet Populus, & Possidentes in scriptis nihil huc usque produxerint, & in sua contumacia adhuc perseverent. Dignabuntur EE. VV. resumere Folium præteriti *Augusti*, perpensoque quæstionis statu, respondere Dubio.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

LUCANA SERVITII CHORI. Extat in Civitate Lucæ Collegiata Ecclesia sub invocatione SS. Martyrum Paulini, & Donati, quæ constituitur ex Priore cum Cura Animarum, nec non decem Canonicis, & duodecim Capellanis. Hujusmodi Ecclesia antiquitus exiguos habebat reditus, & Capitulares tenebantur canere Vesperas diebus dumtaxat Dominicis, & Festis, Missam vero in solemnioribus festivitatibus, & in quibusdam aliis

aliis diebus, vel ex Ecclesiæ consuetudine, vel ex dispositione Testatorum, qui legata reliquerunt. Anno 1679. Venerabilis Innocentius XI. pro augumento Distributionum quotidianarum perpetuo univit, applicavitque Collegiatæ Capellaniam SS. Paulini, & Antonij de jurepatronatus Vexilliferi Reipublicæ Lucensis annui reditus ducatorum bis centum auri de Camera. In Bulla unionis mandavit, ut Canonici *tenerentur ad instar Sæcularis, & Collegiatæ SS. Jo., & Reparatæ Civitatis Lucanæ tam in tempore, quam in servitio in Divinis pariformiter, ac alias in omnibus, & per omnia deservire*. Cumque autem in Collegiata SS. Joannis, & Reparatæ dimidia Capitularium pars singulis quindecim diebus uniuscujusque mensis Choro inserviret ad canendum Matutinum, Missam, & Vesperas: Omnes vero Capitulares singulis Dominicis, aliisque per annum diebus Festis ad Missam, & Vesperas interessent, hinc factum est, ut hæc inserviendi methodus invecta quoque fuerit in alteram Collegiatam SS. Paulini, & Donati, Priore tantum excepto, qui Choro intereſſe consuevit diebus tantum Dominicis, & Festis ad Missam, & Vesperas.

Capitulares SS. Paulini, & Donati exposuerunt Sanctissimo Domino Nostro, se licet gravatos onere servitij Chori æque, ac illos alterius Collegiatæ SS. Jo., & Reparatæ, non tamen pari redituum compendio gaudere; nam isti tum ex Præbenda, tum ex Distributionibus annua scuta 120. percipiunt, ipsi vero destituti sunt Præbenda, solumque ex Distributionibus quotidianis annua sc. 36., Capellani vero annua tantum sc. 16. lucrantur. Exposuerunt insuper nulla diebus Dominicis, & Festis vacatione gaudere, cum iis diebus omnes inservire teneantur, supplicarunt itaque, ut qui a servitio Chori immunes sunt per quindecim dies, exceptis solemnioribus, immunes esse debeant per id tempus etiam diebus Festis, vel saltem unus ex Canonicis, & quatuor ex Capellanis tantum inservire teneantur. Nec tamen id postulant sine onere, siquidem delendam dixerunt facultatem, quam habet Præfectus Chori indulgendi unicuique ex Capitularibus exemptionem per viginti dies continuos. Atque præterea onus assumerent canendi quotidie Completorium post Vesperas, necnon Tertiam diebus Pascatis, Pentecostes, & Nativitatis Domini, & aspergendi per Celebrantem Ecclesiam, & Populum ante Missam solemnem omnibus Dominicis. Remissis precibus ad Sac. Congre-

ga-

gationem, quæritur hodie ab EE. VV. quid super hujusmodi instantia agendum sit.

Canonici inquiunt Indultum, quod ipsi modò efflagitant nullum quoad Chori servitium præjudicium inferre, quin immo sustinent, quod immutato Ecclesiæ servitio, Sacrarum Functionum Decus, & Majestas augetur. Fatentur, ideo efflagitare exemptionem per quindecim dies cujuslibet mensis, ut ad alia munia parati facilius esse possint, & consentiunt, ut deleatur Decretum Capituli indulgens facultatem Præfecto Chori concedendi exemptionem per viginti dies, insuperque assumunt onus recitandi quotidie Completorium post Vesperas, & canendi Horam Tertiam diebus Paschatis, Pentecostes, ac Nativitatis Domini, ac demum peragendi Sacram Ceremoniam benedictionis Ecclesiæ singulis Dominicis diebus '. Pensatis igitur, tum petita exemptione, tum novis oneribus, quæ assumere parati sunt, patere ex novo servitii methodo decentius peragi posse Sacras Functiones.

Id etiam suadere exiguos Canonicatuum reditus; Advertunt enim, secuta Capellaniæ unione, æquatos minime fuisse reditus suorum Canonicatuum cum Canonicatibus Collegiatæ SS. Jo., & Reparatæ, & tamen servitium ab ipsis præstandum adauctum fuisse ad instar ejusdem Collegiatæ. Præterea Canonicos SS. Jo., & Reparatæ præter Massam Distributionum quotidianarum, Præbendam quoque habere, ipsos nihil ultra percipere, quam Distributiones quotidianas, ex quo fit, ut durior evadat eorum conditio, neque ullum emolumentum assequi possint, nisi continuo Chori servitio sint addicti. Addunt demum simili Indulto a Sac. Congregatione donatos fuisse anno 1694. Canonicos Collegiatæ S. Michaelis in Foro Lucano, qui ea ex causa tunc auxerunt octo Capellanorum numerum; contendunt ex gravi, & legitima circumstantia, nimirum tenuitatis redituum, & novi oneris, quod assumere parati sunt, concedendam esse petitam Indulti gratiam, quamvis ipsi augere non possint Capellanorum numerum, ut tunc fecerunt Canonici S. Michaelis, redituum suorum tenuitate id vetante.

Archiepiscopus refert, quod licet per unionem Capellaniæ SS. Paulini, & Antonij, & alterius Beneficij S. Concordij adaucta fuerit Massa Distributionum quotidianarum, adhuc tamen Oratores, cum variis præstationibus, & oneribus graventur, parum ex eorum Canonicatibus percipiunt; Novam servitij methodum probat, illam-

illamque in majus Ecclesiæ decus, & Sacrarum Functionum decentiam vertere existimat, quare sic concludit = *Ex cunctis igitur Sac. Congregationi per me humiliter prærelatis rationibus, & causis Oratorum postulatis ab eadem perhumiliter annui posse censerem.*

Qualitatem servitij præstandi a Canonicis SS. Paulini, & Donati præscripsit Venerabilis Innocentius XI. in suis Apostolicis Litteris unionis Capellaniæ SS. Paulini, & Antonij. Hunc inserviendi modum invertere cupiunt Canonici, quia exiguos ex Canonicatibus percipiunt reditus; Videndum est, an id justam præbeat causam, ut illorum petitioni annuatur. *Card. Petra in Comm. ad Constit. 7. Innocentij IV. sect. 2. num. 28.*, ductus etiam auctoritate aliorum Doctorum sustinet, quod in Collegiatis non insignibus, licet Canonici teneantur ad assiduumChori servitium,tamen ab hac inserviendi methodo eximuntur, si Ecclesiæ sint rurales, aut si adsit contraria consuetudo, vel demum adeo tenues sint reditus, ut Canonici alimenta habere non possint.

Pluries in Sac. Congregatione actum est de reducendo Chori servitio vel ob aeris inclementiam, vel ob Præbendarum tenuitatem, & Canonicis, qui hujusmodi instantias proposuerant,indulta fuit vacatio trium mensium; Quandoque mandatum extitit, ut inservirent per Tertiariam, vel perMediariam, addita tamen lege, quod omnes Capitulares tempore Adventus, & Quadragesimæ, diebus Dominicis, & Festis Choro interesse tenerentur, Prostant hac de re Sac.Congregationis resolutiones, quæ relatæ sunt in Causa *Ferentina Servitii Chori* descripta in Folio Congregationis diei 3. *Augusti anni* 1782., quod publici juris factum est *Tom. 51. Thesaur.Resol.* Aliquando vero S. Congregatio moderationem servitij arbitrio Episcopi absolute reliquit. In *Tinen. 1. Decembris* 1635. sic respondit *Episcopum durante tenuitate redituum, posse permittere, ut Canonici præstent servitium Ecclesiæ non continuum pro suo arbitrio, ita tamen ut ante declarationem dicti arbitrij prius de illo certioret Sac. Congreg. lib. 15. Decret. pag. 285.*

Cum autem per Canonicos SS. Paulini, & Donati proferatur aliud simile Indultum concessum Collegiatæ Ecclesiæ S. Michaelis in Foro Lucano, non absre erit illud referre. Decanus, & Canonici dictæ Collegiatæ supplicarunt pro alternativa sex mensium exemptione à Choro ad instar Cathedralis, & duarum Collegiatarum ejusdem

Ci-

Civitatis, & ad evitandum quodlibet Ecclesiæ detrimentum obtulerunt cum propriis distributionibus augere alios octo Capellanos = *Sac. Congregatio die* 25. *Septembris* 1694. *commisit Eminentissimo Episcopo, ut veris existentibus narratis, & accedente consensu illorum de Lillis assertis Patronis, ac post quam compererit ex octo Capellaniarum erectione noviter facienda, & eisdem inservientium Sacerdotum augumento, majus Ecclesiæ servitium, & Cleri, & Populi commoditatem fore cessuram, petitam facultatem alternatim per sex menses in posterum Choro, & divinis Officiis ejusdem Collegiatæ inserviendi, dummodo vere interfint pro suo arbitrio, & prudentia Oratoribus impertiatur lib.* 44. *Decret. pag.*489. Alterum pariter editum est Decretum ad petitionem Capituli dictæ Collegiatæ S. Michaelis, cujus tenor sequens est = *Die* 15. *Januarij* 1696. *Sac. Congregatio audita relatione Eminentissimi D. Cardinalis Colloredi alterius ex Eminentissimis PP., ac mature perpensis perinsertis Regulamentis, & juribus per E. S. deductis, eadem Regulamenta in omnibus, & per omnia benigne approbavit.lib.* 45. *Decret. pag.* 20.

Ponderandum in præsenti casu est, an immutatio servitij Chori petita a Canonicis SS. Paulini, & Donati tendat ad majus Dei cultum, & Ecclesiæ decus. Videndum an nova onera, quæ Capitulares assumere intendunt, æquent onera, a quibus exemptionem efflagitant. Advertendum tamen ab antiquissimo tempore in more positum esse, ut in Ecclesiis, præsertim Parochialibus, qualibet die Dominica aspersio Aquæ lustralis super Populum fiat ante Missam solemnem. *Burcardus Vormatiensis lib.* 2. *cap.* 3. refert Canonem antiquissimum Concilij Nannetensis his conceptum verbis = *Omnibus diebus Dominicis unusquisque Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solemnia Aquam benedictam faciat in vase nitido, tanto Misterio convenienti, de qua Populus intrans Ecclesiam aspergatur.* S. Carolus Borromeus in *Concilio Provinciali III. tit. de iis, quæ ad Sacramenta, & Sacramentalia pertinent*, statuit, *ut singulis diebus Dominicis Sacerdos Missæ Parochialis Sacrum facturus antequam illud inchoet, aquam sale aspersam benedicendo renovet, eamque, ut moris est, aspergat* = Acta Ecclesiæ *Mediolanensis part.* 1. *pag.* 77., & Gavantus *part.* 6. *tit.* 19. *de Rubr. Benedict* affirmat nunquam omitti debere tali die hujusmodi aquæ aspersionem, & benedictionem.

Omni-

Omnibus rite perpensis, expendendum erit:

An, & qnomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.

Dilata, & ad mentem: & mens est quod Scribatur Archiepiscopo, qui proponat alia media ad sublevandum onus Capituli prosservato tamen semper servitio omnium Canonicorum in diebus Festis.

Reliquæ non propositæ.

S. SEVERINÆ IRREGULARITATIS. Delatum est Curiæ Ecclesiasticæ S. Severinæ Sacerdotem Franciscum Apa Oppidi Arcis Bernardæ, mentito proprij Ordinarij, & Cancellarij Caractere, Litteras Dimissoriales exarasse, quibus constabat ipsum peregisse examinis experimentum coram proprio Ordinario, & idoneum fuisse repertum: Legitimam præterea habere ætatem, & esse provisum de sufficienti Patrimonio, insuperque peractas fuisse in Ecclesia denunciationes, nullumque detectum impedimentum: Ulterius ab Apostolica Sede dispensationem obtinuisse, ut non servatis interstitiis, ad Sacros Ordines promoveri posset tribus diebus Festivis: Posse idcirco promoveri ab Episcopo Venafrano Vicario Generali Archiepiscopi Neapolitani, vel eo impedito, a quocumque Catholico Antistite: Delatum pariter est habuisse attestationem ab Episcopo Venafri impedimenti, cujus causa Ordinationes habere non posset, atque hisce suffultum documentis Ordines Sacros Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus diebus 17., 24., & 26. *Julii* anni 1769. suscepisse ab Episcopo Cajacensi, deindeque pluribus in Locis Missam celebrasse, & præsertim in Oppido Arcis Bernardæ. *Sess. 21. cap. 2. & Sess. 23 cap. 11., & 18. de Reform.*

Habita hujusmodi relatione, compertoque, quod Sacerdos Apa Messanæ moraretur, curavit Archiepiscopus, ut a Vicario Capitulari Messanensi in Carceribus detruderetur; & revera Carceribus mancipatus fuit die 4. *Novembris* anni 1770.. Dum veto ex Messana ad Carceres sui Ordinarii traduceretur, Regium ductus est, ubi fugam arripuit, & ad Urbem confugit. Anno 1773. preces obtulit san. mem. Clementi XIV., quibus immunem se esse dixit a crimine ex quo vinculis mancipatus fuerat. Preces remissæ fuerunt Sac. Congregationi, quæ illas rejecit die 7. *Septembris* ejusdem anni. Modo vero postulat, ut innoxius declaretur ab irregularitate,

vel saltem sibi facultas impertiatur, ut Missam in Urbe celebrare possit.

Conqueritur enim dictus Sacerdos Apa, quod Causa a suo Ordinario nunquam fuerit absoluta, licet a die impicti criminis quatuordecim anni jam effluxerint; Asserit, se pluries instetisse, ut vel condigna pœna plecteretur si reus, vel si innocens absolveretur. Neque Archiepiscopum excusari posse, quod Orator absens fuerit a Diœcesi; cum jura permittant reum etiam absentem condemnari, quoties de ejus crimine indubiæ habeantur probationes. Nec rejici posse a Sac. Congregatione, quia Causa pendet in Tribunali Ecclesiastico sui Ordinarii, cum denegata justitia per lapsum quatuordecim annorum justam præbeat causam confugiendi ad Judicem superiorem, ut ab isto judicium subeat, prout eveniisse ait in *Guardien.* 2. *Julii* 1770.

Post hæc inquit ad I. neminem irregularem dici posse, nisi constet de crimine, cui irregularitatis pœna sit infixa. Ad dignoscendum vero de crimine, producendum esse corpus delicti; quare Curia S. Severinæ procedere non poterat, nisi prius adhibitis omnibus solemnitatibus, a Curia Cajacensi extraxisset litteras Dimissoriales, quæ falsæ dicuntur; cumque id facere omiserit, neque modo suppleri possit, ex quo obierit Episcopus Cajacensis, qui Oratori Ordines contulit, ideo concludit deesse corpus delicti, & propterea non constare de irregularitate.

Singula postmodum recenset crimina, quæ ab Archiepiscopo ei objiciuntur, eaque non subsistere, nec probari contendit. Alienum a veritate esse sustinet, quod ad Primam Clericalem Tonsuram, & Minores Ordines promotus fuerit absque Patrimonio, nam in libris Communitatis nonnulla apparent descripta bona eidem in Patrimonium a Patre assignata, eaque de causa immunia ab oneribus Communitativis. Nec obesse, quod in iisdem libris bonorum reditus exprimatur in tenui summa, quæ taxam Synodalem ducatorum 25. minime adæquat; nam ex Peritorum relatione constat prædictorum bonorum reditus pertingere ad ducata 26., & neminem latet, quod bona in publicis Catastris minori pretio solent æstimari.

Minusque subsistere, quod ante legitimam ætatem Ordines susceperit, nam contrarium deprehenditur ex fide Communitatis, quæ singulorum Civium ætatem accurate describit, ut cum opportunum tempus advenerit illos ad onerum solutionem adigere possit. Fatetur quidem

dem deesse fidem Parochi ; sed contendit Parochum fuisse ab Archiepiscopo interdictum ne illam traderet. Negat demum falsas exarasse Dimissoriales ; Sustinet enim easdem Litteras recepisse a Sacerdote Paulo Sigillo, qui in Civitate Neapolis munere Procuratoris Archiepiscopi S. Severinæ fungebatur, & ab eodem Sacerdote Sigillo habuisse Breve Apostolicum dispensationis Interstitiorum ; Cæterum animadvertit tantam oscitantiam præsumi non posse in Episcopis Venafri, & Cajacensi, ut si revera Litteræ Dimissoriales falsæ fuissent, illas exequi vellent.

Ad II. contendit, ex hactenus deductis minime probari crimina, quibus ipsum illaqueatum esse existimat Curia Archiepiscopalis S. Severinæ ; Verum notat, quod etsi de iisdem criminibus, vel per propriam confessionem, vel per indubias probationes convictus esset, adhuc tamen dispensationem ab Irregularitate mereretur, cum summa prematur rei familiaris angustia, & fere quindecim anni effluxi sint a die commissi delicti, & toto hoc tempore vitam Ecclesiastico viro dignam duxerit, omnesque sui criminis maculas deterserit.

Archiepiscopus in binis Relationibus ad Sac. Congregationem datis, postquam statum quæstionis narravit, testatur Causam in sua Curia Ecclesiastica adhuc pendere indecisam, & quidem ex Oratoris culpa, qui nunquam coram Ordinario se sistere voluit, & propterea concludit ipsum super instantia, quam hodie proponit, audiri non debere, quemadmodum videri poterit ex iisdem Relationibus EE. VV. deferendis.

Irregularitatem certe incurrunt omnes, qui Ordines susceperunt sine proprii Episcopi scientia, & consensu; sic statuitur in *Cap. Veniens* 1. *de eo, qui furtive Ordinem susceperit*. Irregulares quoque evadunt promoti ad Ordines Sacros extra tempora a jure statuta sine Apostolica dispensatione = *Cap. Cum quidam* 8. *de temporibus Ordinat.*, in quo Urbanus III. scribens Archiepiscopo Pisano mandat = *Episcopum, qui die, quo non debuit Ordines celebravit, canonica disciplina corrigere, & Ordinatos a susceptis ordinibus tamdiu reddere debes expertes, donec apud nos restitutionis gratiam consequantur*. Eadem pœna afficiuntur falsificantes litteras proprii Ordinarii, vel Capituli : in *Cap. Tam litteris vestris* 33. *de test.*, *& attestat.* Innocentius III. hæc habet = *Archipresbyterum autem Lucanum, & G. Sacristam, qui contra prædictum Ele-*

ctum litteras nobis sub nomine majoris partis Capituli destinarunt (Cum constet per attestationes prædictas longe majorem partem Capituli non fuisse conscium hujusmodi litterarum) ab officio , & Beneficio denuncietis esse suspensos, donec mereantur nostram indulgentiam obtinere .

Pœnam irregularitatis quoque statuit Pius II. in Constitutione , quæ incipit *Cum ex Sacrorum* contra eos , qui sine dispensatione ante legitimam ætatem , vel absque Dimissorialibus Litteris proprii Episcopi ordinari præsumpserint . Dictam pœnam incurrunt , qui promoti fuerint sine sufficienti Patrimonio , quemadmodum late de hac re agit *Benedictus XIV. Instit.26. num.16.* . Nec demum irregularitatem evadunt , qui Ecclesiastica Censura irretiti Missæ Sacrificium celebrarunt . *Cap.Is,qui,de senten. Excom. in 6.* . De hisce omnibus criminibus inquisitus fuit Sacerdos Apa in Curia Ecclesiastica S. Severinæ ;videndum an de illis constet . Quatenus vero constaret de Irregularitate, videndum an reus audiri possit dum Causa pendet , & nondum est absoluta in Curia Ordinarii . Ponderandum an Reus saltem audiri possit , ex quo Curia Archiepiscopalis spatio quatuordecim annorum Sententiam proferre omiserit . In *Guardien.* BarbatusCuoco, qui Presbyteratus Ordinem susceperat cum falsis Litteris Dimissorialibus sui Ordinarii , & post Ordinationem nunquam Missam celebraverat , nondum lata contra ipsum sententia definitiva a Curia Ecclesiastica , supplex adiit san. mem. Clementem XIV. pro absolutione a suspensione , asserens quod jam a die commissi delicti novem anni effluxerint . Die 2. *Julii anni* 1770. ex audientia SSmi sequens prodiit rescriptum = *SSmus audita relatione Episcopi Guardien. committit Emo Domino Cardinali Columna Sanctitatis Suæ in Urbe Vicario, ut imposita Oratori aliqua salutari pœnitentia, eundem pro suo arbitrio a Censuris præmissa de causa incursis absolvat , Ipsumque ad obeunda munia Ecclesiastica , & ad Sanctum Missæ Sacrificium peragendum in Urbe , & intra limites status Ecclesiastici dumtaxat indulgeat . lib.* 120. *Decret. pag.*71. . Eoque deinde supplicante pro facultate celebrandi in quocumque Loco , & Diœcesi, die 29. *Julii anni* 1771. petitam facultatem obtinuit sub expressa tamen conditione , quod a Sacro peragendo in Civitate , & Diœcesi Guardiensi se abstineret .*lib.Decret.*121.*pag.*147.

Notandum , quod Orator post susceptionem Ordinum Sacrorum Missæ Sacrificium celebravit . Ponderandum ,

qui

qui fuerint ipsius mores antequam crimen perpetraret ; Advertendum an subinde resipiscentiæ signa indubia dederit . Quibus animadversis , decernent EE. VV.

I. *An constet de Irregularitate in casu &c.*

Et quatenus affirmativè .

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu &c.*

BENEVENTANA . Conradus Capicius Beneventanæ Ecclesiæ Archiepiscopus anno 1480. Capellam sub invocatione S. Antonij Patavini extruxit in Ecclesia Metropolitana . Sequenti anno Franciscus Capicius illius ex fratre nepos pro dote Capellæ Prædium assignavit , & in assignationis Instrumento reservavit sibi , suisque successoribus jus nominandi Capellanum , quem eligi semper voluit de gremio Canonicorum . Jussit præterea , ut qui nominationem fuisset assequutus , teneretur petere Institutionem a Curia Archiepiscopali . Hæc gesta sunt die 15. *Februarij* anni 1481. consentiente Capitulo , & approbante Archiepiscopo . *Sess. 25. cap. 9. de Reform.*

In Testamento , quo decessit Jo. Baptista Rubino exarato anno 1603. corpus suum humari mandavit in eadem Capella S. Antonij , cui legavit = *annui ducati cinquanta , delli quali se ne abbiano da celebrare Messe per l'anima di esso Signor Testatore , e delli suoi Predecessori , ed un Anniversario ogni anno in perpetuo* . Hujusmodi vero legatum transactione inita anno 1629. inter Capellanum , & Testatoris hæredes redacta fuit ad annua ducata 25. Hæreditas Jo. Baptistæ Rubino pervenit ad Familiam Margiaccam , illa vero Francisci Capicij delata est ad Marchiones Blanc . Cum anno 1777. vacasset Capellania , Franciscus Blanc ad illam nominavit Canonicum Jacobum Capitaneo ; Sed Ignatius Margiacca , putans jus sibi esse nominandi Capellanum pro Missarum celebratione demandata a Jo. Baptista Rubino , alium Capellanum nominavit , scilicet Canonicum Dominicum Rispoli , & Capellano nominato a Francisco Blanc recusavit annuam præstationem ducatorum 25. persolvere .

Non destitit Canonicus Capitaneo judicialiter agere in Archie-

chiepiſcopali Curia pro Legati ſolutione ; verum morte præventus judicium proſequi non potuit . Suffectus poſtmodum in ejus locum Canonicus Vincentius Limata , hic Decreto R. P. D. Auditoris SSmi curavit , ut Cauſa,tam ſuper validitate Inſtitutionis ad Capellaniam ſibi a Curia Metropolitana tributæ , quam ſuper præſtatione annui legati ducatorum 25. ad Sac. Congregationem ablegaretur ; quare eo inſtante , bina infraſcripta dubia judicio EE. PP. hodie ſubjiciuntur .

Ad I ſuſtinet Canonicus Limata ſibi utpote a Patrono nominato competere inſtitutionem , & valide potuiſſe Marchionem Blanc tanquam Patronum nominare , cum ſit in poſſeſſione nominandi juxta ſtatus annorum 1698 , 1756. , & 1777. ; hinc rite a Curia Eccleſiaſtica datam ſibi fuiſſe Inſtitutionem . Suſtinet inſuper competere tantummodo Marchioni Blanc jus nominandi , quia ipſe deſcendit a Familia Capicia , cujus favore in actu erectionis Capellaniæ patronatus activus fuit reſervatus . Perperam vero objici Capellaniæ extinctionem , quia Altare S. Antonij, ſub cujus invocatione fuerat erecta,deſtructum ſit ; nam Altare deſtructum non fuit , ſed in elegantiorem formam redactum anno 1692. , & pro illius manutentione perſolvit Capellanus quolibet anno ducata 4. , illudque uſque ab anno 1712. deſcriptum reperitur in Inventario bonorum Capellaniæ . Cæterum advertit , quod etſi Altare deſtructum fuiſſet , non inde ſequeretur, quod perierit etiam Capellania , & Patronus a jure nominandi ceciderit . Minuſque impugnari poſſe extinctionem Capellaniæ ob dotis defectum , cum Franciſcus Capicius dotem conſtituerit , quæ ſi fuit imminuta , non tamen periit in totum , cum extet adhuc vinea Emphyteutica, & extet inſuper annuum Legatum ducatorum 25. Beneficiato ab hæredibus Rubino perſolvendum .

Addit præterea abſque ulla ratione contendere Ignatium Margiacca ad ſe ſpectare deſtinationem Sacerdotis pro ſatisfactione Miſſarum , cum Legatum a ſuo auctore relictum fuerit Capellæ , proindeque Capellano incumbere onus adimplementi . Quare infert ad II. Dubium injuria detrectare dictum Ignatium annuam Legati præſtationem, ad quam judiciali etiam ſententia anno 1725. confirmata, ipſius Familiæ adacta fuit .

Ignatius Margiacca , licet diu expectatus , & pluries monitus , jura ſua deducere minimè curavit .

Emus Archiepiſcopus plura de ſtatu quæſtionis refert,prout videri poterit ex ejus relatione , quæ inter documenta

Cau-

Cauſæ habetur ; concludit tamen , quod = *Utriuſque Partis juribus per me attente libratis ea , quæ a Capellano allata ſunt , tum in poſſeſſorio , tum in petitorio meliora , ac potiora mihi videntur .*

Regula eſt , quod inſtitutio ad Beneficium debetur ei , qui legitimè fuit a Patrono præſentatus *Text. in Cap. Monaſterium 16. quæſt. 7.* . Cum autem Canonicus Limata ad Capellaniam S. Antonij Patavini nominationem obtinuerit a Marchionibus Blanc hæredibus Familiæ Capiciæ , & in vim hujus nominationis inſtitutionem a Curia Archiepiſcopali reportaverit , hinc de viribus nominationis inquirendum eſt , ut inde ſtatui poſſit , an ritè inſtitutus fuerit . Præ oculis habendum eſt inſtrumentum fundationis anni 1481. , nec non nominationes expletæ annis 1698. , 1756. , & 1777. , & videndum , an Marchio Blanc hiſce monumentis ſuffultus legitimè nominare protuerit Capellanum . Hæc de primo dubio ; Ad II. quod ſpectat , putat *Fargna in commentar. ad ſingulos Canones de jure-pat. part. 2. can. IV. caſ. 3. num. 3.* , quod Legatum Miſſarum factum intuitu Eccleſiæ eſt adimplendum per Rectorem ejuſdem Eccleſiæ ; quare ſerio ponderanda eſt diſpoſitio Jo. Baptiſtæ Rubino , ut dijudicari poſſit , num jure , vel injuria Ignatius Margiacca detrectet ſubminiſtrare Canonico Limata annuam præſtationem ducatorum 25. Ponderandæ ſunt ſententiæ latæ annis 1710. , & 1725. , nec abs re erit ad examen revocare conſuetudinem huc uſque ſervatam . Hiſce perpenſis decernent EE. VV.

I. *An ſuſtineatur Inſtitutio in caſu &c.*

II. *An , & a quo tempore Familia Margiacca teneatur ad præſtationem annuorum ducatorum viginti quinque in caſu &c.*

RECINETEN. REDUCTIONIS MISSÆ CONVENTUALIS . Capitulum Collegiatæ Eccleſiæ S. Mariæ Caſtri novi Civitatis Recineti ex Præpoſito , & novem aliis Participantibus conſtituitur . Capitulares , qui & Altariſtæ quoque vocantur , nullam habent Præbendam , omneſque illorum reditus conſiſtunt in Diſtributionibus quotidia- *Seſs. 25. cap. 4. de Reform.*

dianis, quæ ducto calculo per decennium, & detractis expensis, vix ascendunt ad annua scuta 18. pro quolibet. Onus habent quotidie Choro interessendi, quin ulla fruantur vacatione infra annum. Applicant quotidie Missam Conventualem pro Benefactoribus, cujus eleemosyna a Distributionum Massa detrahitur; Onus hujusmodi applicationis grave nimis esse contendunt; supplicant propterea, ut eximantur ab onere applicationis diebus feriatis, illudque ad solos dies Dominicos coerceatur.

Episcopus de expositorum veritate testatur, & votum aperiens ait = *Ego quidem perpendens æquitati esse consonum, quod Oratores efflagitant, petitam potestatem per EE. VV. ipsis fieri posse crederem.*

Quamvis juxta Constitutionem San. Mem. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas*, ab omnibus Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis applicanda quotidie sit Missa Conventualis pro Benefactoribus, nihilominus in casu tenuitatis redituum laudatus Pontifex sic disponit §. 19. d. Constitutionis = *Reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere, cujus erit perspecto a vestris Relationibus rerum statu auctoritate Apostolica a Prædecessoribus nostris eidem impartita, & a nobis etiam præsentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut alias ad Festos tantum dies reducere.*

Sac. Congregatio quoties de reddituum insufficientia revera constiterit, reductionem fuit impartita, ut *in Alexandrina Missæ Conventualis* 23. *Novembris* 1776., *& in Placentina Missæ Conventualis* 1. *Martij* 1777., *& in Ilcinen.* 14. *Septembris* 1782. Dijudicabunt itaque EE. VV.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Die

Die Sabbathi 24. Januarij 1784. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

DIgnabuntur Emi PP. reſumere Folium diei 10. currentis menſis, in quo deprehendent Cauſas, quæ in poſtrema Congregatione deciſæ non fuerunt. Has vero, cum aliis in præſenti Folio relatis, hodierna die definient.

SANCTÆ SEVERINÆ IRREGULARITATIS.

I. *An conſtet de Irregularitate in caſu &c.*
Et quatenus affirmative.
II. *An ſit conſulendum SSmo pro diſpenſatione in caſu &c.*

Seſs. 21. cap. 2. Seſs. 23. cap. 6. & 18. de Reform.

Ad I. Affirmativè.
Ad II. Negativè, & ad mentem.

BENEVENTANA.

I. *An ſuſtineatur Inſtitutio in caſu &c.*
II. *An, & a quo tempore Familia Margiacca teneatur ad præſtationem annuorum ducatorum vigintiquinque in caſu &c.*

Seſs. 25. cap. 9. de Reform.

Ad I. Affirmativè.
Ad II. Affirmativè a die omiſſæ Solutionis.

Sefs.25. cap. 4. de Reform.

RECINETEN. REDUCTIONIS MISSÆ CONVENTUALIS.

An, & quomodo fit locus reductioni in casu &c.

Prò gratia reductionis ad dies Dominicos, & festos de præcepto.

Sefs.24 cap.14. de Reform.

BONONIEN. NULLITATIS ELECTIONIS. Cum per liberam dimissionem Sacerdotis Stephani Landi factam in manibus Emi Ordinarij vacaverit Ecclesia Parochialis S. Cassiani Communis Rignani, Homines ejusdem Villæ, ad quos spectat Patronatus activus dictæ Parochiæ, ad novi Parochi nominationem devenerunt. Habitis proinde Comitiis die 2. *Martij* anni 1782. sex propositi fuerunt concurrentes Sacerdotes, quos inter majorem suffragiorum numerum retulit Sacerdos Sanctes Alvisi; Habuit enim vota favorabilia decem & octo, contraria duodecim. Peractis Comitiis, rumor invaluit, quod simoniaca fuerit nominatio. Preces nomine Communitatis datæ fuerunt Emo Cardinali Archiepiscopo Bononiæ, quibus narratum fuit suffragia a Sacerdote Alvisi fuisse pretio comparata. Non destitit Emus Archiepiscopus rem totam diligentius investigare; confectoque Processu, ac requisita aliquorum Canonistarum, & Theologorum sententia, omnia detulit ad Sac. hanc Congregationem, ut quid agendum foret significaret; Instetit tamen Sacerdos Alvisi, ut quæstionis examen remitteretur ad eundem Emum Archiepiscopum. Sed placuit SSmo Domino Nostro, ad preces Promotoris Fiscalis, illud ablegare ad Sac. Congregationem, cui bina inferius transcripta Dubia definienda proponuntur.

Ad I. contendit Promotor Fiscalis simoniacam esse nominationem Sacerdotis Alvisi, idque ex pluribus conjecturis desumi, ac primo quidem ex publica voce & fama, quæ tam ante, quam post completum nominationis actum in toto Rignani Oppido percrebuit, & ad finitima etiam loca diffusa est; Hanc autem diffamationem ortam fuisse ex illicitis pactionibus, & pravis modis adhibitis a dicto Sacerdote Alvisi, ejusque germano fratre ad extorquenda, & comparanda Electorum suffragia; Hujusmodi vero diffamationem obicem præbere affectioni Parochiæ

ob

ob ſcandalum Populi, qui Paroeho diffamato non obtemperaret, nec ejus monita audiret. Accedere etiam, quod ante nominationis tempus Fratres Alviſi convivia parârunt, dona dederunt ad carpendam Electorum benevolentiam; Imminente vero electionis die, litem, quam habebant cum nonnullis ex Electoribus, tranſegerunt, & conventam in Tranſactione pecuniam depoſuerunt ſub expreſſa conditione, ut illa exigi non poſſet, niſi poſtquam electio fuiſſet ſecuta. Hæc non alio animo facta fuiſſe, quam ad comparanda Electorum ſuffragia.

Perperam objici Sacerdotem Alviſi ignarum prorſus fuiſſe de his omnibus, quæ ab ejus germano Fratre gerebantur, cum ex ejus confeſſione oppoſitum probetur. Verum ſuſtinet nihil prodeſſe Sacerdoti Alviſi ignorantiam, cum nec ignorantia, nec bona fides electionem ſimoniacè factam convalidare poſſunt. Spernendam vero eſſe depoſitionem Joſephi Cava, & Preces ab Hominibus Rignani porrectas Emo Archiepiſcopo poſt Proceſſus compilationem, cum dictus Cava in primo examine ingenue depoſuerit quidquid a Fratribus Alviſi geſtum fuerat, & hanc depoſitionem, utpote emiſſam tempore non ſuſpecto, attendendam eſſe, maxime quia ſecunda depoſitio ad ſugeſtionem Jo. Alviſi exarata dignoſcitur. Preces vero, cum ſignatæ appareant ab Hominibus, qui ſcribere neſciunt, ſuſpicionem inducunt, quod fuerint ad opportunitatem expiſcatæ.

Probata nullitate nominationis, contendit ad II. Dubium Sacerdotem Alviſi non poſſe ad Parochiale Beneficium admitti.

Sacerdos Santes Alviſi, & Homines Communis Rignani, licet moniti, ſua jura minime deducere curarunt.

Emus Archiepiſcopus de ſua ſententia rogatus ait = *Quæ vero ſit animi mei hac de re ſententia, quoniam Emi Patres id expoſcunt, dicam aperte, eam plane conſonam eſſe voto quatuor Theologorum, & juris Canonici peritorum, quos in conſilium adhibui, a quo quidem voto, ne recederem, tanto major fuit mihi religio. quanto alacrius a Viro ſæculari in utroque jure, ſi quis alius, admodum præſtanti, cujus examini illud ſubjeci probatum, commendatumque maximè fuit.*

A Simonia plurimum abhorruit Eccleſia. Habemus in *Act. Apoſtolorum cap.* 8. quod S. Petrus acriter redarguit audaciam *Simonis* Magi, qui Spiritus Sancti dona pretio conſequi præſumpſit. Pari conſtantia, & Zelo quotquot fuerunt in Petri Cathedra Succeſſores hoc ſcelus objur-

garunt, prout patet ex Conſtitutionibus hac de re editis, quibus Simoniaci Dignitatibus, & Beneficiis privantur, aliiſque Eccleſiaſticis pœnis plectuntur. Committitur Simonia, ſi in electione ad Eccleſiaſtica Beneficia, Electorum ſuffragia pecunia, vel alia re temporali quis comparare ſtudeat. *Fagnanus in Cap. Nobis de Simonia num.* 1., *et num.* 3. cum pluribus ſequentibus, ſuſtinet ſimoniacam eſſe electionem, non modo cum pecunia omnibus Electoribus, ſed etiam cum uni tantum promittitur.

Diſputant Doctores an Proviſio Beneficii ſimoniace facta, ſit ipſo jure nulla, ne dum in caſu, quo promiſſio ab utraque parte completa fuerit, verum etiam quando, pecuniæ conventæ traditio ante electionem non eſt ſecuta. Quæſtionem hanc illuſtrat *Garzias de Benefic. part.* 8. *cap.* 1. *fere per totum*, & poſt quam ſingulorum opiniones retulit, concludit, veram eſſe ſententiam eorum, qui tenent, quod Proviſio, Collatio, ſeu alia Diſpoſitio Beneficii per ſimoniacam conventionem facta, ſit nulla, etiam ſi promiſſio temporalis, ſeu conventio, & pacta non ſint executa; Advertit etiam quod diſpoſita a Paulo II. *in Extravagant. Cum deteſtabile verſ. Per electiones vero, inter Comm.* ad ſolam ſimoniam realem ex utraque parte completam abſque manifeſta violentia reſtringi non poſſunt. Huic ſententiæ adhæret etiam *Fagnanus loc. cit. num.* 6. *, & 7.*

Dubitatum etiam fuit, an electio Simoniaca dici debeat, quando præmium Electoribus promittitur inſcio ipſo Eligendo; Hac de re requiſitus *Cæleſtinus* III. ſic reſpondit. *Nobis fuit ex parte tua intimatum, quod cum quatuor eſſent a Capitulo conſtituti, qui debeant quemdam eligere in Plebanum, Amici ejus, de cujus electione, ſpes habebatur, uni, vel omnibus eligentium promiſerunt, ſe pecuniam ſoluturos, eo tamen ignorante, qui hujuſmodi promiſſione interveniente poſtmodum eſt electus; Quia igitur ſuper hoc conſulere nos voluiſti, Conſultationi tuæ breviter reſpondemus, quod niſi conſtaret, illos, qui promiſſum tale fecerunt per fraudem in diſpendium illius, qui eligendus erat, id malitioſe feciſſe, quamvis ipſe promiſſionis conſcius non fuerit, ejus tamen electio, tanquam ſimoniaca pravitate præſumpta, eſt penitus reprobanda. Cap. Nobis* 27. *de Simonia*.

Hiſce in jure animadverſis, ponderandum in facto eſt, an electioni Sacerdotis Alviſi pacta, promiſſiones, & munera præceſſerint. Videndum, an id conſtet ex Proceſſu exarato a Curia Archiepiſcopali. De probationum qualitate in materia Simoniæ advertendum, quod *Innocentius*

tius III. in cap. Per tuas 32. de Simonia verſ. Ille quidem ſic diſponit = *Ille quidem Pompoſianus Abbas , qui jam pridem renunciavit Mundo,erat de Simonia , perjurio , dilapidatione , ac inſufficientia graviter infamatus . Cumque per Monachos,qui juraverant perhibere teſtimonium veritati , ſimonia multis modis videretur eſſe probata , ipſe contra teſtes multas exceptiones oppoſuit , conſpirationes videlicet , inimicitias capitales , furtum , & adulterium , ut eos a teſtimonio removeret . Hos vero (ne innocentiæ puritas confuſa ſuccumberet , vel ſimoniæ pravitas effugeret impunita] illas dumtaxat exceptiones probandas admiſimus , quibus forte probatis , teſtes non zelo juſtitiæ , ſed malignitatis fomite proceſſiſſe conſtaret : ut conſpirationes , & inimicitias capitales : cœteras autem exceptiones , ut furti, & adulterii propter immanitatem hæreſis ſimoniacæ (ad cujus comparationem , cætera crimina quaſi pro nihilo reputantur) duximus repellendas : quoniam , & ſi probatæ , fidem Teſtium debilitarent in aliquo , non tamen evacuarent ex toto , aliis adminiculis ſuffragantibus , præſertim cum teſtes de crimine fuerint emendati . Tales igitur contra talem taliter duximus admittendos : non ſecundum rigorem juris ,ſed ſecundum temperantiam æquitatis : cum ageretur non criminaliter , ut deponeretur ab ordine ; ſed civiliter , ut ab adminiſtratione amoveretur tamquam immeritus , & damnoſus . Et utique tales Prælati ex levioribus cauſis poſſunt ab adminiſtrationibus amoveri,ſicut quorundam Religioſorum approbata conſuetudo depoſcit ; unde prædictus Abbas,non expectata Sententia, quaſi malè conſcius ſibi ceſſit .*

Poſt hæc definient EE. VV.

I. *An conſtet de nullitate nominationis in caſu &c.*

Et quatenus negativè .

II. *An ſit danda Inſtitutio in caſu &c.*

Dilata , & impinguetur proceſſus juxtà inſtructionem D. Secretarii .

Reliquæ non propoſitæ .

CO-

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

COMEN. BENEFICII. Per actum inter vivos Pia Mulier Catharina Taffini Paravicini anno 1690. dotem constituit pro Beneficio in Canonicatum erigendo in Archipresbyterali Ecclesia S. Georgei loci Montanæ Vallis Tellinæ. Exortis tamen nonnullis difficultatibus inter ipsam Catharinam, & Archipresbyterum, ac Homines dicti loci Montanæ super modo perficiendi erectionem dicti Canonicatus; factum hinc est, ut anno 1697. unanimi partium consensu, & approbante Episcopo Comensi, Beneficium hujusmodi ad Oratorium Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti Oppidi Sondrii ejusdem Vallis Tellinæ translatum fuerit. Patronatum activum sibi, Viro, & suis descendentibus Catharina reservavit; in istorum defectui substituit descendentes Masculos Annæ Mariæ, & Angelæ Mariæ Moroni: quibus pariter deficientibus, illum detulit filiis Petri Pauli Paravicini: quibus non extantibus, deferri voluit Sodalibus dictæ Confraternitatis SSmi Sacramenti Oppidi Sondrii, sub expressa tamen conditione, quod Sodales tenerentur Rectoris nominationem explere cum interventu Archipresbyteri ejusdem loci.

De patronatu vero passivo disponens sic ait = *Venendo il caso di qualche elezione dopo la morte del Reverendo Signor D. Antonio Tommaso Moroni*, qui ab ipsa Fundatrice fuerat nominatus = *quella debba farsi in uno delli sopradetti descendenti maschj colla prelazione soprascritta, con questa dichiarazione però, che essendovi soggetti capaci di detto Beneficio debba essere preferito il più povero, ed essendovene di egualmente poveri, il più abile, ed essendovene di egualmente abili, il maggiore di età sia preferito*. Per obitum Sacerdotis Antonii Sertorii ultimi possessoris vacavit dictum Beneficium; hinc Simon Grammatica, Jo: Baptista Casati, & Joseph Abbiati tanquam passive vocati ad dictum Beneficium, institui petierunt in Curia Episcopali Comensi. Vicarius Generalis die 21. *Augusti* anni 1778. sententiam tulit, qua declaravit d. Grammatica, Casati, & Abbiati esse passivè vocatos, & Clerico Abbiati, præ cæteris juxta legem fundationis qualificato, competere prælationem; verum eidem obstare defectum originis: Atque hæc de Clerico Abbiati; Quo vero ad alios duos concurrentes Grammatica, & Casati mandavit coadjuvari probationes super uniscujusque paupertate.

Post hæc Simon Grammatica liti renunciavit, & Clericus Abbiati, quamvis originarius non esset, nihilominus cu-

curavit, ut habilis ad assequendum Beneficium fieret, quare, resumpta causa, Vicarius Generalis die 7. *Januarij* anni 1780. decrevit, Clericum Abbiati esse instituendum. Ab hoc decreto appellavit Clericus Casati; sed Appellatio fuit admissa tantum in devolutivo. Hinc dictus Casati confugit ad SSmum Dominum Nostrum, qui illius preces ad Sac. Congregationem remisit; Qua de re judicium Eminentissimorum PP. super dubiis inferius transcriptis hodie exquiritur.

Ad I. inquit Clericus Casati tum ex juris dispositione, tum etiam ex fundationis lege ad controversum Beneficium illum esse præferendum, qui præ cæteris majori prematur paupertate; Suam paupertatem præ cæteris majorem esse contendit, cum, defuncto Patre, confectoque bonorum hæreditariorum inventario, compertum fuerit, paternam hæreditatem adeo esse ære alieno obrutam, ut insufficiens omnino foret ad sibi alimenta præstanda, & nihilominus teneri alimenta præbere Matri viduæ, nec non Fratri annorum duodecim, & tribus Sororibus, quarum major decimum ætatis annum non excedit. Contra vero Clericum Abbiati Matrem dotatam habere, & duos Fratres, a quibus non leve subsidium consequi potest; Ipse vero munere fungitur Ludi Magistri in Collegio Comensi cum annua mercede sc. 100., quæ ad propriam sustentationem sufficiunt. Ex his igitur satis resultare, paupertatem suam graviorem esse.

Perperam objici, quod idem Clericus Abbiati, tum ætate, tum scientia sit major; nam advertit, non agi de Beneficio curato, sed tantum de Beneficio simplici, ad quod juxta fundationis legem præferri debet, qui sit magis pauper, & hoc unum requisitum, posthabitis aliis, esse considerandum.

Addit, præter paupertatem, deèsse etiam Clerico Abbiati requisitum originis; Nec obesse, quod habilis fuerit declaratus, cum habilitatio subdole extorta sit, non expresso jure alteri ex passivè vocatis quæsito. Habilitationem vero, inspecta juris communis dispositione, prodesse tantummodo posse, si infra Quadrimestre Patronis ad præsentandum concessum fuisset superventa. Cæterum contendit, Fundatricem voluisse, ut ex passivè vocatis ille præferretur, qui de tempore vacationis habilis repertus fuisset; Quare cum de tempore vacationis Clericus Abbiati habilis non fuerit, perperam proinde illum fuisse a Curia Comensi prælatum.

Ad II. sustinet, a Sententia Vicarii Generalis appellationem

nem ad ſedem Apoſtolicam fuiſſe interpoſitam, & hac non obſtante appellatione, Clericum Abbiati Beneficij poſſeſſionem nactum fuiſſe; attentatam ideirco fuiſſe poſſeſſionem apprehenſam pendente recurſu, fructuſque omnes ab ipſo perceptos reſtituere debere, cum ſit malæ fidei poſſeſſor, & ab injuſta ſententia jus ſuum defumat.

Clericus Abbiati, licet judicialiter requiſitus, & diu expectatus nunquam comparuit.

Epiſcopus narrat ea, quæ in Curia Eccleſiaſtica Comenſi geſta fuerunt; ſed ſuam ſententiam non pandit, prout ex ejus relatione, quæ circumfertur.

Præ oculis habenda eſt Beneficij fundatio; ex ea namque patebunt requiſita, & qualitates a Fundatrice volitæ. Hac igitur perpenſa, dignabuntur Emi PP. decernere.

I. *An, & cui competat prælatio, itaut Decretum Epiſcopi ſuſtineatur in caſu &c.*

II. *An conſtet de attentatis, & quomodo ſint purganda, & cui reſpective conſignandi, ſeu reſtituendi fructus in caſu &c.*

Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.

URBINATEN.; SEU ARIMINEN. Jam alias in Sac. Congregatione ad examen revocata eſt pia diſpoſitio Marci Aurelii Gisgoni Ariminenſis, qui cum in Germania apud Leopoldum Imperatorem Auguſtum eſſet inſignis Prothomedicus, ſuum anno 1683. condidit teſtamentum in Civitate Lentiæ. In hoc teſtamento univerſæ ſuæ hæreditatis compendium detulit Eleonoræ ejus Filiæ, cui in pupillari ætate, vel abſque Filiis decedenti ſubſtituit Pauperes, & Hoſpitale Ariminenſe indicta lege, *che tutto quello laſcio, e reſta del mio venga fondato, ed inveſtito in Rimino mia Patria ſopra beni ſtabili, e da frutti ſi caveranno da tali Capitali, ſiano due terzi diſtribuiti annualmente fra li poveri biſognoſi di detto Luogo, con preferire però quelli della Caſa, ſe ve ne ſaranno, l'altro poi terzo ſia impiegato a beneficio dell'Oſpedale di Rimino.*

Obiit

Obiit Eleonora sine filiis;; hinc Hospitale istius hæreditatis possessionem apprehendit.

Anno 1696. San. mem. Innocentius XII. ad preces Pauperum Invalidarum, & Puellarum Ariminensium hæreditatem Marci Aurelij in tres partes dividi jussit, atque unam pro dotandis Puellis erogari mandavit, alteram verò in levamen Pauperum invalidarum deservire præcepit, tertiam denique Hospitali assignavit. Eo tempore regebat Ariminensem Ecclesiam Cardinalis Curtius, qui obsequens Pontificiæ dispositioni tribuit Hospitali Ariminensi unam ex tribus partibus hæreditatis Gisgoni, ex aliis verò duabus partibus distribui jussit quolibet anno quinque subsidia dotalia sc. 30., & in unoquoque triennio alterum subsidium scutorum Centum alicui Puellæ Nobili Ariminensi; Superextantes verò reditus fœminis invalidis assignavit.

Cum autem Testator jussisset, ut in eleemosynarum partitione præferrentur descendentes de sua familia, hinc Gineuræ de Rubeis assignata fuerunt annua scuta duodecim, & hujusmodi præstatio aucta est ad summam usque scutorum 18. favore ejus filiorum. Deindè verò alii Descendentes similia subsidia consecuti sunt, & præsertim Lucas Alexandri. Cum autem dictus Lucas e vivis decessisset, Rosa, & Geltrudes illius germanæ Sorores supplicarunt Sanctissimo Domino Nostro, ut ex reditibus hæreditatis Gisgoni aliquod ipsis fieret assignamentum, attenta gravi, qua premebantur, egestate. Remissæ fuerunt preces ad hanc Sac. Congregationem; sed cum interim obiisset Rosa, instantiam prosequitur Geltrudes altera Soror, quæ EE. VV. pietatem implorat.

Satis, inquit, probatam esse suam a Testatore descendentiam, cum sit consanguinea Nicolai Alexandri, & germana Soror Lucæ Alexandri, qui subsidia sunt consequuti; Nec dubitari posse de paupertate, cum nihil aliud possideat, quam Capitale sc. 133. titulo Dotis ei assignatum, a quo alimenta, quibus sustentari possit, nequaquam percipit; cumque nimia egestate laboret, & a Testatore descendat, etiam ex præsumpta ejusdem Testatoris voluntate sibi aliquam annuam præstationem ab hæreditate Marci Aurelii Gisgoni deberi sustinet. Quam quidem præstationem eo fortius assequi confidit, quia dictus Marcus Aurelius, expressè voluit, ut in eleemosynarum distributione pauperes suæ Domus præferrentur.

Nec obesse, quod in commutatione voluntatis facta a san. mem. Innocentio XII. nulla habita fuerit ratio pauperum

descendentium a Familia Gisgoni, nec quod Testator non respexerit ad Familiam Alexandri Vrbini degentem, quamvis illius paupertatem non ignoraverit; Respondet enim ad primum, ideo Pontificem nullam in suo Brevi mentionem fecisse de Pauperibus Familiæ Gisgoni, quia ignoravit prælationem a Testatore tributam pauperibus suæ Familiæ; Ad secundum verò advertit, sub generali illa expressione *de poveri di sua Casa* comprehendi familiam Alexandri; nam Testator, dum nominavit pauperes suæ Familiæ, de omnibus indistinctè rationem habuit.

Contra verò Hospitalis Moderatores sustinent, nullam Oratricem consequi posse annuam præstationem ex reditibus hæreditatis Gisgoni, quia a Testatore in eleemosynarum distributione ejus familia minime fuit contemplata; Fatentur quidem, Marcum Aurelium suæ hæreditatis reditus Pauperibus dividi voluisse, & hos inter, prætulisse pauperes consanguineos, sed hujusmodi prædilectionem ad illos tantum consanguineos coercitam fuisse, qui Cives essent Ariminenses, non autem ad alios, qui essent ex alia Civitate; Nec prodesse alia similium largitionum exempla, nam exempla non sunt alleganda pro gratia, præsertim quia decursu temporis alii remotiores insurgerent in præjudicium pauperum Ariminensium. Cæterum advertunt, Oratricem suam paupertatem minime probare, nec revera pauperem dici posse, cum nonnulla bona stabilia possideat.

Archiepiscopus Vrbini testatur, Oratricem pauperem esse, & Marco Aurelio Gisgoni in remoto gradu propinquam. Suam verò Sententiam aperiens ait = *Rosa, ac Geltrudes Alexandri Sanctissimo D. N. elapso anno preces direxerunt, ut sicuti Lucæ Fratri hæreditariorum bonorum census Patrimonii Gisgoni pars fuit collata tamquam Testatori affinitate conjuncto, ita pari ipsis quoque rationum argumento ad illarum inopiæ levamen ejusdem emolumenti, ac fortunæ consortes efficerentur. Interea paucis ab hinc mensibus Rosa diem clausit extremum. Superstitem autem Sororem Geltrudem Oratricem in ætate annorum 48. constitutam, utpote senectuti proximam, tenui aliquo Gisgoniæ hæredtiatis commodo dignam existimo.*

Episcopus Ariminensis plura refert, ne Oratricis petitioni indulgeatur, ut videre est ex ejus relatione, quæ dabitur inter monumenta Causæ.

Dum agitur de Piorum Legatorum distributione, spectanda est Testatoris voluntas, & serio perpendendæ concurrentium qualitates. *Card. de Luca de jurepatronat. disc.*

disc. 18. *num.* 3. Quandoque ex præsumta Testatoris voluntate pauperes coniuncti exteris præferri debent *Piringh. in lib.* 3. *decret. tit.* 26. *num.* 12. Certum est, Marcum Aurelium Gisgoni in eleemosynarum partitione præferri voluisse pauperes *della sua Casa, se ve ne saranno*. Ponderandum an sub hac expressione Oratrix comprehensa dici possit, vel potius ei obstet defectus originis. San. me. Clemens XIV. anno 1772. Lucæ Alexandri germano Oratricis fratri assignavit annua sc. 36. Hoc exemplum sequuta est Sac. Congregatio, in causa *Urbinaten., seu Ariminen.* Nam postulantibus Mariano, & Nicolao Alexandri aliquod annuum subsidium ex præfata hæreditate, propositoque dubio = *An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum*, die 9. *Julii anni* 1774. responsum prodiit, *Consulendum SSmo pro applicatione annuorum scutorum* 18., *detrahen. ex subsidiis Dotalibus favore Nicolai tantum, in reliquis negative*.

Videndum itaque.

An, & quomodo Oratricis precibus sit annuendum in casu &c.

VADEN. In Oppido Mercatelli ab antiquo tempore erecta reperitur Collegiata Ecclesia. Alteri ex ejusdem Collegiatæ Præbendis unita fuit Parochialis Ecclesia S. Andreæ in Valle Casola, quæ a dicto Oppido Mercatelli spatio duorum milliariorum distat. Placuit san. mem. Urbano VIII. Ecclesias Vadensem, & Urbanien-sem in Cathedrales erigere; Cumque illarum confinia divisa fuerint, jurisdictioni Ecclesiæ Urbanensis addictum fuit oppidum Mercatelli: Parochialis vero Ecclesia Sancti Andreæ Vallis Casulæ, utpote existens in Territorio S. Angeli in Vado, remansit in districtu Ecclesiæ Vadensis. Post divisionem Cura Animarum Parochiæ S. Andreæ non ea, qua par erat, diligentia administrari cæpit; quare anno 1654. jussu Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium mandatum fuit, ut Canonicus, qui in ea munus Parochi exercebat, teneretur propriis sumptibus Vicarium retinere. Jussa Sac. Congregationis executa fuerunt, & pro congrua Vicarii Curati adactus fuit Canonicus ad præstationem Salmarum sex Frumenti, & Cadorum quindecim Musti, *Sess.* 7. *cap.* 7. *de Reform.*

præter emolumenta incerta, quæ ab exercitio Curæ obvenirent. Adactus præterea fuit Canonicus Curatus ad subministrationem ceræ, aliorumque utensilium, quæ pro Sacramentorum administratione fuissent necessaria.

Canonicatum, cui est adnexa Parochia S. Andreæ, possidet modo Sacerdos Jo. Maria Bani, qui ex reditibus Parochiæ percipit annua sc. 76. 23. & insuper lucratur quotidianas distributiones ratione Præbendæ Canonicalis. Modernus Episcopus advertens, quod in dicta Parochia S. Andreæ exercitium curæ animarum negligeretur, ita ut plures absque Sacramentis decederint; Fideles Christianæ doctrinæ pabulo destituerentur; Vicarius mercenariorum more deserviret, & gregem sibi commissum desereret; omnia hæc damna retulit SSmo Domino Nostro, supplicavitque, ut ad ea removenda, constitueretur in Parochia Vicarius perpetuus cum onere residentiæ, qui ad instar Juris patronatus Ecclesiastici eligendus esset ad nominationem Canonici, cui eadem Parochia est adnexa, & cum onere Canonico injungendo subministrandi Vicario congruam in quantitate ab Episcopo juxta Diœcesis stilum, & habita ratione ad reditus Canonicatus præfiniendam. Hujusmodi instantia ad Sac. Congregationem remissa fuit; quare rogantur hodie Eminentissimi Patres decernere quid hac in re statuendum sit.

Concilium Tridentinum ad providendum Curæ animarum, & ne Fideles spirituali auxilio fraudarentur, statuit *Sess. 7. cap. 7. de reform.*, ut *Beneficia Ecclesiastica Curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, Beneficiis, seu Collegiis, aut Piis locis quibuscumque perpetuo unita, & adnexa reperiuntur, ab Ordinariis Locorum annis singulis visitentur, qui sollicite, providere procurent, ut per idoneos Vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiæ partis fructuum, aut majori, vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione etiam super certa re assignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur: appellationibus, privilegiis, & exemptionibus, minime suffragantibus*. Hanc Concilij dispositionem nedum probavit S. Pius V. in constitutione, quæ incipit = *Ad exequendum* = edita die 1. *Novembris* anni 1567., verum etiam illius executionem omnibus Episcopis commendavit, addiditque, ut nominatio Vicarij perpetui ad illum spectaret, cui Parochia erat unita, & congrua

non

non esset major centum, nec minor scutorum quinquaginta.

Huic dispositioni adhærens Sac. Congregatio, deputationem Vicarij perpetui in Parochialibus Ecclesiis Monasterio vel Collegio unitis fieri mandavit, ut in *Acernen. anno* 1646. *In Isernien.* 2. *Junij* 1696., *& in Romana Curæ S. Marci* 28. *Januarij* 1700. Cum autem Cur. S. Andreæ Vallis Calulæ certæ Præbendæ sit unita, hinc videndum, an in præsenti casu locum habeat, quæ pro Ecclesiis Curatis Collegio, vel Monasterio unitis statuta sunt. *Barbosa ad cap.* 7. *sess.* 7. *Concilij Tridentini n.* 23. sustinet, pendere ab arbitrio Episcopi deputationem Vicarij perpetui Parochialium, quæ Archidiaconatui, seu aliis Dignitatibus, vel Canonicatibus sunt unitæ.

Advertendum est, quod super Episcopi instantia interpellati fuerunt Canonici Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi Mercatelli, qui in Comitiis habitis die 27. *Junij* anni elapsi, quibus etiam interfuit Canonicus Jo. Maria Bani, plenis suffragiis, hanc dedere resolutionem = *Essere piu; che evidenti, giuste, e saggie le raggioni esposte da Monsignor Vescovo alla Sagra Congregazione del Concilio, e perciò prestano essi il loro pieno consenso, ed assenso all esecuzione di quanto si richiede da esso Monsignore, sempre però, che non ridondi alcun aggravio particolare al Canonico pro tempore di S. Andrea in Valle Casola.* Vestrum nunc erit Emi Patres decernere.

An, & quomodo sit providendum in casu &c.

FAVENTINA REDUCTIONIS SERVITII CHORI, ET MISSARUM. Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Stephani Oppidi Modiliani, quorum Præbendæ ex pia dispositione Jo. de Ghettis, & Elisabeth Ravagli illius Uxore institutæ fuerant, expoluerunt Sac. Congregationi, quod ultra quotidianum Chori servitium, tenerentur quotidie applicare unam Missam pro Collegiatæ Fundatoribus; Exposuerunt præterea plurium onerum satisfactionem omisisse, & præsertim onus applicationis Missæ

Sess. 24. *cap.* 4. *de Reform.*

Missæ pro Benefactoribus. Cum autem hujusmodi omissiones secutæ fuerint non dolo, aut fraude, sed ratione paupertatis ob sequutam redituum imminutionem; idcirco supplicarunt pro absolutione quoad præteritum, & quo ad futurum insteterunt, ut Missa pro Fundatoribus, quæ quotidiana esse deberet, reduceretur ad solos dies Festos de præcepto, & caneretur. Atque hoc modo petierunt, ut satisfieret oneri adimplendo tam pro Benefactoribus in genere, quam pro Fundatoribus Collegiatæ. Petierunt denique, ut eximerentur ab onere recitandi Completorium tempore Quadragesimæ, prout antea servatum fuerat: proposito proinde Dubio = *An, & quomodo Oratorum precibus sit providendum in casu &c.* Die 15. *Januarij* 1780. prodiit rescriptum = *Quoad præteritum ad Dominum Secretarium cum SSmo, quo vero ad futurum pro nunc suspendatur ad triennium celebratio Missæ lectæ quotidianæ pro Fundatoribus, firmo remanente quotidiano Chori servitio cum Missa Conventuali, etiam cum Completorio tempore Quadragesimæ, & indulta vacatione trium Mensium, & cum applicatione Missæ Conventualis omnibus diebus Festis pro Benefactoribus in genere, & interim Episcopus utatur facultatibus sibi tributis in cap.* XV. *sess* XXIV. *Concilij Tridentini.*

Quod spectat ad primam Rescripti partem, facta SSmoDomino Nostro totius Causæ relatione, Sanctitas Sua in Audientia diei 26. dicti Mensis *Januarij* de præteritis omissionibus Oratores misericorditer absolvit, injuncta tamen per decennium obligatione celebrandi in die infra Octavam Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum unicum Anniversarium cum interventu omnium Canonicorum, aliorumque de Capitulo, & cum applicatione Sacrificij collective pro omnibus Fundatoribus, & Benefactoribus.

Quod vero respicit alteram rescripti partem refert Episcopus, quod facultates in casu, de quo agitur, a Sac. Concilio Ordinariis tributæ *respiciunt, vel unionem Beneficiorum simplicium Præbendis Canonicalibus Collegiatæ, vel harum Præbendarum ad pauciorem numerum reductionem. Quod attinet ad simplicia Beneficia, hæc undecim Mutilianæ numerantur, & omnia de Laicorum patronatu. Præterquam quod si aliqua supprimeretur Præbenda, quæ utrum de numero Canonicorum Ghetti, seu Ravagli esse deberet, facilis non foret resolutio, turbæ excitarentur in Capitulo, & apud Patronos, hoc unum in primis observandum censeo, num obvenire possent cæteris Præbendis redi-*

reditus ad onera ſubeunda capaces , quibus exonerari petunt Oratores .

Singularum Præbendarum ſtatum recenſet , & ait = *Septem ſunt Canonici Ghetti , & quiſque ex Præbenda , & Diſtributionibus percipit ſcuta ſexdecim . Canonici vero Ravagli ſunt quinque, & habent annua tantum ſcuta treſdecim , & obulos ſeptuaginta , nequaquam exempta a vectigalibus, & ab expenſis utenſilium . Jam vero una ex his Præbendis ſuppreſſa , daret cæteris undecim Canonicis augumentum cuilibet ſcut. 1. 40 ſi eſſet de Menſa Ghetti , vel ſcut. 1. 24. circiter de altera Ravagli ; Duplum , aut triplum eſſet , ſi duæ , vel tres ſupprimerentur Præbendæ .*

Proſequitur deinde = *Miſſæ quotidianæ celebratio pro Fundatoribus , a qua petunt abſolvi, ad rationem manualis eleemoſynæ importat ſtipendium ſcut. 36. , & cuilibet ex undecim Canonicis portio eſſet ſcut. 3. 27. Si duplex Canonicatus eſſet ſupprimendus , cuique ex decem Canonicis , qui ſupereſſent, rata daretur ſcut. 3. 60. , qui ſcut. 2. 80. , vel ſcut. 2. 48. circiter perciperet ex additione Præbendarum .*

Poſt hæc concludit = *Quare , num unica , vel duplici , aut plurium Præbendarum extinctione , cæteri Canonicatus minime tenues dici poſſint , & ſuſtinere decentem gradum , & onera valeant : num tot. ſuperſint Canonici , qui divino cultui celebrando , ac dignitati Eccleſiæ commode reſpondeant , attentis inſuper circumſtantiis temporum , loci , & perſonarum judicandi facultatem EE. VV. ſapientiæ ſummæ , quam humillime ſubjicio .*

Poſt hanc Epiſcopi relationem , & poſt elapſum triennium, denuo inſtant Capitulares pro onerum reductione ; quare rogantur Emi PP. reſumere Folium Congregationis diei 27. *Novembris* anni 1779. , quod proſtat in *Theſauro Reſolutionum Tom.* 48. , ubi præſens cauſa deſcripta eſt , & reſpondere Dubio .

An , & quomodo Oratorum precibus ſit providendum in caſu &c.

MUTI-

Seſſ. 24. cap. 7. de Reform.

MUTINEN. DISPENSATIONIS. Clericus Jacobus Antonius Taccioli Oppidi Valei circa initium noctis diei 14. *Octobris* anni 1781. ſæculari habitu indutus e Domo cujuſdam Dominici Ladorini egrediens, nulla præcedente rixa, a quadam perſona, quæ latebat, aggreſſus, & in capite, & in humeris percuſſus, humi procumbere coactus fuit. Cum autem ſurgere curaſſet, in eo actu vidit, quod Agreſſor rurſus illum invadere tentabat; quare timore gravioris offenſionis perterritus, arrepto gladiolo, eundem agreſſorem in ventre vulneravit, & tunc cognovit agreſſorem fuiſſe quemdam Aloyſium Burgoni, qui ex accepto vulnere poſt triduum obiit. Confecto Proceſſu patuit, nullam Inter occiſorem, & occiſum ante homicidium interceſſiſſe inimicitiam, immo invicem amicitia devinctos fuiſſe compertum eſt; quare, obtenta a defuncti Parentibus venia, a pœna fuit abſolutus. Nunc autem cupiens ad ulteriores ordines promoveri diſpenſationem ab Irregularitate efflagitat.

Epiſcopus confirmat facti ſeriem, & refert, quod = *Parochus loci, occisi Patruus, mihi teſtatur de præfati Clerici Taccioli bonis vita, ac moribus, Eccleſiæ ſervitio, & Sacramentorum frequentia, tam ante, quam poſt ejus reditum in Patriam, nec unquam contra ipſum quidquam ad hanc meam Curiam delatum fuit. Quibus ſic ſtantibus, attentiſque circumſtantiis in caſu concurrentibus, cum rationabiliter argui poſſit, homicidium, de quo, ad defenſam patratum fuiſſe, humillimè ſum in voto, Oratorem implorata gratia dignum eſſe.*

Statutum eſt *in Cap. 1. de Homicidio volunt., vel caſual.*, quod ſi quis per induſtriam, vel per inſidias Proximum ſuum occiderit ab Altaris miniſterio perpetuo arceatur. Idque etiam procedit, licet crimen, nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum foret. *Cap. Inquiſitionis 21. de Accuſatoribus.* Mitius tamen agitur ſi homicidium ad propriam defenſionem perpetratum fuiſſe deprehendatur. *In Clementina unica de homicidio* habetur, quod = *Si Furioſus, aut Infans, ſeu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrat, & idem de illo cenſemus, qui, mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit, vel mutilat agreſſorem.* Sac. Concilium *Seſſ. 24. cap. 7. de Reform.* vetat, ne homicidæ ullo unquam tempore ad Ordines, & Beneficia promoveantur; Subdit tamen, quod = *Si homicidium non ex propoſito, ſed caſu, vel dum vi repellendo, ut quis*

ſe

se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad Sacrorum Ordinum, & Altaris ministerium, & Beneficia quæcumque, ac Dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur; Committatur Loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui, nonnisi causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit =

Homicidium vero perpetratum dicitur ad propriam defensionem, quando ex necessitate repellendi agressorem quis motus fuerit, ita ut aljo modo mortem evadere non posset. Sane Innocentius III. in *cap. significasti* 18. *de Homicidio* §. *si vero*, mandat, quod *quamvis vim vi repellere omnes leges, & omnia jura permittant, id tamen debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam*; Quare *Glossa ad d. caput verbo Moderamen inculpatæ tutelæ*, ait, quod si violentia personæ inferatur = *tunc antequam sit vis illata, repellenda est, & si aliquis vim factam repellat, potius præsumi debeat, quod defendendi non ulciscendi causa hoc fiat, dummodo in ipso negocio fiat, & hoc si primus percussor denuo valeat percutere: alioquin si nolebat ipsum percutere, & alter percussit, potius dicitur esse vindicta, quam repulsio injuriæ, & hoc æquum videtur. Servatur enim moderamen, si illud tantum fiat, quo omisso, violentia repelli non posset. Si ergo violentum interficis sic, quod periculum mortis ab eo vitare non poteris, eum sine pœna interficis*: & eadem *Glossa ad dictam Clementinam unicam de homicidio* verba illa *non valens* sic explicat = *Inangulatus erat, vel sic arctatus, quod fugere non poterat, nec se juvare clamore, vel aliter*.

Videndum an Clericus Taccioli ad defensionem propriæ vitæ homicidium commiserit, & moderamen inculpatæ tutelæ servaverit. *Picler. in Jus Canonicum lib. 5. tit. 12. §. 2. num. 16.* sustinet, quod tria requiruntur ad hoc ut dici possit, occisorem servasse moderamen inculpatæ tutelæ. Primo nempe causa justa, id est, quod agressio injusta præcedat, nam tecus non esset defensio sui, sed invasio alterius, nec esset defensio justa, si non præcederet offensio injusta. Secundo, quod defensio sit proportionata injustæ invasioni; hinc si suppetat modus evadendi mortem, vel mutilationem, vel modus suppetat armis spoliare, vel ad fugam compellere agressorem, aut baculo, manibus, aut quavis alia ratione repellere, tunc non licet illum occidere. Tertio demum, ut homicidium fiat incontinenti dum durat invasio. Observandum ita-

que, an hæc concurrant in homicidio perpetrato a Clerico Taccioli.

Nec eſt prætereundum, quod in præſenti caſu agitur de Clerico promovendo. *Fagnanus in cap. Henricus de Clerico pugnant. in duello num.* 25. advertit, quod facilius repellitur promovendus, quam dejicitur promotus, & diſpenſatio ab Irregularitate magis conceditur iis, qui in Sacro Presbyteratus Ordine ſunt conſtituti, quam aliis, qui ad illum promoveri poſtulant. Idque ſervavit Sac. Congregatio in *Lamacen. Irregularitatis* 13. *Septembris* 1738. *in Caputaquen. Diſpenſationis* 10. *Maij* 1755. *in Feretrana Irregularitatis* 22. *Januarij* 1757., *& in Brixien. Irregularitatis* 19. *Januarij* 1765.

Emi PP. pro ea, qua ornantur Juris Eccleſiaſtici peritia, decernent.

An ſit locus diſpenſationi in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 7. Februarij 1784. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

QUinque ſunt Cauſæ, quæ in poſtrema Congreg. deciſæ non fuerunt; iis aliæ quatuor adduntur, & de omnibus rogantur Emi PP. judicium proferre.

COMEN. BENEFICII. *Seſſ. 25. cap. 9. de Reform.*

I. *An, & cui competat prælatio, ita ut Decretum Epiſcopi ſuſtineatur in caſu &c.*

II. *An conſtet de attentatis, & quomodo ſint purganda, & cui reſpectivè conſignandi, ſeù reſtituendi fructus in caſu &c.*

Ad I. Prælationem competere Joanni Baptiſtæ Caſati, & Decretum Epiſcopi non ſuſtineri.

Ad II. Affirmativè per viam nullitatis, & fructus eſſe reſtituendos eidem Baptiſtæ Caſati.

URBINATEN., SEU ARIMINEN. *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

An, & quomodò Oratricis precibus ſit annuendum in caſu &c.

Eſſe locum aſſignamento Scutorum decem, & octo ex Subſidiis dotalibus favore Oratricis, facto verbo cùm Sanctiſſimo; & ampliùs.

VADEN. *Seſſ. 7. Cap. 7. de Reform.*

An, & quomodo ſit providendum in caſu &c.

Affirmativè juxtà votum Epiſcopi.

Sess. 24. *cap.* 4. *de Reform.*

FAVENTINA REDUCTIONIS SERVITII CHORI; ET MISSARUM.

An, & quomodò Oratorum precibus sit providendum in casu &c.

Quoad præteritum ad D. Secretarium cùm Sanctissimo: in reliquis prò gratia prorogationis præcedentis Indulti ad annum, & Scribatur Episcopo ad mentem: & mens est quod idem referat qua ex causa duo vacent Canonicatus, & an iidem uniri possint reliquis, & eo casu quantùm aliis accrescat.

Sess. 24. *cap.* 7. *de Reform.*

MUTINEN. DISPENSATIONIS.

An sit locus dispensationi in casu &c.

Expectet.

Sess. 7. *cap.* 8., & *Sess.* 21. *cap.* 7. *de Reform.*

VITERBIEN. Parochialis, & Collegiata Ecclesia Sanctæ Mariæ Terræ Bledæ ruinam minabatur, ejusque restauratio incæpta fuit, collatis pluribus tùm Cleri, tùm Populi subsidiis. Cum verò an no 1765. vacasset Dignitas Archipresbyteratus dictæ Collegiatæ, quæ Curam etiam habet Animarum, suspensa ad decennium fuit illius provisio vigore Rescripti Sacræ Congregationis diei 2. *Martij* ejusdem anni, ut reditus in restaurationem, & perfectionem operis erogari possent. Suspensa tamen provisio fuit ea lege, ut interim deputaretur Œconomus, qui cum Canonico Archipresbyteri Coadjutore, Curam Animarum exerceret. Expleto decennio prorogata fuit gratia ad aliud quinquennium; quo completo, nova prorogatio indulta est ad alium annum cum dimidio.

Vacavit interim Canonicatus, cui inest onus coadjuvandi Archipresbyterum in administratione Sacramentorum, & hujus quoque Canonicatus provisio suspensa fuit, ut reditus in Fabricam erogarentur. Mense *Novembri* 1782. exhibitæ fuerunt preces Sac. Congregationi nomine Cleri,

ri, & Populi Oppidi Bledæ, quibus narratum est, imminere jàm tempus, quo cessabat indultum suspensionis provisionis tùm Archipresbyteratus, tùm Canonicatus Curati; Ecclesiæ verò Fabricam ad finem haud esse perductam, & aliquo adhuc subsidio indigere, ut illa perficeretur; supplicarunt propterea, quod demandaretur provisio Archipresbyteratus, & per aliquod tempus suspenderetur collatio Canonicatus Curati, ejusque reditus Fabricæ applicarentur, cum reliqui Canonici, & alii Sacerdotes parati essent per turnum coadjuvare Archipresbyterum in exercitio Curæ Animarum.

Preces remissæ fuerunt pro Informatione prædefuncto Episcopo, qui retulit, pias tùm Communitatis, tùm Fidelium largitiones satis fuisse ad Fabricæ complementum, sed Œconomum deputatum consumpsisse pecunias, & decoctum obiisse. Hac de Causa, opus non fuisse ad exitum perductum, & ad perfectionem adhuc requiri summam scutorum bis mille, & ultra; Addidit, majorem Cleri partem Canonicatus suspensioni assentire, sed Communitatem provisionem Archipresbyteratus, & Canonicatus exposcere; Hinc ad dissidia tollenda existimavit, utramque Præbendam conferri debere. Ad consulendum verò expensis Fabricæ retulit, provisum jam esse pro summa scutorum 1100. ex piis largitionibus, & ex non nullis fructibus nondum exactis. Pro residuo verò medium proposuit, quod scilicet imponeretur Census scutorum quingentorum super Præbendis tùm Archipresbyteratus, tùm Canonicatus, & ad solutionem fructuum, atque ad extinctionem sortis pro tribus ex quinque partibus adigeretur novus Archipresbyter, pro aliis duabus partibus Canonicus noviter provisus. Preces hujusmodi relatæ fuerunt inter supplices Libellos in Congregatione diei 5. *Aprilis* elapsi anni, prodiitque rescriptum = *Quoad suspensionem, lectum: in reliquis pro facultate juxta votum Episcopi, & idem invigilet pro fideli pecuniarum erogatione in causam sollicitæ perfectionis Ecclesiæ.*

Post editum rescriptum obiit Episcopus; hinc novæ a Communitate excitatæ sunt querelæ, novæ item exhibitæ sunt preces. Ex una parte petita est Archipresbyteratus, & Canonicatus provisio, ex alia vero utriusque suspensio. Vicarius Capitularis super utroque requisitus censuit, suspendendam omnino esse Canonicatus provisionem, quia Fidelium largitiones, & alia assignamenta pro Fabrica non sufficerent. Non ita tamen censuit de Archipresbyteratu, quem cito conferendum dixit, ne cura Animarum

rum detrimentum pateretur ; Archipresbyterum tamen putavit eligendum esse Fabricæ Inspectorem , & ulterius alium Canonicum tamquam Administratorem deputandum , qui rationes ab Operariis reciperet . Hoc de re actum fuit in Congregatione diei 6. *Septemb.* nuper elapsi anni , & placuit EE. VV. injungere Vicario Capitulari, *ut statim procederet ad indictionem Concursus pro electione Archipresbyteri cum assumptione Coadjutoris , assignata eidem provisione usque ad electionem Canonici Curati : & in reliquis ad mentem* , quæ fuit , ut Emus Cardinalis de Comitibus rem totam perpenderet , & Sac. Congregationi opportuna media proponeret ad componenda exorta in oppido dissidia , & ad Fabricam perficiendam .

Mandatis Sac. Congregationis obtemperavit Vicarius Capitularis , & concursum indixit pro electione Archipresbyteri , quem statuit præfinita die 22. præteriti Mensis *Octobris* ; Inter concurrentes tres tantum fuerunt approbati , & acta concursus ad Datariam Apostolicam transmissa .

Emus verò Cardinalis de Comitibus Viterbium se contulit , & omnia summa cum prudentia , consilio , & diligentia perfecit . Patet id ex relatione ad Sac. Congregationem transmissa , in qua de statu Ecclesiæ hæc ait = *Comperii, Ecclesiæ opus eo esse perductum , ut Divina celebrari in ea possint , dummodo choralia Scamna , sedes saltem quatuor Confessionales , restauratio Turris Campanariæ, Sacrarium cum ipsius Janua , ac Septa ferrea , seù marmorea , vel saxea , non solum suprà , sed & ante subterraneam Ædiculam , in qua ex traditione Majorum , perhibetur Sacrum S. Viventij Principalis Patroni corpus custodiri , citò efformentur .*

Deinde de Fabricæ reditibus refert . *Reditus vero , qui certè sunt* (quos inter numeratur reditus Canonicatus Curati) *quibusque celeriorem ad exitum perducendum est opus , constant pluribus ex assignamentis ad annuam sc. 212. summam ascendentibus , prætermissis nonnullis piorum Fidelium largitionibus , quæ admodum incertæ cum sint , nullo in pretio haberi possunt . Nomina Debitorum , seù Credita , quæ ad Fabricam spectant ad summam ascendunt sc. 275. 35. ; Verumtamen hæc inter nomina Debitorum quædam adest scut. 60. partita , quæ tum subsistantia , tum etiam quantitate penitus incerta censetur . Quoddam insuper adest Depositum scut. 220. penes Laurentium Luttanzi olim Communitatis*

tis Depositarium; At nil penitus ex eo sperandum, quia debitis obrutus est.

Ut autem Ecclesiæ Fabrica citius perficeretur, congressum habuit, cui, præter Vicarium Capitularem, interfuerunt etiam Deputati Cleri, & Communitatis ad id specialiter electi, in eoque hæc fuerunt resoluta I, *Ut unus tantum Fabricæ præsit, sitque Ecclesiasticus. Huic aptior onerì ferendo visus est Canonicus Franciscus Sandoletti, cui omnes ad hanc rem necessariæ, opportunæque facultates dandæ erunt.* II. *Ut unus æque sit Exactor, atque Depositarius, sitque Laicus: Utrique muneri præfici potest, ut fuit præelectus Nicolaus de Sanctis.* III. *Ut Exactor iste, atque Depositarius rationem quolibet anno reddere teneatur coram duobus Syndicis, quorùm alter pro Clero sit Ecclesiasticus, alter vero pro Communitate sit Laicus: Ille sit novus Archipresbyter, iste autem sit Angelus Giglietti, & hujusmodi expletæ redditioni rationis Episcopi accedat auctoritas.*

Votum aperiens Eminentissimus Relator inquit = *Hæc sunt præcipua illa, quæ in Congressu constituta sunt, adprobantibus Deputatis, quæque digna esse videntur, ut confirmentur. Ubi enim sollicitè executioni eadem mandentur, sperare licet Fabricæ perfectionem, cujus ope quam citissimè nova in Ecclesia fieri valeant Divina. Frustra tamen nisi tollantur singula, quæ hodiernus movet, obstacula, Commissarius; Is enim maximo cum Fabricæ detrimento, ei sese immiscuit usque adhuc superbè, & imposterum incæpta persequi velle minatur. Ubi igitur Sac. Congregatio adprobet ea, quæ cum eorum, ad quos pertinet, consensu proposui, iisque utatur, quæ apta sint, remorandis caussis discordiarum, quas ipse Commissarius parit, ac fovet, nedum cum maxima alacritate opus Fabricæ perficietur, verum etiam haud longius protrahetur suspensio, atque applicatio assignamentorum, quæ usque nunc necessaria reputentur.*

Demum ait = *Animadvertebatur denique, necessarium omninò fore ad dimittendum Fabrorum Præfectum vulgo Capo Mastro conspicuæ liquidandæ summæ creditorem, nec non pro expensis pecunia numerata perficiendis, ut aliquis crearetur Census, qui extinguatur depositò quot annis faciendo ex assignamentorum compendio. At vero hac super re jubendum esse videtur, ut Fabricæ Præfecti, & Deputati, liquidato Fabrorum Magistri credito, recursum habeant, opportunasque facultates expostulent.*

Hæc sunt, quæ ab Eminentissimo Relatore diligenter, pru-

den-

denterque expoſita habentur ; Veſtrum erit Eminentiſſimi PP. definire, quid modo agendum ſit.

Quæritur.

An, & quomodo ſit providendum in caſu &c.

Affirmativè juxtà votum Emi Relatoris, & ad D. Secretarium cùm Sanctiſſimo juxtà mentem.

Seſſ. 23. cap. 1. Seſſ. 24. cap. 2. de Reform.

VITERBIEN., SEU TUSCANEN. In Congregatione diei 11. *Januarij* anni elapſi propoſita fuerunt quindecim dubia, plura complectentia quæſtionum capita jamdiu excitata inter Capitulum Cathedralis Viterbienſis, & alterum Cathedralis Tuſcanenſis. Inter dubia pro definitione propoſita, bina, quæ erant in ordine XII., & XIII. hiſce verbis concepta fuerant. XII. *An in actibus communibus reſpicientibus utramque Eccleſiam Viterbienſem ſcilicet, & Tuſcanenſem, cui ex eiſdem Eccleſiis competat prænominatio in caſu &c.*, & quatenus affirmativè quoad Eccleſiam Viterbienſem XIII. *An dicta prænominatio eidem Eccleſiæ Viterbienſi competat etiam in actibus communibus, qui ab Epiſcopo conficiuntur, & evulgantur in Eccleſia Tuſcanen. in caſu &c.* Prodiit tamen ad utrumque reſponſum, nempe ad XII. *Prænominationem competere Eccleſiæ, in qua reſidebit Epiſcopus ; ſi vero extra utramque, competere Viterbienſi.* ad XIII. *Proviſum in antecedenti.*

Quamvis Capitulum Tuſcanenſe acquieverit, libentique animo ratam habuerit priorem partem reſolutionis tribuentis prænominationem Eccleſiæ, in qua Epiſcopus reſidebit, acquieſcere tamen neſcit poſteriori ejuſdem reſolutionis parti, quæ prænominationem tribuit Eccleſiæ Viterbienſi, quando Episcopus extra utramque Diæceſim reſideat. Ab hac itaque poſtrema reſolutionis parte novam audientiam efflagitavit, eaque obtenta, proteſtationem in actis emiſit, qua declaravit, a poſteriori tantum Reſcripti parte, non autem a priori velle reclamare. Qua de re modo inſtat pro receſſu a reſolutione præferente favore Eccleſiæ Viterbienſis prænominationem in casu, quo contigerit Epiſcopum extra utramque Eccleſiam commorari.

Hoc unum eſt hodiernæ diſceptationis ſubjectum, quod complectitur dubium tranſcriptum. Capitulum Cathedralis Tuſcaniæ inſtat pro definitione. Rogantur Emi PP. reſumere Folium Congregationis diei 14. *Septembris* anni 1782. quod publici juris eſt in Theſauro Reſolutionum

num Sac. Congregationis *Tom.* 51., ubi tota causa descripta reperitur, deindeque declarare.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis, quoad XII., & XIII. dubium in casu &c.

Dilata ad primam post proximam, & proponatur etiam unica.

Reliquæ non propositæ.

LAURETANA EMPHYTEUSIS. Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ SS. Petri, & Pauli Oppidi Montis Luponum supplex adstitit pro obtinenda facultate ineundi super quibusdam bonis contractum Emphyteusis ad tertiam generationem masculinam. Cum autem ex Episcopi relatione compertum fuerit, quod agebatur de contractu Emphyteutico complectente omnia Collegiatæ prædia, hinc die 31. *Maij* currentis anni mandatum fuit, ut Capitulum petitionem coerceret, & supplicaret tantum *Pro Fundo magis sterili, & meliorationibus indigente*; Quare Capitulum novis precibus supplicavit pro facultate perficiendi contractum Emphyteusis trium prædiorum, nempe prædii della *Cervara*, alterius *S. Luciæ, vel Potentiæ*, & prædii *Codardo, o sia Casone*. Injunctum fuit Episcopo, ut ad excitandos Licitatores Edictales litteras proponeret. Intra terminum ab Episcopo præfinitum, unus comparuit Oblator, nempe Carolus Antonius Ferrari Anconitanus, qui pro prædio *Cervara* obtulit canonem sc. 330 25. $\frac{1}{2}$, & pro prædio *S. Luciæ vel Potentiæ* obtulit canonem sc. 261. 17. $\frac{1}{2}$, ac demum pro prædio *Codardo, o sia Casone* obtulit annua sc. 242. 97. $\frac{1}{2}$ conditione tamen adjecta, quod a se ipso, & filiis prima generatio computanda foret. Verum solvere promisit medietatem capitalis pro Semine, & Belluis, quibus prædia instructa reperiebantur, promisitque insuper Canones de quadrimestri in quadrimestre anticipate persolvere. *Sess. 25. cap. 11. de Reform.*

Episcopus de unoquoque prædio in sua relatione seorsim sermonem instituit, & de prædio *Cervara* inquit = *Non ambigitur, prædium della Cervara cum suis adnexis primo loco nominatum (prout ex fide dignorum relatione accepi) adeo sterilis esse naturæ, ut absoluto duodecim annorum affectu nemo pro eo renovando comparuerit, ita ut novam Emphyteusim inire maximi compendii fore favore Canonicorum non est dubitandum.* Ad demonstrandam contractus uti-

utilitatem, oblationem Caroli Antonii Ferrari perpendit & conſpectu aliarum, quæ exhibitæ ſunt ab aliis Oblatoribus, quando actum fuit de perficienda omnium bonorum Emphyteuſi, & ait = *His accedit quod oblationes præteritæ annuam reſponſionem non exceſſerant ſc.* 285. 35. , *præſens autem Oblatio ad ſc.* 330. 25. $\frac{1}{2}$ *elevata eſt ; unde reſpectu annuæ præſtationis hujus prædii evidens utilitas conſtituatur in annuo augumento ſc.* 44. 90 $\frac{1}{2}$.

De prædio *S. Luciæ , vel Potentiæ* ſic retulit = *Adhæret hujuſmodi prædium Fluvio Potentiæ , qui per totam non mediocrem ejus longitudinem illud elabitur , unde ex aſſiduis hibernis alluvionibus, aggerum fulcimento jugiter opus eſt, ne ipſius terreni pars aliqua eradatur . Hujuſmodi autem defenſiones non vulgarem exigunt annuam expenſam , qua per præſentem oblationem Canonici Oratores liberantur omnino . Huic compendio accedit augumentum annuæ reſponſionis . In præteritis enim oblationibus reſponſio annua non exceſſit ſummam ſc.* 226. . *Novus enim oblator promittit ſolutionem ſc.* 261. 17. $\frac{1}{2}$, *ita ut augumentum evidens, ducto calculo, conſtituatur in annuis ſc.* 35. 17. $\frac{1}{2}$

Demum de prædio *Codardo , ſeu Caſone* teſtatus eſt, quod = *Adjacet rapido nocentiſſimoque Torrenti , quem vocant Codardo , hinc fit , quod continuis ſubjacet inundationibus . Major oblatio , quæ in præteritum apparuit , annuam ſummam ſc.* 204. 80. *non exceſſit ; nunc vero promittuntur annua ſc.* 242. 97. $\frac{1}{2}$, *ducto calculo , evidens utilitas accedit ad annua ſc.* 38. 17. $\frac{1}{2}$

Suam vero ſententiam his verbis expreſſit = *Collatis itaque ſupra relatis annuis augumentis, conficiunt ſatis ſummam ſc.* 118. 25. $\frac{1}{2}$, *quæ ex nova oblatione in Canonicorum vergit compendium . Mea igitur ſententia nihil moror , quin ex poſtrema oblatione favore Oratorum evidentiſſima utilitas non emergere manifeſtiſſimè appareat .*

Capitulares in unum congregati ſtipulationi contractus aſſenſum præbuerunt die 16. *Auguſti* anni mox præteriti ; Quare die 6. elapſi menſis *Septembris* probatus fuit contractus auctoritate Sac. Congreg., quæ reſcripſit = *Pro facultate arbitrio Epiſcopi ad tertiam generationem maſculinam favore Caroli Antonij Ferrari cum conditionibus , & pactis ab ipſo oblatis , & juxta conſenſum Capituli , dummodo prima generatio incipiat ab Oblatore tantum abſque ſpe renovationis , & cum menſuratione , & inſertione Plantæ per Bullas , & dummodo pretium Belluarum , & Seminis ab Oblatore ſolvendum juxta initam conventionem a Capitulo inveſtiatur .*

Hu-

Hujuſmodi reſcriptum non arriſit Capitulo ob adjectam conditionem inveſtiendi dimidium pretii Belluarum; cenſuit enim, illud ad ſingulos Capitulares pertinere, cum ſinguli in actu capiendæ poſſeſſionis Beneficij illud prædeceſſoribus hæredibus perſolvant; promptum tamen ſe exhibuit ad inveſtiendam medietatem pretij Seminis, quod ad Menſam Capitularem pertinet. Neque reſcriptum arriſit Carolo Antonio Ferrari, qui voluit, ut Emphyteuſis non ab ipſo tantum, ſed etiam a filiis inciperet; Itaque utriuſque reclamationes modo ſunt perpendendæ, ut quid agendum ſit dijudicetur.

Epiſcopus de hiſce omnibus requiſitus refert = *Revera Boves, aliaque Animalia, quæ in prædiis dictæ Collegiatæ exiſtunt, ad ſingulos Canonicos, & Manſionarios proprio jure, utpote ex eorum privata pecunia comparata, pertinere. Ex dictis vero apparet, per æquivocationem dictorum Capitularium in mea relatione diei primæ Septembris proximè elapſi aſſertum fuiſſe, pretium Bobum, aliorumque Animalium in dictis prædiis exiſtentium quoad medietatem ad univerſum Collegiatæ corpus pertinere. Illud inſuper addendum mihi eſt, omnia bona, ſive prædia ad Collegiatam ſpectantia non Præbendas diſtinctas, ſed Maſſam communem conſtituere. Quamvis enim pretium dimidiæ partis Bobum, aliorumque Animalium per ultimam oblationem in pecunia numerata perſolvendum, inveſtiri modo non debeat, quippe quod cenſendum, & habendum eſt pro privato ſingulorum Capitularium peculio, adhuc tamen tot tantaque ſunt compendia, quæ ex contractu Emphyteutico in Canonicos dimanat, ut a priori ſententia, quam in prædicta mea relatione propoſui diſcedere non debeam.*

Card. Petra ad Conſt. Apoſtolicas commentar. ad conſtit. v. *Pauli* 11. *ſect.* 1. *num.* 20. advertit, quod Emphyteuſis Bonorum Eccleſiaſticorum nunquam conceditur ultra tertiam generationem maſculinam; notat tamen, quod aliquando ſolet Sac. Congregatio hujuſmodi contractus extendere etiam ad tertiam generationem fœminam: & inſuper aliquando indulget, ut ſtipulatio fiat ad nominationem offerentis, & ad tertiam nominati generationem, præſertim quando agitur de cælibe, vel aliqua adſit utilitas. Ponderandum an oblatio Caroli Antonii Ferrari hanc indulgentiam mereatur. In *Auximana Emphyteuſis* actum fuit de Emphyteuſi prædij cujuſdam Beneficij, & Oblator conditionem adjecerat, ut prima generatio incipere deberet a filiis jam natis; propoſito dubio =

bio = *An, & cujus favore ſit ſtipulandum Inſtrumentum Emphyteuſis in caſu &c.* Sac. Congregatio die 10. *elapſi Menſis Januarij* reſpondit = *Inſtrumentum Emphyteuſis ſtipulandum eſſe favore unius ex Filiis Joan. Traluci ad tertiam generationem maſculinam tantum*. Dignabuntur EE. VV. definire.

An, & quomodo ſit ſtipulandus contractus Emphyteuſis in caſu &c.

Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.

FIRMANA REPORTATIONIS ONERIS MISSARUM. Onera Miſſarum, quæ juxta diſpoſitionem Marini Franciſci Vanni adimplenda erant in rurali Eccleſia S. Mariæ Angelorum Oppidi Montis Georgei Indulto ſa. me. Clementis XIV. diei 4. *Februarii* anni 1771. translata fuerunt ad Eccleſiam Monialium S. Andreæ ejuſdem Oppidi. Translationem impugnavit Aloyſius Boncori Eccleſiæ S. Mariæ Patronus, qui, obtenta prius venia reclamandi a Pontificio reſcripto, curavit, ut in Congregatione diei 14. *Decembris* 1782. diſputaretur dubium *An ſuſtineatur translatio onerisMiſſarum ad Eccleſiam Monialium S. Andreæ Montis Georgei, ſeu potius ſit locus illius reportationi ad Eccleſiam patronalem S. Mariæ Angelorum in caſu &c.*, prodiitque ea die reſponſum = *Negativè ad primam partem, Affirmativè ad ſecundam*.

Cum tamen Moniales S. Andreæ tunc jura ſua non deduxiſſent, idcirco, impetrata nova audientia, audiri meruerunt in Congregatione diei 15. *Martij nuper elapſi anni*, quo die propoſito dubio = *An ſit ſtandum vel recedendum a deciſis in caſu &c.* placuit Emis PP. reſpondum dare *Pro recceſſu a deciſis*. Reſolutioni non acquievitBoncorius, atque idcirco cauſa pro tertia vice modo proponitur. Roguntur EE. VV. reſu mere Folia Congregationum dierum 24. *Novembris* 1781., 14. *Septembris*, & 14. *Decembris anni* 1782., & 8. *Februarii anni nuper elapſi*, in quibus ſtatus controverſiæ fuſius deſcriptus reperitur, deindeque decernere.

An ſit ſtandum primo, vel ſecundo loco deciſis in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 13. Martij 1784. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUÆ duæ primo ordine adnotantur Cauſæ, ex Folio præcedentis Congregationis ſuperfuerunt: in præſenti vero aliæ ſeptem deſcribuntur, ut juxta conſuetum morem numerus impleatur.

LAURETANA EMPHYTEUSIS.

An, & quomodo ſit ſtipulandus contractus Emphyteuſis in caſu &c. *Seſſ. 25. cap. 11. de Reform.*

Stipulandum eſſe contractum Emphyteuſis favore Caroli Antonii Ferraris Patris, & Filiorum uſque ad ipſius Caroli Antonii Pronepotes incluſive ad tertiam generationem maſculinam tantùm, cùm conditionibus ad formam præcedentis reſcripti, reſervato tamen pretio Belluarum favore uniuſcujuſque prò rata reſpectivè competente.

FIRMANA REPORTATIONIS ONERIS MISSARUM. *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

An ſit ſtandum primo, vel ſecundo loco deciſis in caſu &c.

Dilata ad primam omninò, & proponatur etiam unica.

ARBOREN. DISPENSATIONIS. Synodali lege in Diæceſi Arborenſi indicta eſt excommunicatio latæ ſententiæ Parochis, aliiſque Sacerdotibus, qui Matrimonia benedicere præſumpſerint, quæ juxta diſpoſitionem Tridentini Concilij inter Miſſarum ſolemnia publicata non fuerint, vel diſpenſatio a publicationibus non fuerit *Seſs. 24. cap. 6. de Reform.*

rit impertita. In Villa Marubij dictæ Diœceſis anno 1782. munus Vice-Parochi exercebat Sacerdos Franciſcus Antonius Pala, qui quadam nocte menſis *Octobris* ejuſdem anni vocatus fuit, ut accederet ad Domum Raymundi Piloni. Ubi primùm præfatus Sacerdos ad eam Domum pervenit, reſcivit a dicto Piloni, quod in quodam Cubiculo clauſi erant Antonius Sanna, & Raymunda Eſteri ejus Familiares. Hæc ut audivit Vice-Parochus, reſpondit, nihil agere poſſe ſine Teſtium præſentia. Supervenerunt Teſtes, & adhuc Antonio, & Raymunda in Cubiculo manentibus, Raymundus Piloni Antonium Sanna ſic interrogavit = *Antonio Sanna, che dici* ? =, qui reſpondit =*Già ſiamo Marito, e Moglie* =, inde vero Vice-Parochus Mulierem interrogavit = *Se voleva il detto Antonio Sanna* ? = Et ipſa affirmativum dedit reſponſum.

Hiſce peractis, reſeratum eſt Cubiculi oſtium, & ab eo tam Vir, quam Mulier egreſſi, nullo dato diſſenſus indicio, immò libenter exceperunt adſtantes, qui de Matrimonio gratulati ſunt. Sequenti die Sacerdos Pala Miſſam celebravit; Verum ſtatimac factum innotuit Vicario Capitulari, eidem prohibuit, ne Miſſam celebraret, neque munus Vice-Parochi exerceret. Mandatis paruit Sacerdos, preceſque deinde exhibuit pro obtinenda diſpenſatione ab Irregularitate. Preces relatæ fuerunt inter Supplices libellos in Congregatione diei 16. *Auguſti* elapſi anni, injunctumque mihi fuit, ut cauſam in Folio deſcriberem; quare hodie infraſcriptum dubium ab EE. VV. definiendum propono.

Sacerdos Pala, refugit quæſtionem movere, num adverterit ad diſpoſitionem legis Synodalis, quando ad Domum Raymundi Piloni adſcitus fuit: immo legi non advertiſſe fatetur; & ſicuti inadvertentia ipſum a culpa excuſat, ita a pœna Suſpenſionis, & Irregularitatis ſe Innoxium eſſe putat; Verum hodie nulla adducta excuſatione clementiam, & humanitatem EE. PP. implorat, ut diſpenſationem ab Irregularitate aſſequatur, cum magno incurſæ Irregularitatis timore ſit perculsus. Hanc vero diſpenſationem ſibi indulgeri poſſe ſperat, quia nempe quindecim Menſes elapſi ſunt a tempore, quo præfato Matrimonio adfuit, omnemque proinde maculam abſterſit; Aſſerit, nullam ingerere admirationem, ſi ilium Altari reſtitutum omnes viderint. Diſpenſationem vero eò ſecurius aſſequi poſſe confidit, quia juxta Doctorum ſententiam facilius conceditur ob irregularitatem contractam ex vio-

la-

latione cenſuræ, quam aliis quibuſque de cauſis : Et hanc fuiſſe ſententiam Sacræ Congregationis, quæ facilius diſpenſavit, prælertim quando de moribus ſupplicantis nulla data fuit querela.

Vicarius Capitularis refert, quod Sacerdos Pala utpote Vice-Parochus, ritè potuit Sacramenta adminiſtrare, uti alij Vice-Parochi poſſunt; Deinde addit = *Ex informatione juridicè recepta erui præfatum Vice-Parochum voluntariè tali Matrimonio præſentiam præſtitiſſe, ipſumque Teſtes vocare feciſſe, ut tali Matrimonio adeſſent. Preces ex ipſa informatione ſumptas eſſe, nihilque adverſus dictum Pala oppoſitum fuiſſe mihi conſtat. Aſt cum ex Synodalibus Conſtitutionibus Vice-Parochus Matrimonio aſſiſtens, denunciationibus non factis, ipſiſque ab Ordinario non diſpenſatis, excommunicationem latæ ſententiæ incurrat, & proximo die præfatus Pala Sacrum celebravit, videtur irregularitatem incurriſſe, quantumvis id ignoranter fecerit, atque inadvertenter; omnium tamen Sacramentorum adminiſtrationem eidem inhibui.* Votum aperiens ait : *Ex hiſce narratis ſatis juſſioni E.V. factum puto, adeout penitus inſtructa eſſe pro rei veritate cenſeatur, in qua facti ſpecie, inadvertentia Oratoris conſiderata, abſolutionis, & diſpenſationis gratiam miſericorditer eumdem impetraturum ſpero.*

Bonifacius VIII. *in cap. Is cui. De ſententia Excommunicationis in* 6. irregularem declarat Clericum, qui Eccleſiaſtica cenſura irretitus in ſuo Officio miniſtrare præſumpſerit. Diſpenſatur tamen ab hac irregularitate, ſi Clericus bonis fuerit imbutus moribus, & reſipiſcentiæ ſigna dederit, ac congruum tempus effluxerit a die commiſſi delicti, ita ut ab hominum memoria crimen ſit obliteratum. Ponderandum in præſenti caſu, quod Orator ex improviſo vocatus fuit, ut ad Domum Raymundi Piloni accederet, abſque eo quod ullam de contrahendo Matrimonio notitiam haberet; Advertendum, quod Vicarius Capitularis refert, ipſum oſcitanter poſt contractum Matrimonium Miſſam celebraſſe; Notandum, quod jam ſexdecim menſes effluxi ſunt; Hæc omnia ſerio perpendenda videntur ad decernendum, an diſpenſatio ſit indulgenda. *Fagnan. in cap. Mandato de Simonia. num.* 64. advertit, quod difficilius diſpenſatur ab Irregularitate ex defectu, quam ab Irregularitate ex violatione cenſurarum, quia nimia facilitate non advertitur ad cenſuras. Cum promoto facilius diſpenſatur, quam cum promoven-

vendo. *Idem Fagnan. in Cap. Henricus de Clerico pugnant. in duell. num.* 23.

In *Albinganen. Irregularitatis*, agebatur de Sacerdote, qui spreto præcepto de non conversando cum Muliere injuncto sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, Missam celebraverat die 10. *Octobris* anni 1751.; propositisque proinde Sacræ Congregationi dubiis I. *An constet de Irregularitate in casu &c.*, & quatenus affirmativè II. *An sit concedenda dispensatio in casu &c.* Die 7. *Aprilis* 1753. prodiit responsum ad I. *Affirmativè*, *& amplius* Ad II. *Arbitrio Episcopi*. In *Savonen.* Episcopus injunxerat alteri Sacerdoti, ne a Civitate Savonensi discederet sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, quousque de adimplemento Missarum alicui Capellaniæ inhærentium rationem non reddidisset; Sacerdos vero discesserat, & nihilominus per plures annos in Sacris Ordinibus ministraverat; contendebat tamen, nec suspensionem, nec Irregularitatem incurrisse: disputatis propterea dubiis I. *An sustineatur Suspensio in casu &c.*, & quatenus affirmativè II. *An sit locus absolutioni*, *& dispensationi ab Irregularitate in casu &c.* Die 14. *Septembris* 1782. responsum fuit Ad I. *Affirmativè*, *& amplius*. Ad II. *Affirmativè arbitrio Episcopi*, *dummodo prius satisfaciat oneribus Missarum non celebratarum*, *& amplius*. Definient igitur EE. VV.

An sit locus dispensationi in casu &c.

Affirmativè facto verbo cùm Sanctissimo.

Sess. 24. cap. 15. de Reform.

NUCERINA REDUCTIONIS. Collegiata Ecclesia S. Petri Oppidi Saxoferrati constituitur ex Archipresbytero, qui curam animarum habet, & decem Canonicis, qui omnes alternis hebdomadibus Choro inserviunt. Reditus tum uniuscujusque Præbendæ, tum Massæ Distributionum tenues sunt, pluribusque gravatæ Missarum oneribus, Siquidem Archipresbyter, comprehensa Missa pro Populo, celebrare tenetur annuas Missas 314.; sed illius redditus, demptis expensis, & Missarum eleçmosyna, vix pertingunt ad summam scut. 11. 79.

Unus

Unus ex Canonicatibus ſub titulo S. Bartholomæi gravatur onere celebrationis Miſſarum 22., ejuſque reditus ſunt in annuis ſcutis 12. 29.; Poſſeſſor Præbendæ ſub titulo omnium Sanctorum applicat Miſſas 160., & percipit anno quolibet ſcut. 21. 11.; Alter Poſſeſſor Canonicatus S. Caroli celebrat Miſſas 31., & percipit fructus ſcutor. 25. 75.; Canonicatui S. Sebaſtiani onus inhæret Miſſarum 100., & fructus non excedunt ſcuta 8. 88.; Præbenda ſub invocatione Beatæ Mariæ Virginis Lauretanæ habet onus celebrandi Miſſas 75. reditus vero aſcendunt ad ſcut. 31. 75.; Canonicatus S. Agnetis habet onus Miſſarum 100., ejuſque reditus non excedunt annua ſcuta 15. 58.; Alter Canonicus, qui habet Præbendam ſub invocatione S. Criſpini applicare debet Miſſas 136., & illius reditus ſunt in ſcut. 14. 90.; Qui retinet Præbendam S. Pauli applicat Miſſas 122., & lucratur ſcut. 14. 5.; Alia Præbenda S Petri nuncupata gravata eſt Miſſis 184., & illius fructus conſtituuntur in annuis ſcutis 9. 45.; Demum qui habet Canonicatum S. Eutitii ſatisfacere debet Miſſas 160., & percipit annua ſcut. 24. 12. Et reditus unicuique ex prædictis Præbendis ſuperius adſcriptus liber &, a quocumque onere immunis eſt, etiam ab eleemosyna Miſſarum, & comprehendit etiam quotidianas Diſtributiones.

Anno 1745. Capitulares ob Præbendarum tenuitatem a Sacra Congregatione facultatem obtinuerunt applicandi Miſſam Conventualem pro Benefactoribus diebus tantum Dominicis, & Feſtis de præcepto; Verum id inſufficiens levamen eſſe contendunt Canonici, proindeque poſtulant, ut eximantur ab onere celebrationis Miſſarum unicuique Præbendæ inhærentium, earumque loco Miſſa tantum Conventualis quotidie applicanda ſubſtituatur.

Epiſcopus expoſitorum veritatem confirmat, & nullum eſſe, qui Canonicorum petitioni contradicat; Advertit inſuper, uſque a tempore erectionis Collegiatæ applicatam non fuiſſe Miſſam Conventualem, & licet ſan. mem. Benedictus XIV. mandaverit, ut in Eccleſiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis Miſſa pro Benefactoribus applicaretur, ab hac tamen lege Collegiata S. Petri Saxoferrati ob Præbendarum tenuitatem immunis a Sac. Congregatione declarata fuit, & onus prædictum ad ſolos dies Dominicos, & Feſtos de præcepto coercitum; Addit ulterius, quod in ea Collegiata omnes Sacræ Functiones ritè, rectèque peraguntur, ſolumque Miſſa Conventualis feriatis diebus omittitur. Poſt hæc

ait = *Verum optare id licet, sed jubere injustum videtur, ni de cæteris Missarum oneribus tantum adimetur saltem, quantum novo huic nec levi oneri responderet. Hinc autem est, ut hac de re pro conscientia EE. VV. meam sententiam aperiens, haud dubitem dicere tale, ac tantum bonum in hac seu permutatione, seu reductione Missarum inesse, ut, & ipsi si adessent Fundatores illud ipsum statuerent, quod illis jam vita functis ab EE. VV. per Canonicos in supplici eorum libello postulatur, eoque magis, quod non nisi in parvo numero Missarum reductio verteretur.*

Ad consulendum Præbendarum tenuitati plura statuit Sacrum Concilium *Sess. 24. cap. 15. de Reform.*, voluit enim, ut in iliis Ecclesiis, in quibus Præbendæ, & Distributiones quotidianæ adeo tenues erant, ut habita ratione ad loci, & personarum qualitatem, Canonicorum sustentationi non sufficerent, Episcopus cum consensu Capituli aliquot Beneficia simplicia uniret: Vel si hoc modo provideri non posset, Præbendæ ad pauciorem numerum redigerentur, ita tamen, ut tot supererent, quot, & divino culti, & dignitati Ecclesiæ responderent, ac reditus Præbendarum, quæ supprestæ forent, reliquis applicarentur. Videndum num remediis a Sac. Concilio præscriptis juvari possint Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Saxoferrati, vel potius eorum petitioni sit annuendum. Sac. Congregatio in *Syracusana Missarum diei* 10. *Martii* 1759., ut in Ecclesia Collegiata S. Bartholomæi Civitatis Sicilis, Massa Distributionum quotidianarum augeretur, nonnulla Missarum onera reduxit. Quid vero nunc agendum sit, definire dignabuntur Emi PP. a quibus quæritur.

An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.

Dilata, & Scribatur Episcopo juxtà instructionem, quæ est ùt videat an media a S. Concilio proposita exequi possint; & quatenùs ea exequi non possint, an expediat procedere ad Suppressionem unius, vel plurium ex Canonicatibus, vel imminui in aliqua tantùm parte onera Missarum.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

ARIMINEN. REDUCTIONIS. Testamentum condidit anno 1733. Petrus Maria Constantini, in quo suæ hæreditatis usumfructum reliquit Catharinæ Neri Uxori suæ, proprietatem vero deferri voluit ad Venerabile Sodalitium Suffragij Arimini. Plurima huic Soda-

dalitio injunxit onera, atque inter cætera mandavit, ut, secuto Uxoris obitu, Confratres in eorum Ecclesia erigere tenerentur binas laicales Capellanias ad nutum amovibiles cum onere Missæ quotidianæ. Diversimode de patronatu activo utriusque Capellaniæ disposuit. Jus nominandi ad unam ex hisce Capellaniis pro prima vice tribuit Antonio Aloysio Ferrari, deindeque perpetuò spectare voluit ad dictum Sodalitium Suffragij; Alterius vero nominationem pro prima vice ejus Uxori cum facultate illam explendi etiam per actum ultimæ voluntatis: postea vero jus nominandi concessit alteri Sodalitio S. Josephi dict. Civitatis Arimini.

Nullam de patronatu passivo legem dixit, solumque permisit, quod nominatio = *possa anche cadere in persona di un Chierico, che non fosse promosso agl'Ordini Sagri, anzi vuole detto Testatore, che dette Capellanie, possano a Chierici, che non avessero il commodo di avanzarsi per mancanza di Patrimonio, e che veramente fossero di carità bisognosi, e meritevoli di essere ajutati per la morigeratezza, ed onestà de costumi, servire per Patrimonio Sagro, acciò siano promossi agl'ordini Sagri, con obligo però a detti Chierici allorche saranno nominati per Capellani a detteCapellanie di far celebrare per alios detta quotidiana Messa ingiunta a ciascuna di dette Capellanie.*

In Codicillo autem exarato anno 1742. confirmavit dictus Constantini Capellaniarum institutionem, assignavitque pro illarum dote = *Le due Possessioni, che esso possiede nel Territorio di S. Giovanni in Marignano con tutte, e singole Terre alle medesime anneße con tutto quello Bestiame, e Tinacci, che si troveranno esservi in tempo di sua morte, quali Bestiame, e Tinacci sarà tenuta detta Caterina sua Consorte erede usufruttuaria conservare, e mantenere fino a tanto che viverà, e goderà detta sua eredità. E li due Capellani pro tempore di dette due Capellanie doveranno unitamente, ed assieme da se ministrare, ed avere, e tenere cura, e la totale soprintendenza indipendentemente da detta Venerabile Compagnia del Suffragio, e per metà dividere tutte l'entrate, come pure per metà pagare gli annui Taglioni, e pesi, che graveranno detti Beni, e col obligo di una Messa quotidiana in perpetuo per cadauno di detti Capellani.*

Unam ex dictis Capellaniis possidet Sacerdos Jacobus Ugolini, illam nempe, cujus nominatio spectat ad Sodalitium Suffragij, & hanc Capellaniam Patrimonij titulo eidem

fuit constituta . Narravit nuper dictus Sacerdos Sac. Congregationi, quod reditus bonorum utriusque Capellaniæ æquabant olim annua scuta 140. ; Verum cum nobilis Familia Malvasia Bononiensis in vim rei judicatæ Rotalis possessionem eorumdem bonorum pro maxima parte nacta fuerit, hinc evenisse, ut reditus decreverint, & vix hodie attingant annua scuta circiter quadraginta; Narravit insuper alterum Capellanum a Missarum celebratione cessasse, sibique omnes reditus reliquisse, ex quibus detracta eleemosyna manuali pro Missa quotidiana, superfunt tantum annua scuta circiter sex; Hanc vero summam sufficientem Patrimonij congruam non constituere, quæ juxta Diæcesis legem esse debet in annuis sc. 36. libera a quocumque onere . Supplicavit propterea pro reductione Missarum in ea quantitate, quæ, deducta Patrimonij taxa, præfiniri poterit; De hac Oratoris instantia judicium EE. VV. exquiritur .

Inquit dictus Sacerdos, quod imminutis reditibus ex occupatione bonorum facta a Familia Malvasia, imminui quoque debeant onera, præsertim quia bona prædicta amissa fuerunt absque ulla culpa hæredis Testatoris, vel Capellani . Addit quoque, Testatorem voluisse, quod Capellaniæ inservirent pro titulo Patrimonij, idque importare, ut reditus Patrimonio respondentes immunes a quocumque onere esse debeant; Cum autem ad Sac. Ordines promotus fuerit ad titulum dictæ Capellaniæ, & in Diæcesi Ariminensi Patrimonij reditus, detractis oneribus, præfiniantur in annuis sc. 36. ; Hinc contendit, Patrimonium destitutum remanere, quoties Missarum onus integre foret adimplendum, cum onus hujusmodi omnes fere reditus absorbeat .

Contra vero Sodalitium Suffragij fatetur, petitionem Sacerdotis Ugolini æquitati, & justitiæ consonam esse, eique deberi Missarum reductionem, ita ut summa, quæ Patrimonio respondeat, immunis ab onere esse debeat; Sed advertit, ad tempus impertiendam, videlicet quousque Sacerdos Orator vixerit, & post ejus mortem aliam magis congruam reductionem decernendam esse; Ad hanc autem decernendam, methodum proponit, quam magis cohærentem voluntati Testatoris, esse dicit, ut nempe, divisis inter duos Capellanos reditibus, unicuique injungatur onus celebrationis tot Missarum, quot ad rationem eleemosynæ manualis celebrari poterunt. Addit insuper, bonorum evictionem secutam fuisse

se absque Sodalitij culpa, & propterea adigi non posse ad reintegrationem, etiamsi hæres sit Testatoris, eo vel magis, quia hæreditaria bona aliis oneribus sunt gravata. Neque locum habere praxim Sac. Congregationis reducendi potius alia onera, quam Missas, quia Testator in Codicillo pro Missis peculiaria bona assignavit, & reliqua bona aliis oneribus subjecit.

Episcopus plura de hac Oratoris petitione loquitur in binis relationibus, quæ inter monumenta causæ circumferentur: suam vero sententiam sic pandit=*Rationem autem mihi videtur postulare, ut congrua patrimonialis relinquatur libera Oratori, donec ipse vixerit, vel alio titulo fuerit provisus, & quidquid supererit fructuum Capellaniarum in tot Missarum celebrationem erogetur, assignata eleemosyna unius julii pro qualibet Missa, & injuncto Oratori eidem onere fructuum omnium valorem non ad rationem pretii legalis computandi, sed juxta pretium, quod ex ipsorum venditione reapse percipietur. Societas una in re, de qua agitur, interesse habens, & ipsa reductioni hujusmodi assentitur, & EE. VV. supplex obtestatur, ut ei nunc pro quando dos Capellaniarum vinculo Patrimonii libera evadet, cavere dignentur, statuentes ex inde tot Missas pro Capellaniis annuatim celebrandas esse, quot reliquæ dotis fructibus ad rationem unius julij pro Missa qualibet correspondebunt.*

Nullam Testator in Testamento, bene vero in Codicillo Capellaniis dotem assignavit, & peculiares fundos constituit, reliqua autem hæreditatis bona aliis oneribus addixit; Cum autem dos Capellaniarum imminuta fuerit, videndum num potius Missæ, quam alia pia opera sint reducenda? *Benedictus XIV. de Synodo Diœcesana lib.* 13. *cap.* 25. *num.* 23. sustinet, quod si aliquod Legatum, & Missarum onera, & alia pia opera complectatur, & ob redituum imminutionem aliqua reductio sit facienda, eo in casu Missarum numerus est præservandus, & alia prorsus onera reduci debent; Advertit tamen, quod tunc locus foret Missarum imminutioni, integris manentibus reliquis piis operibus, quoties Fundator certum fundum pro celebratione Missarum, & certum itidem fundum ad aliorum piorum operum implementum designasset, & fundus Missarum celebrationi addictus imminutionem subiisset.

Quod attinet ad reductionis modum, ponderanda est Oratoris petitio, qui reductionem Missarum efflagitat in ea quantitate, ut libera remaneant annua sc. 36. pro congrua

grua Patrimonii. Pluries in Sac. Congregatione actum est, an in constituenda Patrimonij congrua detrahenda sint onera Missarum, quibus Beneficia gravantur; Novissimè hac de re actum fuit in *Interamnen.* descripta in Folio Congregationis diei 11. *Januarij elapsi anni*, & resoluta in Congregatione diei 25. *ejusdem Mensis*, qua die decisum fuit, id arbitrio Episcopi esse relinquendum. Præ oculis habendum est, quod Synodus Ariminensis quoad Constitutionem Patrimonii hæc statuit *cap. XVII. de Sacramento Ordinis* = *Quamobrem nemo Clericorum cooptetur inter Subdiaconos, nisi certum habeat vel Beneficium, vel Patrimonium, quod ei possessione pacifica, & demptis oneribus reddat triginta fex scuta in annuos fructus dominicales ad consuetudinem nostram vetustissimam*. Observandum, quod Orator Capellaniam pro titulo Patrimonij constituit juxta mentem Fundatoris de tempore, quo Familia Malvasia nondum bona occupaverat.

Quatenus Oratoris precibus annuendum videatur, ponderandum, quid agendum sit post ejus mortem, vel in casu, quo de aliquo Beneficio fuerit provisus; Atque hic animadvertere præstat, quod Testator binas fundavit Capellanias, voluitque etiam, quod illarum Rectores æquis partibus bonorum reditibus, quæ pro dote assignaverat, fruerentur; Cumque ambarum Capellaniarum reditus imminuti sint, videndum propterea, an firmo remanente Capellaniarum numero, Missarum reductio pro rata sit facienda. Hæc omnia, perpensa Testatoris dispositione, definient EE. VV., a quibus quæritur.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Negativè.

Sess 22. cap. 6. de Reform.

ARIMINEN. SUSPENSIONIS ONERUM. Præter Capellaniarum erectionem, de qua in præcedenti Causa actum est, Petrus Maria Constantini in suo Testamento mandavit Sodalitio Suffragij Arimini hæredi instituto, ut, detracta Capellaniarum dote, superextantes hæreditatis reditus erogaret in distributionem subsidiorum dotalium ad rationem sc. 15. pro quolibet; In Codicillis ve-

vero aliis oneribus Sodalitium gravavit, illudque exemit ab onere præstandi subsidia dotalia; Jussit autem, ut unicuique ex Puellis Hospitalis Expositorum Arimini submministrarentur scuta quinque, quando Matrimonio jungerentur. Præterea in die sui obitus celebrari voluit Missam unam cum cantu, præter alias decem lectas, ac denique Pauperibus Parochiæ S. Mariæ in Corte Sextaria quatuor Frumenti distribui præcepit.

Hæreditas tota consistit in censu scutorum octingentorum cum Civitate Arimini, ex quo annui fructus sc. 24. retrahuntur, & in prædio valoris scutorum 1150. vendito Familiæ Tosi cum lege persolvendi pretium infra annos duodecim, & interim præstandi fructus compensativos in scutis quatuor pro quolibet centenario; Atque hæc præter bona pro dote Capellaniarum assignata; Hinc totus hæreditatis As consistit in sc. 1950., fructus vero, qui percipiuntur, in sc. 70.

Multas subivit vicissitudines hæreditas Petri Mariæ Constantini, & plura bona amisit, judicio Rotæ adjudicata Familiæ Malvasia, ut in præcedenti causa relatum est. Inter cætera bona eidem Familiæ adjudicatum fuit prædium ab ipso met Testatore venditum anno 1729. Familiæ Martinelli cum obligatione evictionis, & modo Familia Martinelli agit contra Sodalitium pro damnis, quæ in scutis noningentis jam sunt liquidata. Contra Sodalitium quoque agit Familia Malvasia pro fructibus bonorum, quæ sibi fuerunt adjudicata a die motæ litis, qui quidem fructus ad sc. 300. de contensu Partium sunt redacti. Deniqne Sodalitium contendit, impendisse summam sc. 625. pro litibus, quas ad tuenda jura hæreditatis Constantini subire debuit; Pro expensis litium jam usque ab anno 1778. Sodalitium suspensionem aliquorum onerum ex benignitate Sac. Congregationis obtinuit; hinc, & ipsam pariter efflagitat reintegrationem dictæ summæ, ut omissa Legata adimplere valeat.

Hisce de causis debitum hæreditatis constituitur in sc. 1825., & pro summa sc. 1800. censum imponere desiderat Sodalitium, idque ab hac Sac. Congregatione implorat cum indulto suspendendi omnia legata quousque debitum non fuerit extinctum. Inquit enim Sodalitium, certum esse hæreditatis debitum, & ad illud dimittendum impares illius reditus deprehendi, neque dimitti posse, etiamsi aliquod Capitale distraheretur, quia distractis capitalibus respondentibus quantitati æris alieni, quid minimum superesset

pro

pro onerum satisfactione ; Hinc consultius fore , si census imponatur , cum,extincto Censu decursu temporis , magis tuta erit onerum satisfactio .

Requisitus,ut suam proderetSententiam Episcopus , census impositionem probat ,quia hoc modo = *vedesi aperta una strada , per cui estinguere i debiti , e conservare l'Eredità , qualora riesca alla Compagnia quello, che non è lontano dal poter succedere , cioè il creare un censo per l'usura di un tre per cento . In questo caso venendo a pagare ogni anno sc* 54. *pel censo passivo , e ritraendo sc.* 70. *dal censo attivo , e dalla possessione , le avanzeranno sc.* 16. *all'anno di frutti , i quali,sospesi interinamente i legati , si potranno depositare , e quindi rinvestire mano mano insieme co futuri frutti de respettivi investimenti a guisa di multiplico, sinche l'Eredità sia rintegrata , e risumere possa l'adempimento de legati annessi . Questa sola maniera io veggo essere acconcia per provedere all'occorrenza , e questa mi do il coraggio porre in vista all'EE. VV.*

Plura sunt , quæ in hac causa ponderanda occurrunt ; Notandum primo , quod Familia Malvasia possessionem nacta est , ne dum bonorum , quæ in partem dotis Capellaniarum fuerant assignata , verum etiam alterius Prædij anno 1729 ab ipso Testatore vendito Familiæ Martinelli; hinc videndum,pro qua rata tumCapellani,tumSodalitium, uti hæresPetriMariæ Constantini teneantur ad damna favore Familiæ Martinelli . Videndum pariter quis , & pro qua rata teneatur ad fructus , quos postulat Familia Malvasia , ac denique quis , & pro qua rata teneatur ad refectionem expensarum , quas Sodalitium pro tuenda lite submini*s*travit . Advertendum quoque , quod pro hujusmodi expensis Sodalitium petiit a Sac. Congregatione suspensionem Missarum Capellaniis inhærentium , & die 4. *Aprilis* 1778. obtinuit rescriptum in hæc verba = *Firma remanente celebratione unius Missæ quotidianæ explenda pro me lietate ab alterutro ex hodiernis Capellanis ad rationem eleemosynæ manualis, pro gratia,arbitrio Episcopi,ad triennium suspensionis alterius Missæ quotidianæ , ita quidem , ut,soluta prædicta Eleemosyna, superextantes reditus provenientes ex bonis assignatis prò fundo utriusque Capellaniæ , deponantur , & erogentur tantummodo in sumptus litis , hac tamen conditione , ut notulæ expensarum recognoscantur , atque approbentur ab Episcopo , & si quid ex cumulo fructuum superfuerit,erogetur in celebrationem tot Missarum ad eamdem rationem Manualis .* Se-

rio

rio perpendenda est rescripti formula ad dignoscendum, jure ne, vel injuria Sodalitium expensarum reintegrationem efflagitet. Decernendum itaque erit.

An, & quomodo sit providendum in casu &c.

Ad Dominum Secretarium cùm Episcopo juxta mentem.

SABINEN. CAPELLANIÆ. Prole destituta Theresia Ciccalotti Caldori, nonnulla sua bona in pios usus convertere statuit. Anno 1765. per contractum inter vivos binas erexit Capellanias in Ecclesia Collegiata S. Jo:Baptistæ Oppidi Turris; Unumquemque Capellanum gravavit onere celebrandi quinque Missas qualibet hebdomada, & recitandi quotidie circa Solis occasum alternis vicibus Responsorium S. Antonij Patavini, nec non interessendi Choro tempore Sacrarum functionum; In casu vero negligentiæ punctaturis illos subjecit in ea quantitate a Capitulo Collegiatæ præfinienda. Denique Capellanos hortata est ad audiendas in eadem Collegiata Fidelium Confessiones. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Utrumque Capellanum ipsa Theresia adhuc vivens nominavit, nempe Sacerdotem Flavium Caretelli, & Sacerdotem Alexium Baffi; deinde vero in Capellaniarum vacationibus mandavit = *Che fia preferito nel elezione, e nomina il Sacerdote descendente dal Signor Francesco Baffi Padre del detto Signor D. Luigi, e quando tal Sacerdote non vi fosse, o altro simile Sacerdote fosse già stato eletto, e provisto di una di dette Capellanie, debba essere a qualunque altro preferito nel elezione il Sacerdote descendente dalli Signori Andrea, e Pietro Fratello Picarozzi.* De patronatu autem activo sic disposuit = *Che spetti la facoltà di eligere, e nominare in avvenire, e quante volte succederà la vacanza, o dell'una, o dell'altra, di eligere dissi, e nominare il Capellano, o Capellani al Signor Pietro Francesco Ciccalotti figlio della bon. mem. di Paolo, e suoi eredi qualsarauno, o scritti in Testamento, o successivili ab intestato con espressa condizione però, che fia adempito, ed osservato tutto ciò, che hà ordinato, e disposto come sopra. E se occorendo il caso di non essere, o man-*

care il Sacerdote originario, o nativo di Torri, si possa in subsidium elegere, e nominare un Sacerdote forastiere.

Per transitum Clerici Ferdinandi Baffi ad sæcularia vota, vacavit altera ex dictis Capellaniis; Adsunt Sacerdos Aloysius Baffi, & Melchior Picarozzi passivè a Fundatrice vocati, sed alter fungitur munere Vicarij Generalis in Civitate Pientina, alter vero Lectoris Officium exercet in Tusculano Seminario; Hinc Paulus Ciccalotti Theresiæ hæres ad Capellaniam nominavit Sacerdotem Candidum Gentili Oppidi Castri Veteris, sub conditione tamen obtinendi dispensationem Apostolicam. Pro ea obtinenda Sacerdos Gentili SSmo supplicavit, ejusque preces Sac. Congregationi remissæ fuerunt; Verum Sacerdotes Baffi, & Picarozzi statim protestationom in Curia Episcopali emiserunt utpote passive vocati prætendentes Capellaniam extero Sacerdoti conferri non posse. Aliam quoque protestationem emisit Sacerdos Antonius Todini asserens, in defectu Sacerdotum Baffi, & Picarozzi sibi tanquam originario Oppidi Turris Capellaniam deberi. In hoc igitur conflictu causa proponitur.

Sacerdos Picarozzi inquit ad I. dubium, Fundatricem in assecutione Capellaniæ prævocasse Sacerdotem descendentem a Familia Baffi, & in istius defectum substituisse Sacerdotem de Familia Picarozzi; Extantibus autem tempore vacationis Capellaniæ Sacerdotibus ab utraque Familia descendentibus, ait, non potuisse Paulum Ciccalotti Fundatricis voluntatem immutare, & alienigenam nominare; Quare contendit hujusmodi nominationem, utpote contrariam Fundatricis voluntati, nullatenus sustineri; Hanc vero voluntatem fortius servandam esse, quia agitur de fundatione expleta per contractum inter vivos, quo casu, sicuti nec ipsa Fundatrix recedere potuisset, ita multo minus illius hæredes, & descendentes invertere valent.

Ad II. dubium notat, Sacerdotem Antonium Todini non esse de Familiis contemplatis, & propterea, extantibus aliis ab iisdem Familiis descendentibus, esse rejiciendum; Rejiciendum pariter esse Sacerdotem Aloysium Baffi, qui licet ab altera ex passivè vocatis familiis originem trahat, nihilominus in Cathedrali Pientina possidet Canonicatum, qui cum Capellania est incompatibilis, cum Capellanus in Oppido Turris residere debeat, ejusque Collegiatæ Ecclesiæ inservire. Exclusis Sacerdotibus

To-

Todini, & Baffi, ſuſtinet Sacerdos Picàrozzi ſibi uni Capellaniam fore adjudicandam.

Reliqui intereſſe habentes, licet judicialiter requiſiti, nunquam comparuerunt, ut propria jura tuerentur.

Rogatus fuit de ſua ſententia Emus Epiſcopus, ſed illam non protulit, cauſamque judicio Sac. Congregationis definiendam relinquit.

Ponderandum eſt Fundationis inſtrumentum; ex eo namque patebunt tum qualitas Capellaniarum, tum etiam requiſita, quæ requiruntur in Capellanis eligendis: eo igitur perpenſo, dignabuntur EE. VV. decernere.

I. *An ſuſtineatur nominatio in caſu &c.*

Et quatenus Negativè.

II. *An, & cui ſit adjudicanda Capellania in caſu &c.*

Non propoſita cùm Sequentibus.

SENOGALLIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.*

Non ſemel in Sac. Congregatione ad examen revocata fuit diſpoſitio Camilli de Lucatellis, qui in Teſtamento condito anno 1623. hæredem ſcripſit Communitatem Senogalliæ, & mandavit, ut reditus ſuorum bonorum quolibet biennio erogarentur in emptionem ſtabilium, qui deſervirent pro Canonicatu ſingulis duobus annis in Cathedrali Senogalliæ erigendo. Hoc modo perfici voluit inveſtimentum, quouſque erecti fuiſſent triginta Canonicatus, quorum poſſeſſoribus, præter servitium Chori, injunxit onus celebrationis Miſſæ quotidianæ. Expleta Canonicatuum fundatione, mandavit Teſtator proſequi multiplicum pro conſtituendo ſalario duodecim Muſicis cantoribus, qui tam diebus feſtis, quam aliis a Communitate deſignandis canere in Cathedrali tenerentur. Hiſce omnibus adimpletis, quid quid reſiduum foret ex fructibus ſuorum bonorum pauperibus Senogalliæ arbitrio Communitatis diſtribui præcepit.

Curavit Communitas, quantum potuit, Teſtatoris voluntatem exequi; Verum in annos triginta duos, ſeptem tantum Canonicatus fuerunt erecti. Cum poſſeſſoribus iſtorum Canonicatuum conventionem iniit Communitas per lit-

litteras Apoſtolicas in forma Brevis a Sa. m^e. Alexandro VII. approbatam. Ceſſit per hanc conventionem Communitas iiſdem Canonicis omnia hæreditaria Teſtatoris bona, ut ex annuis illorum reditibus alii tres Canonicatus erigerentur, & ſex Manſionariæ, indicta Manſionariis lege canendi Miſſam in Cathedrali, & divinis Officiis intereſſendi, nec non applicandi Miſſam pro Teſtatoris ſuffragio cum alternativa unius hebdomadæ; Conventum pariter fuit, ut Manſionariis aſſignarentur annua ſcuta ſexaginta illius monetæ, quæ in moneta Romana ſcuta circiter quadraginta conficiunt. Ac denique conventum fuit, ut ſingulis annis Communitati traderentur ſex Salmæ frumenti in eleemosynas Pauperum diſtribuendæ.

Quamvis injuncta onera adimpleverint Manſionarii, noviſſimè tamen de illorum exceſſu conqueſti ſunt in Sac. Congregatione; Expoſuerunt enim, quod perſolutis oneribus Cameralibus, & expenſis pro manutentione Sacrorum Suppellectilium, detractaque eleemosyna manuali pro celebratione centum, & octuaginta Miſſarum, quas unusquiſque celebrare tenetur, vix ſupereſſent annua ſcuta viginti circiter, quæ imparia ſunt ferendo oneri ſervitii Chori; Itaque ſupplicarunt pro Miſſarum reductione, quam, ut facilius aſſequi poſſent, allegarunt exemplum duplicis Indulti eadem de cauſa a Sac. Congregatione diebus 12. *Februarij* 1689., & 12. *Februarij* 1693. conceſſi Canonicis de fundatione Lucatelii, quamvis mitiori ſervitio eſſent adſtricti. Propoſito hac de re dubio die 8. *Junij* 1782. nulla fuit data reſponſio, rogatusque extitit Eminentiſſimus Vrſinus, ut indulta, quæ deducebantur in exemplum, perſcrutari dignaretur. Id aſſueta ſua diligentia exequi non prætermiſit laudatus Eminentiſſimus Cardinalis, qui retulit Canonicorum præbendas anno 1689. vix æquaſſe annuam ſummam ſc. 45., deinde fuiſſe imminutas, ita quidem, ut iterum imminui debuerit Miſſarum numerus, quæ anno 1693. reductæ fuerunt ad Miſſas quindecim quolibet Menſe alternis hebdomadibus celebrandæ. Non potuit tamen non admirari, quod juxta aſſertionem Manſionariorum Emi Epiſcopi teſtimonio roboratam adauctæ fuerint Præbendæ poſt obtentas relatas reductiones uſque ad annua ſcuta centum, abſque eo quod auctus unquam fuerit numerus Miſſarum; cum hujuſmodi reductionum Indulta præferant tacitam conditionem importantem augumentum numeri Miſſarum, ſi reditus augeri contingat;

Hinc

Hinc fuit in ſenſu, ut ab Emo Epiſcopo accuratius inquireretur præciſa quantitas redituum Præbendarum, & unde nam illarum augumentum proceſſerit.

Juxta hunc ſenſum datæ fuerunt litteræ Emo Epiſcopo, qui refert, quod, ducto decennali calculo, reditus Canonicorum Lucatelli aſcenderunt quotannis ad ſcuta ſeptuaginta pro quolibet, detractaque Miſſarum Eleemosyna, aliiſque expenſis, reditus non excedunt annua ſcuta quadraginta quatuor. Addit, aſſeruiſſe prius Præbendarum reditus in annuis ſcutis centum, quia incrementum evenerat ex fructu animalium, quibus Præbendarum bona ſunt inſtructa, ſed nunc advertit, quod Canonici hoc fructu non fruuntur, niſi ære proprio animalia comparaverint; quo caſu fructus Animalium, dici non poteſt fructus Præbendæ, ſed pecuniæ pro illorum emptione erogatæ. Præterea advertit, fruges elapſo decennio tanti fuiſſe æſtimatas, quanti nunquam vendi fortaſſe poterunt; proindeque imminutionem potius redituum in poſterum timendam, quam ſperandum augumentum. Poſt hæc ita concludit = *Quamobrem videant Emi PP. num Manſionariorum precibus ſit annuendum, & Canonicorum onera augeri, vel potius in eo ſtatu illa relinqui oporteat, quo anno* 1743. *Sacer iſte Senatus reliquit, Epiſcopi Iſolani decreto abrogato, quo eadem onera reintegrare ſtatuerat uſque ad Sacrificiorum numerum a Lucatellio Teſtatore præfixum.*

Hæc omnia, antequam EE. VV. proponerentur, perpenſa prius fuere a laudato Emo Urſino, qui de ſua ſententia rogatus ait = *Quapropter firmis remanentibus fundamentis reductionum Canonicis ab hac Sacra Congregatione annis* 1689. 1693., *& præſertim anno* 1743. *reliquum erit, ut EE. VV. reſumptis Manſionariorum juribus diſtributis pro Congregatione habita die* 8. *Junii anni* 1782. *decernant, an eorum quoque precibus ſit annuendum; Cæterum quatenus ulla adhuc ſupereſſet, quod non crederem, dubitatio quoad obtentas a Canonicis reductiones, ipſi audiri poſtulant, nec denegandum cenſerem.*

Deſcripta reperitur hæc cauſa in Folio Congregationis diei 11. *Maij anni* 1782. Rogantur Emi Patres reſumere tam dictum Folium, quod habetur in *Theſauro Reſolutionum Sacræ Congregationis Tom.* 51., quam illud Congregationis diei 23. *Novembris* 1743., quod proſtat in eodem *Theſauro Tom.* 12., in quo de viribus decreti editi a Præſule Iſolani olim Senogallienſi Epiſcopo

po actum est, ac sedulo perpensis juribus nòviter deductis, definire.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Sess. 14. cap. 7. & Sess. 24. cap. 6. de Reform.

TRIDENTINA IRREGULARITATIS. Antonius Tranquillini Parochiæ Murij Diœcesis Tridentinæ in nono ætatis anno constitutus, quadam die Mensis *Martij* anni 1773. ab aliis pueris sociatus Rus adiit recreationis causa. Cum ad quemdam Montem Albanum nuncupatum perveniisset, per jocum, ut Puerorum mos est, omnes lapidibus sese invicem provocare, & impetere cæperunt; Accidit, ut ictu lapidis percussus fuerit Jo: Bergamincus puer sexennis, qui paucos post dies, quarta scilicet Aprilis è vita migravit. Tunc autem percussor non fuit detectus, quia nempe alius alium reum indigitabat; verum major Sociorum pars ictus mortalis auctorem retulit Tranquillinum; Is ad decimum octavum ætatis annum perventus Ecclesiasticæ Militiæ nomen dedit, nullaque obtenta Apostolica dispensatione, Clericali Tonsura, & primis duobus Ordinibus Minoribus insignitus fuit; Postea tamen dubitare cæpit de contracta irregularitate, exhibuitque preces Sac. Congr. pro dispensatione, ut ad alios Ordines promoveri posset.

Auditus fuit Episcopus, qui facti seriem confirmans ait = *Factum ab omnibus casui tributum fuisse, vel, si malumus, culpæ inconsideratæ, ita ut propterea nulla prorsus judicialis inquisitio fuerit instituta. Hæc eadem ad unum omnes fidei dignos homines, Sacerdotesque Murij constanter affirmant, præsertim Parochus, quem nihil ad utilitatem Supplicantis, omnia ad rei veritatem retulisse testor, utpote ingentis probitatis virum mihi, meæque Episcopali Curiæ apprimè cognitum, cujus testimonium plurimum apud vos PP. Emi, plurimumque apud me valere debet; Proindeque eundem Supplicantem adolescentulum ab hujusmodi irrregularitate sine hæsitatione absolvi posse censeo.*

Notum

Notum eſt, quod ſi quis per induſtriam, aut per inſidiam homicidium commiſerit, ab Altaris miniſterio repellitur: *Cap.* 1. *de Homicidio volunt.*, *vel caſual.*. Irregularitatem pariter contrahunt Clerici, qui dant operam rei illicitæ, ex qua ſequatur homicidium, licet ſit caſuale. *Fagnan. in cap. quidam de Homicidio num.* 2., & 3. Contrahunt irregularitatem, qui licet dent operam rei licitæ, nihilominus ob non adhibitam diligentiam accidit homicidium, quamvis caſu eveniat. *Cap. Ad audientiam* 12. *de Homicidio*. In præſenti caſu notandum, quod licet major pars puerorum homicidij reum denunciet Antonium Tranquillini, attamen non deſunt alij, qui alios de hujuſmodi homicidio auctores faciunt, atque hinc videndum, an Tranquillini revera ſit irregularis. *In cap. Significaſti* 18. *de Homicidio* proponitur caſus, quo quis ab uno fuerat læthaliter percuſſus, & ab alio interemptus, quæritur, an percutiens ſit irregularis, & reſpondetur, quod ſic percutiens, licet forſan homicida non ſit, a Sacerdotali Officio ſe abſtinere debeat; deinde additur = *Utrum autem de illis ſit ſimile ſentiendum, quorum unus, ſed quis omnino neſcitur homicidium perpetravit, ſi forſitan ad Sacros Ordines recipiendos præſententur, utrum omnes ſint pariter repellendi cum diſcerni non poſſit, qui debeant culpabiles judicari, diligens inveſtigator advertat, quamvis hic caſus ſit ab illo valde diverſus.* Advertit *Gonzal. ad d. cap. num.* 4., quod ſi homicidij reus non appareat, omnes a pæna mortis erunt immunes, & ſolum arbitrio Judicis coerceri debent; Verum omnes erunt irregulares.

Perpendendum pariter eſt, quod quamvis Tranquillini revera ſit reus homicidij, nihilominus ipſe de tempore homicidij in nono ætatis anno erat conſtitutus, & propterea videndum, an ætatis defectus illum excuſet. *In Cap.* 1. *de delictis Puerorum* hæc habentur = *Pueris grandiuſculis peccatum nolunt attribuere quidam, niſi ab annis quatuordecim cum pubeſcere cæperint: Quod merito crederemus, ſi nulla eſſent peccata, niſi quæ membris genitalibus admittuntur. Quis vero audeat affirmare furta, mendacia, & perjuria non eſſe peccata? At his plena eſt puerilis ætas, quamvis in eis non ita ut in Majoribus punienda videantur.* Alex. III. *in cap.* 2 *eod. tit.* ſcribens Epiſcopo Hermonen. ſic ait = *Referente nobis H. intelleximus, quod cum filius ejus decennis cum aliis pueris ſagittaret, quidam nepos ejuſdem H. ſagitta percuſſus interiit: quod idem filius ejus cum inter alios luderet fortuito caſu dicitur periiſſe, propter quod Ab-*

Abbas S. Remigii a præfato H. secundum consuetudinem illius Terræ centum solidos instantius requirebat, & infra. Unde quoniam in pueris relinqui solet inultum, quod in aliis provectioris ætatis humanæ leges dicunt severius corrigendum; Mandamus, quatenus si constiterit, filium prædicti H. *infra decimum quartum ætatis suæ annum eundem excessum commisisse, memoratum Abbatem moneas & compellas, ut ab eodem H. prædictos centum solidos propter illam consuetudinem non exigat, nec ab ipso pro temporali pœna requirat.*

Quamvis autem ætatis defectus homicidam à pœna temporali excutet, non una tamen est Doctorum sententia, num eamdem ob causam ab irregularitate immunis evadat. Notat *Gloss. ad dict. cap. 2. de delictis Puerorum* quod puer *irregularis fuit effectus, & pœna spirituali debet puniri, sive canonica, ex eo quod dicit pro temporali pœna, mitius tamen agitur cum eo propter ætatem.* Et similiter *Gloss. in Clementina unica de Homicidio volunt. vel casual.* Infantem perpetrantem homicidium ab irregularritate excusat = *secus de impubere proximo pubertati, quia in eo cadit omne delictum præter delictum carnis.* Existimat *Pignatell. consult.* 110. *num.* 14. *tom.* 10. cum aliis ab eo allegatis, quod puer cultrum projiciens, & aliquem occidens irregularis evadat. *Majol. de irregular. lib.* 5. *capit.* 48. *num.* 11. asserit quod juxta veriorem Doctorum sententiam major septennio propter homicidium fiat irregularis. Verum *Sayr. de censuris lib.* 6. *cap.* 17. *n* 31. sustinet, quod major septennio ante annos pubertatis, quæ in jure a septimo ad decimum quartum extenditur, si hominem occidat, & nesciat, quid faciat, nec doli capax sit, irregularis non evadat. Id ipsum confirman- *Covar. part.* 3. *in principio num* 6. *de Homicidio*: *Villat diego tract. de Irregul- cap. de percussore num.* 12., qui ait, hanc sententiam esse communem, quia ad contrahendam irregularitatem requiritur, quod occisio sit libera, & voluntaria. *Narbona de ætat. decem annorum cum dimidio quæst.* 8. *num.* 17. contendit, quod tam Vir post decimum annum cum dimidio, quam Fœmina post nonum cum dimidio, Excommunicatione, Interdicto, & Irregularitate puniri possunt; Advertit tamen, quod licet ante hoc tempus peccare potuerint, itaut excommunicari mereantur, nihilominus Ecclesia ante præfatum usum rationis illos censuris afficere noluit.

Qui hanc sententiam sequuntur fundamentum in eo constituunt, quod nempe in puero deest rationis usus, & propte-

pterea doli capax non sit. Verum *Ancaran. in Clementina si furiosus num.* 8. puerum doli capacem affirmat, si est proximus pubertati; proximus autem pubertati dicitur, cum ætas magis propinquat ad pubertatem, quam ad infantiam, idque contingere ait in Masculo, quando habet decimum annum cum dimidio. *Gloss. in Leg. Pupillam ff. de regulis juris* firmat = *Aliquando dicitur pupillus proximus infantiæ, aliquando proximus pubertati, ut hic; Accipio ergo medium, ut a decimo anno, & dimidio Masculus dicatur proximus pubertati, & hic talis delinquere potest.*

Quid quid tamen sit de diversa Doctorum sententia, an defectus ætatis ab irregularitate excuset, in eo tamen omnes conveniunt, quod mitius in hisce circumstantiis procedi solet. In *Cap. Pueris 6. de sent. excom.* hæc habentur = *Pueris, qui in Canonem inciderunt sententiæ promulgatæ, sive ante sive post pubertatem postulent se absolvi, potest* Diœcesanus *Episcopus absolutionis beneficium impertiri: Cum propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus.* Subdit *Gloss. Nota quod ratione ætatis rigor juris aliquando temperatur, & sic ætati parcitur.* Et similiter *Gloss. in Clementina si furiosus de Homicid. volunt., vel casual. verbo infans* ait *Hostiensis in Decretali illa de delictis puerorum dicebat, quod Puer non doli capax, si proficiendo lapidem, vel cultellum occidit aliquem, irregularis est, licet non habuerit animum occidendi: quia in lege promotionis non voluntas, sed factum attenditur: dicebat tamen tale homicidium dispensatione dignum, cum censeatur quasi casuale, non habita distinctione, ex quo non discernit, an dederit operam rei licitæ, vel adhibuerit diligentiam.* Et in hoc etiam conveniunt *Pignatell.*, *Majol.* aliique superius relati.

In *Alexanen. Irregularitatis*; Agebatur de promoto ad Diaconatum, quem Episcopus ab Presbyteratum promovere recusabat, quia sciverat, quod dum esset puer ætatis annorum novem, & ultra, jussu Matris venenum emerat ab eadem Matre traditum Viro, qui vix gustato veneno noluit illud accipere; Asserebatur testimonium Medici asserentis Virum obiisse ex gravi contusione in parte cordis, quæ ei ante propinationem veneni certo contingerat, & propterea supplicavit pro dispensatione ab irregularitate. Verum in Congregatione diei 5. *Julij* 1738. denegata fuit dispensatio, injuncta confectione Processus super crimine. Ex Processu autem innotuit, quod Diaconus

ab homicidij diffamatione erat immunis; quare repropoſita Cauſa ſub dubiis I. *An conſtet de irregularitate*, & quatenus affirmative II. *An ſit concedenda diſpenſatio*. Die 17. *Decembris* 1740. prodiit reſolutio = *Concedendam eſſe diſpenſationem ad cautelam*.

Cum caſus, de quo agitur, in ludo contigerit, non abs re erit referre, quod *Innocentius III. in cap. Lator* 9. *de Homicidio* hæc habet = *Lator præſentium P. Clericus nobis propoſuit, quod cum quadam die, caſu cum quodam Clerico luderet, contigit, quod ille projecit iſtum ad terram, cujus cultellus, quem ad latus ſuum habebat in alterum incidit, & fortuito caſu occubuit vulneratus; Ideo mandamus, quatenus, ſi ita res habuit, & alia juſta cauſa non impedit, prædictum P. libere permittas ad Sacros Ordines promoveri*; Ex quo infert *Sylveſt. in verbo Homicidium quæſt.* 2. *num.* 13., quod ſi Clericus licitè ludat, & inſpectis omnibus circumſtantiis ludi, perſonarum, loci, & temporis aliquem occidat in ludo, non eſt irregularis; Addit tamen paulo inferius, quod ludus cum lapidibus, quamvis pueris licitus, illicitus quandoque redditur ex immoderato lapidis ictu.

Illud etiam animadverſione dignum videtur, quod Orator, nondum obtenta diſpenſatione, Clericalem Tonſuram, ac duos primos Minores Ordines ſuſcepit. In hoc caſu *Pichler in Jus Can. tom.* 1. *lib.* 1. *tit.* 11. *num.* 25., *Navarr. in Manual. cap.* 27. *num.* 194., *Bellet. diſquiſ. Cleric. part.* 1. §. 5. *num.* 186. ſuſtinent, quod ſi quis Ordinibus initietur in irregularitate detentus illicita eſt ordinatio, ſed per hujuſmodi Ordinationem non contrahitur nova irregularitas, quia inhabilitas non reiteratur, ſed perſiſtit per modum habitus permanentis, ad differentiam cenſurarum, quæ, multiplicatis tranſgreſſionibus, reiterantur.

Hæc ad Cauſam adnotanda erant; ſupereſt modo, quod Emi PP. decernant.

I. *An conſtet de irregularitate in caſu &c.*
Et quatenus affirmative.

II. *An ſit locus diſpenſationi in caſu &c.*

Die

Die Sabbathi 27. *Martii* 1784. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

HAbent Eminentiſſimi PP. ex Folio poſtremæ Congregationis tres Cauſas, quæ primo ordine adnotantur. Aliæ ſex in præſenti Folio deſcribuntur, & de omnibus judicium ferendum eſt.

SABINEN. CAPELLANIÆ. *Seſſ. 22, cap. 6, de Reform.*

I. *An ſuſtineatur nominatio in caſu &c,*
Et quatenus negativè.

I. *An, & cui ſit adjudicanda Capellania in caſu &c.*

Ad I. Negativè.

Ad II. Capellaniam adjudicandam eſſe Melchiori Picarozzi, præfixo termino duorum menſium ad reſidendum, adimpletis interim oneribus per alium.

SENOGALLIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.*

An, & quomodo ſit locus reductioni Miſſarum in caſu &c.

Dilata, & ad mentem: & mens eſt, quod reproponatur citatis Canonicis.

Seſſ. 14. *cap.* 3., & *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reform.*

TRIDENTINA IRREGULARITATIS.

I. *An conſtet de Irregularitate in caſu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An ſit locus diſpenſationi in caſu &c.*

Pro diſpenſatione ad Cautelam, facto verbo cum Sanctiſſimo.

Seſſ. 23. *Cap.* 1., & *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *de Reform.*

VITERBIEN., SEU TUSCANEN. Quæ inter Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Viterbij, & alterum Eccleſiæ Cathedralis Tuſcaniæ vigebant diſſentiones, eæ omnes judicio Sacræ Congregationis definitæ fuerunt *die* 11. *Januarii* elapſi anni. Inter cætera diſputatum fuit, cui nam ex dictis Eccleſiis prænominatio competeret in actibus communibus. Duæ hac de re propoſita fuerunt dubia, quæ erant in ordine XII., & XIII., & ſequens datum eſt reſponſum = *Prænominationem competere Eccleſiæ in qua reſidebit Epiſcopus; ſi vero extra utramque, competere Viterbienſi* = Capitulum Tuſcanenſe reclamavit ab ea parte reſcripti, quæ prænominationem tribuit Eccleſiæ Viterbienſi, quando Epiſcopus extra utramque Diœceſim reſideat; Quare beneficio novæ Audientiæ de hoc agendum erat in Congregatione diei 7. *Februarij* proximè præteriti, ſed impertita Capitulo Viterbienſi dilatione juxta preces, dilata eſt ad hanc diem Cauſæ propoſitio; Juſſu proinde EE. VV. in præſenti Folio deſcribitur, reſumptoque altero Folio diei 14. *Septembris* 1782., in quo cuncta diſceptationum capita relata ſunt, & plura ad rem, de qua modo agitur, adnotata reperiuntur; Reſpondendum erit dubio.

An, & quomodo ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis quoad XII., & XIII. *Dubium in caſu &c.*

In deciſis, & amplius.

Seſs. 21. *cap.* 4. *de Reform.*, & *ſeſſ.* 25. *cap.* 13. *de Regular.*

SENOGALLIEN. PRÆEMINENTIARUM. Perſpecta ſunt Emis PP. Jura, & Præeminentiæ Abbatialis, & Parochialis Eccleſiæ S. Mariæ de Platea Oppidi Montis Novi, de quibus actum fuit die 30. *Januarij* 1779., qua die, relatis diſſidiis exortis inter Abbatem, & Parochum S. Severi, prodiit Sac. Congregationis definitio. Verum novis poſtea ſubortis diſſidiis inter Abbatem, & PP. Minores Conventuales, coactus fuit Abbas novam li-

litem assumere. Instituta prius disceptatione de pertinentia Causæ, censuit R. P. D. Auditor SSmi duo quæstionum capita judicio Sacræ Congregationis remittenda; Primum, nempe an Ecclesia Abbatialis sit Matrix aliarum omnium Ecclesiarum Oppidi Montis Novi? Alterum an Religiosi Conventuales die Sabbathi Majoris hebdomadæ teneantur pulsare Campanas statimac pulsantur Campanæ dictæ Abbatialis Ecclesiæ? De hisce duobus modo quæritur.

Ad I. quod respicit, non intendit Abbas quæstionem instituere de rigorosa Matricitate ad effectum percipiendi decimas, sed solum de Matricitate certare quoad actus præeminentiales, & ad hunc effectum conjecturas sufficere contendit. Plures vero conjecturas, quin immo indubia monumenta concurrere affirmat ad eruendam Abbatialis Ecclesiæ Matricitatem, & præsertim quod in Solemnioribus anni Festivitatibus tanquam Matrix Sacras Functiones peragere consueverit, idque a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium contra ipsos met Patres Conventuales declaratum fuisse, & novissime ab hac Sacra Congregatione contra Ecclesiam Parochialem S. Severi; Hanc autem declarationem statum facere, maxime quia Ecclesiæ Parochiales digniores sunt Ecclesiis Regularium.

Ad II. sustinet in Constitutione san. mem. Leonis X. statutum esse, non licere in die Sabbathi Sancti Filialibus Ecclesiis pulsare campanas, nisi audito prius signo Ecclesiæ Matricis; In Oppido vero Montis Novi consuetudinem invectam esse, ut dicta die pulsentur Campanæ omnium Ecclesiarum statim ac pulsantur Campanæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Platea, & hanc consuetudinem servandam esse a PP. Conventualibus, cum præsertim sit immemorabilis, ut deponunt Testes, qui in materia præeminentiarum atttendi debent, etiamsi cum requisitis immemorabilis non deponerent.

PP. Conventuales, licet moniti, & diu expectati, nihil hactenus deduxerunt. Emus Episcopus judicium Sacræ Congreg. expectat.

Cum in Sac. Congreg. alias actum sit de Matricitate Ecclesiæ S. Mariæ de Platea supra alteram Parochialem Ecclesiam S. Severi, hinc ne inutiliter repetantur, quæ jam dicta sunt, satis erit resumere Folium distributum pro Congregatione diei 12. *Decembris* 1778. quod est in *Thesauro Resolutionum Tom.* 47. Aliqua nunc adnotanda

da superſunt quoad II. dubium. Inhærens diſpoſitioni Concilij Lateranenſis V. Leo Papa X. in Conſtitutione, quæ incipit *Dum intra* §. 12. ſic ſtatuit = *Ut debitus honor Matrici Eccleſiæ reddatur, tam ipſi Fratres, quam alij Clerici ſæculares, etiamsì ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis privilegio muniti, die Sabbathi Majoris hebdomadæ antequam Campana, Cathedralis vel Matricis Eccleſiæ pulſaverit, Campanam in Eccleſiis ſuis pulſare minime poſſint; Contrafacientes pœnam centum ducatorum incurrant.*

In Cæremoniali Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 27. ubi ſermo inſtituitur de ritu Sacrarum Functionum diei Sabbathi Majoris hebdomandæ hæc habentur = *Cantatur Gloria in excelſis, pulſanturque Campanæ, & Organum, & prius debent moneri Eccleſiæ Civitatis, ne pulſent Campanas, niſi audito ſigno Campanarum Eccleſiæ Cathedralis.* Notat Benedictus XIV. *Inſtit.* 20. *num.* 9., quod in iis locis, ubi nec Cathedralis, nec extat alia Eccleſia, quæ vere ſit Matrix, pertinet ad Eccleſiam digniorem dare ſignum pulſationis Campanæ, & ita pariter pluries a Sac. Congr. fuit definitum.

Ponderandum in præſenti caſu quid obſervetur quoad alias Eccleſias etiam Regularium in Oppido Montis Novi, & an aliæ Eccleſiæ pulſare debeant Campanas ſtatim audito ſigno ab Eccleſia S. Mariæ de Platea. *Gavant. tom.* 1. *part.* 4. *tit.* 10. *num.* 31. advertit = *Ne majores Campanæ pulſentur antequam ſignum datum fuerit in Cathedrali, ſeu Matrice Eccleſia ex decreto Concilii Lateranenſis ſeſſ.* 11. *ſub Leone X. ſub pœna Regalaribus Ducatorum centum, ex Sac. Rituum Congregatione die* 21. *Martii* 1609., *& eæ tantum eo caſu pulſabuntur, quæ ſunt intra parietes Eccleſiæ; dato deinde ſigno a Cathedrali, ſeu Matrice, dabitur etiam (licet detur longe poſt Gloria in excelſis) ſolemne ſignum ab omnibus aliis Eccleſiis cum Campanis majoribus.* Definiendum proinde erit.

I. *An conſtet de Matricitate Eccleſiæ Parochialis, & Abbatialis S. Mariæ de Platea Terræ Montis Novi in caſu &c.*

II. *An Patres Minores Conventuales præfatæ Terræ in Sabbatho Majoris hebdomadæ teneantur pulſare Campanas cum primum pulſantur Campanæ Eccleſiæ S. Mariæ de Platea in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè quoad actus præeminentiales tantum.

Ad II. Affirmativè.

SE-

SENOGALLIEN. PRÆEMINENTIARUM. Matricitatem Ecclesiæ Abbatialis, & Parochialis S. Mariæ de Platea Oppidi Montis Novi impugnant etiam PP. Reformati S. Crucis ejusdem Oppidi pluribus ex causis, quas Abbas Sac. Congregationi retulit. Siquidem expositum fuit, quod iidem Religiosi Feria V. *in Cœna Domini* jus sibi esse prætendunt pulsare Campanas postquam cessaverit, & conquieverit Campana Matricis Ecclesiæ; Insuper in die Sabbathi Majoris hebdomadæ pulsare recusant Campanas statimac datum est signum a Campanis Ecclesiæ Abbatialis; Præterea impedire contendunt Abbati ingressum in eorum Ecclesiam cum Stola, & Cruce elevata occasione associationis Cadaveris in eadem Ecclesia tumulandi, & denique renuunt præbere honorificentiorem locum Cruci Ecclesiæ Abbatialis, dum funus super cadaver expletur. Omnia hæc quæstionum Capita quinque dubiis dispertita ad examen hodie revocantur. *Sess. 21. cap. 4. de Reform., & Sess. 25. cap. 13. de Regul.*

Ad I., & V. dubium Abbas se refert ad ea, quæ in alia præcedenti Causa quoad sonum Campanæ deduxit. Ad II. sustinet sibi favere consuetudinem, cum plurimi Testes, qui tempore non suspecto fuerunt examini subjecti, quique cum requisitis immemorabilis deponunt, affirmant, Parochum S. Mariæ de Platea, dum Cadavera deferuntur ad Ecclesiam S. Crucis, semper ingressum fuisse Ecclesiam cum Stola, & Cruce elevata; Et hanc consuetudinem eo magis servandam esse contendit post editam a san. mem. Benedicto XIII. Constitutionem, quæ incipit *Prætiosius*, in qua declaratur, posse Parochos ingredi Regularium Ecclesias cum Stola, & Cruce, cum actus hujusmodi nullam præseferant jurisdictionem. Ad III. contendit, quod probata Ecclesiæ Abbatialis Matricitate, necessario illius Cruci debeatur dignior locus. Ad IV. demum inquit, eamdem quæstionem actam fuisse cum PP. Conventualibus in Sac. Rituum Congregatione, & in altera Congregatione Episcoporum, & Regularium, & utraque in Congregatione favore Abbatis fuisse definitam; Quare idem modo ferendum sit quoad PP. Reformatos judicium. PP. Reformati, licet judicialiter requisiti, jura sua deducere minime curarunt. Rogatus de sua Sententia Eminentissimus Episcopus, Causam judicio Sac. Congregationis definiendam reliquit.

Quæ ad I., & V. dubium spectant, adnotata fuerunt in examine præcedentis Causæ; Quod ergo attinet ad II., & III. rem illustrat *Pignat. tom. 3. Consult. 47. per totam*, ubi plura recenset rationum momenta, & nonnullas refert

fert Sacrarum Congregationum decisiones, & *num.* 25. concludit, Parochis licere occasione Funerum ingredi Ecclesias Regularium cum Stola, & Cruce elata, dummodo nullum Officium super Cadavere peragant. Quid vero in præsenti quæstione statuendum sit, definient Emi PP., a quibus quæritur.

I. *An constet de Matricitate Ecclesiæ Abbatialis, & Parochialis S. Mariæ de Platea Terræ Montis Novi in casu &c.*

II. *An Abbas, & Parochus Ecclesiæ præfatæ S. Mariæ de Platea occasione associationis Cadaverum possit ingredi Ecclesiam PP. Reformatorum S. Crucis dictæ Terræ cum Stola, & Cruce elevata, eamque sic retinere tempore Funerum in casu &c.*

Et quatenus Affirmativè.

III. *An præcedentia, & præeminentia competat Cruci dictæ Ecclesiæ S. Mariæ de Platea in casu &c.*

IV. *An PP. Reformati Feria V. in Cœna Domini possint pulsare Campanas post silentium Campanarum dictæ Ecclesiæ S. Mariæ de Platea in casu &c.*

V. *An iidem Patres Reformati in Sabbatho Sancto teneantur pulsare Campanas cum primum pulsantur Campanæ præfatæ Ecclesiæ S. Mariæ de Platea in casu &c.*

Ad I. Affirmativè quoad actus præeminentiales tantum.
Ad II. Affirmativè.
Ad III. Affirmativè.
Ad. IV. Negativè.
Ad V. Affirmative.

ess. 22. cap. 6. e Reform.

FIRMANA REPORTATIONIS ONERIS MISSARUM. Data fuit præsens Causa in Folio Congregationis diei 7. elapsi Mensis *Februarij*, sed ob aliarum causarum numerum discuti non potuit. Definienda erat in præterita Congregatione, quæ habita fuit die 13. labentis mensis; Verum postulante dilationem Aloysio Boncorio, protracta est ad hanc diem propositio. Nunc itaque Causa proponitur, & resumpto præcedenti Folio, decernendum erit.

An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu &c.

In primo loco decisis, & amplius.
Reliquæ non propositæ.

PRÆ-

PRÆNESTINA JUBILATIONIS. Ecclesia S. Mariæ Oppidi Cavæ usque ab anno 1572. in Collegiatam fuit erecta; Præter Archipresbyterum novem numerat Canonicos, qui omnes Choro inserviunt, & ex his duo alternatim per turnum vacatione fruuntur. In hac Collegiata de Canonicatu provisus fuit Sacerdos Stephanus Giorgioli, qui die 22. *Octobris* anni 1741. possessionem apprehendit, & primis duobus annis ex indulto Sacræ Congregationis studiorum causa a residentia abfuit. Hic opinatur, per annos quadraginta continuo, & laudabiliter inserviisse, ideoque preces dedit pro obtinenda Jubilatione. Petitioni restitit Capitulum, ex quo quadragenarium servitium nondum compleverit, & illius absentiam impedimento esse, ne divina Officia debita cum majestate celebrarentur. Quare videndum modo, an dictus Sacerdos Giorgioli Jubilationis indultum mereatur. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

Inquit ipse a Mense *Octobris* anni 1741. ad hæc usque tempora duos supra quadraginta elapsos fuisse annos servitii, & per id tempus continuo, & laudabiliter inserviisse, proindeque Jubilationem denegari non posse. Fatetur quidem, statim ac possessionem Canonicatus adeptus fuit, a residentia abfuisse, ut studiis operam daret, sed absentiæ tempus non excessisse menses quinque, & indultum abessendi a Sac. Congregatione obtinuisse; Et quamvis absentiæ tempus protrahatur ad menses decem, & octo, vel etiam ad duos annos ut Capitulum, & Eminentissimus Episcopus supponunt, nihilominus in hoc etiam casu verificari quadragenarium servitium Ecclesiæ præstitum. Sustinet præterea, alienum a veritate esse, quod quandoque a residentia discesserit, vel rusticationis causa, vel ut suis privatis negociis incumberet, cum id asseratur absque probatione, immo contrarium resultet ex depositione Archipresbyteri, aliorumque trium Capiturium testantium, Oratorem adeo diligentem in servitio fuisse, ut non raro Choro interfuerit etiam quando ex Constitutionibus Capitularibus inservire minime tenebatur. Addit, Jubilationis gratiam præpediri non posse ob exiguum Canonicorum numerum inservientium, cum ad obtinendam Jubilationem observetur solum tempus servitii nulla habita ratione ad eos, qui inserviunt. quique majori onere gravantur, cum & ipsi expleto quadragenario cursu fruituri sint eodem beneficio.

A Canonicis nihil deductum est, licet judicialiter fuerint requisiti. Ex Folio vero Capitularis resolutionis patet, quod renuebant assensum præbere, quia Canonicus Gior-

gioli per annum cum dimidio abfuit a reſidentia cauſa ſtudiorum, & deinde abfuit quoque per aliud tempus ruſticationis cauſa, unde inferebant, quod ſervitium quadragenarium revera dici non poterat continuum, & laudabile; Ulterius advertebant, quod Collegiata ex Archipresbytero, & novem Canonicis conſtat, & ex his duo Jubilationis indulto fruuntur, & alii duo adverſa valetudine laborant; Præterea alii duo Canonici per Turnum gaudent vacatione, proindeque ſi abſit Canonicus Giorgioli tres tantum ſuperſunt Canonici, qui ad divina celebranda non ſufficiunt.

Eminentiſſimus Epiſcopus refert, Oratorem per biennium abfuiſſe cauſa ſtudiorum, aliquando etiam abfuiſſe ad propria peragenda negocia, vel ad recreandum animum; Advertit tamen computari non poſſe abſentiæ tempus, quia deſunt antiqui fallentiarum libri, & recentiores leves exhibent notas. Poſt hæc ait = *Prout in mandatis habui Capitulum audivi, illudque obſiſtit gratiæ petitioni, & ob tempus nondum impletum quadraginta annorum, & ob Eccleſiæ neceſſitatem. Quid ſuper primo ſit notandum jam ſuperius in facto expoſui; Vera eſt cæterum allegata Eccleſiæ neceſſitas, ex rationibus in reſolutione Capitulari expreſſis, quarum cauſa, oſcitanter agitur divinus cultus, Pſalmorumque cantus ſæpè negligitur.*

In more poſitum eſt, quod Beneficiati jubilatione donari ſoleant poſt expletum quadraginta annorum ſervitium. Plurima hac de re proſtant exempla in Sac. Congregatione, & præſertim in cauſa *Civitatis Plebis Jubilationis* deſcripta in Folio Congregationis diei 23. *Novembris* 1782. in quo nonnulla ad doctrinam Jubilationis adnotantur. Servitium vero nedum quadragenarium eſſe debet, ſed continuum, & laudabile; & revera in *Coſtantien. Jubilationis*, cum quidam Canonicus Jubilationem obtinuiſſet, & Capitulum Indulti executioni obſtaret, quia ſervitium quadragenarium cum qualitate continui, & laudabilis præſtitum non fuerat, propoſitum fuit dubium=*An ſuſtineatur Indultum, de quo agitur*. Sac. Congregatio die 4. *Maii* 1737. reſpondit = *Negative* = Ponderandum nunc eſt, an ſervitium, quod præſtitit Canonicus Giorgioli, revera continuum, & laudabile dici poſſit; Videndum, an ei impedimento eſſe debeat tempus, quo abſens fuit vel ut ſtudiis operam daret, vel ut propriis negociis incumberet.

In *Nepeſina Jubilationis* Sacerdos Joſeph Caroſellus Canonicus Eccleſiæ Cathedralis Nepeſinæ de menſe *Auguſti*

ſti 1711. Jubilationis indultum obtinuerat ea cum expreſſione, quod per annos quadraginta inſervierat. Executioni gratiæ reſtitit Capitulum aſſerens quod ſtatim poſt adeptam poſſeſſionem de licentia Sac. Congregationis per triennium moram traxit in Urbe cauſa ſtudii, & hujuſmodi triennium computari non poterat ad effectum Jubilationis; propoſito dubio = *An Jubilationis indultum ab Oratore obtentum ſit exequendum in caſu &c.*. Die 28. *Novembris* 1711. Sac. Congregatio reſpondit *Negativè* = *lib.* 61. *Decret. pag.* 526. Rurſus in *Dubiis Jubilationum* quæſitum fuit = *An indulgenda ſit Jubilatio Canonicis, & Beneficiatis, qui ſpatio quadraginta annorum Eccleſiis inſervierunt, licet dicto temporis ſpatio cum debitis licentiis, & indultis abfuerint ab Eccleſia, vel cauſa infirmitatis, vel cauſa ſtudiorum, vel pro ſuæ Eccleſiæ ſervitio, vel ratione munerum, pro quibus obtinuerunt indulta abeſſendi pro diebus, & horis, vel indulta ſimpliciter, & abſolute abeſſendi ab Eccleſia durante officio ipſis commiſſo*. Die 17, *Decembris* 1718. reſponſum prodiit = *Affirmative quoad abſentes ex cauſa infirmitatis cum debitis licentiis, vel pro ſuæ Eccleſiæ ſervitio, vel cum indultis abeſſendi pro diebus, & horis; Negativè autem quoad abſentes ex cauſa ſtudiorum, & quoad habentes indulta abeſſendi abſolute durante Officio*. Cum itaque Orator a die 22. *Octobris* anni 1741. inter Canonicos fuerit cooptatus, hinc obſervandum, an tempus abſentiæ pro ſtudiis, vel ad propria agenda negocia ſuppletum fuerit cum reliquo tempore, quo ultra annos quadraginta inſerviit.

Aliud dubium Jubilationis propoſitum fuit in hæc verba = *An indulgenda ſit Jubilatio illis, qui inſervierunt ſpatio annorum quadraginta, non obſtante parvo numero aliorum, qui remanent addicti Eccleſiæ ſervitio, & quis ſit parvus numerus inſervientium in caſu ad effectum de quo agitur*, & dicta die 17. *Decembris* 1718. reſponſum fuit, quod *danda eſſet reſolutio in caſibus particularibus*. Inſpiciendus eſt ſtatus Eccleſiæ Collegiatæ S. Mariæ Cavæ, in qua duo adſunt Canonici Jubilati, alii duo infirma valetudine laborant, duo demum per turnum a ſervitio ſunt exempti. In *Ripana Jubilationis* obſtiterat Capitulum Jubilationi petitæ a Canonico Cruciano Crucetti, ex quo, demptis Miniſtris Altari inſervientibus, altero Canonico Organum pulſante, & Præpoſito, qui onus habebat excipiendi Fidelium confeſſiones, tres tantum Canonici Choro intereſſe poterant; Quæſitum in iſto caſu fuit = *An Jubilationis indultum ſit concedendum*

Canonico Cruciano Crucetti in casu &c., & Sac. Congregatio die 29. *Novembris* 1710. respondit = *Affirmativè* = *lib.* 60. *Decret. pag.* 444. Rursus in *Lucana Jubilationis* agebatur de Canonico, qui quadragenarium servitium jam expleverat in Ecclesia S. Petri Majoris Civitatis Lucæ, in qua sex tantum aderant Canonici, & unus ex his propter malam valetudinem inservire non poterat, proposito dubio = *An sit concedendum indultum Jubilationis in casu &c.* die 19. *Septembris* 1772. resolutum fuit = *Affirmativè cum facultate tamen revocandi ad servitium, quatenus divinus cultus detrimentum patiatur*, Omnibus mature perpensis, dignabuntur EE. VV. decernere.

An sit concedendum Indultum Jubilationis in casu &c.

Sess. 7. cap. 6., & sess. 22. cap. 11. de Reform.

FANEN. Ære alieno nimis gravata Ecclesia Collegiata Oppidi Urceani, Capitulum die 5. *Julij* anni 1775. obtinuit a SSmo Domino Nostro, ut per septennium suspenderetur provisio Archidiaconatus tunc vacantis, & illius reditus in extinctionem æris alieni erogaretur. Hoc indultum die 6. *Junij* anni 1781. ad aliud Sexennium fuit prorogatum. Verum Sacerdos Paulus Ercolani, qui Canonicatum in eadem Collegiata retinebat, nondum expirato prorogationis tempore, Archidiaconatus Dignitatem a Dataria Apostolica impetravit, & Canonicatus, quem possidebat collatus fuit Clerico Francisco Mariæ Ercolani. Provisionem hanc acriter impugnarunt Capitulum, & Promothor Fiscalis Curiæ Episcopalis; Ablegato Causæ examine ad Sac. Congr., quatuor proposita fuerunt dubia I. *An rescriptum diei 6. Junij* 1781. *sustineatur in casu &c.*, & quatenus negativè II. *An sustineatur provisio Archidiaconatus in casu &c.*, & quatenus negativè III. *An sit locus regressui in casu &c.*, & quatenus negativè IV. *An Litteræ Apostolicæ sint exequendæ in casu &c.* Die 10. elapsi mensis *Januarij* responsum fuit= *Ad I. Affirmativè* = *Ad II. Negativè* = *Ad III. Affirmativè* = *Ad IV. Negativè*.

Ab hac resolutione reclamarunt Sacerdos Paulus Ercolani, & Clericus Franciscus Maria Ercolani, factaque ipsis facultate illam impugnandi, causa instante Capitulo hodie reproponitur. Resumpto igitur Folio dictæ Congreg. diei 10. *Januarij* mox præteriti, dignabuntur EE. VV. respondere dubio.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 24. Aprilis 1784. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

BINÆ, quæ priori loco tranſcribuntur Cauſæ, ex præcedenti Congregatione ſuperfuerunt; Has itaque, cum aliis ſeptem in præſenti Folio adjunctis, Emi PP. definire dignabuntur.

PRÆNESTINA JUBILATIONIS.
An ſit concedendum Indultum Jubilationis in caſu &c.

Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.

Affirmativè cùm facultate tamen revocandi ad ſervitium quatenùs Divinus cultus detrimentum patiatur.

FANEN.
An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Seſſ. 7. cap. 6. & Seſſ. 22. cap. 11. de Reform.

In deciſis, & ampliùs.

ALATRINA SERVITII CHORI. Nullum ob temporis injuriam de erectione Eccleſiæ Cathedralis Alatrinæ reperitur monumentum; Aliqui tamen ſcriptores referuut, quod ab anno uſque 500. Cathedræ Epiſcopalis honore erat inſignita. Antiquitus decem, & octo numerabat Canonicos; ſed propter Præbendarum tenuitatem ad duodecim fuerunt redacti; Circa initium currentis ſæculi aliæ duæ Canonicorum Præbendæ inſtitutæ ſunt, ita ut hodie ad quatuor ſuper decem aſcendant. A tempo-

Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.

pore , cujus initii memoria non extat , Capitulares Ecclesiæ inservire consueverunt alternis hebdomadis, & hoc servitium præstabant toto tempore Adventus , ad Completorium in Quadragesima, & in Octava Corporis Christi : reliquo vero Quadragesimæ tempore , & omnibus diebus Festis de præcepto , aliisque ex consuetudine præfinitis, omnes Choro interesse tenebantur . Morem hunc absonum ab Ecclesiastica disciplina censuit hodiernus Episcopus ; quare de mense *Martij* anni 1778. jussit ut Canonici tempore Quadragesimæ omnes ad completorium interesse deberent ; In Adventu vero , & in Octava solemnitatis Corporis Christi omnes quotidie similiter inservirent , idque , statuta pæna juliorum trium contra negligentes, confirmavit decreto Pastoralis Visitationis die 19. *Junij* anni elapsi . Ab Episcopi decreto recursum habuerunt Canonici ad Sac. Congregationem postulantes , ut ipsis Chori servitium præservaretur juxta invectam in eorum Ecclesia consuetudinem ; De hac igitur Canonicorum instantia agendum modo est .

Inquiunt ipsi ex immemorabili consuetudine semper Ecclesiæ servitium præstitisse alternis hebdomadis , & hanc alternativæ legem servatam quoque fuisse toto tempore Adventus , in Octava Corporis Christi , nec non ad horam Completorij in Quadragesima : & propterea contendunt immutandam non esse , novumque onus imponi non posse , præsertim quia deficiente monumento erectionis Ecclesiæ Cathedralis , præsumendum sit consuetudinem originem habere a lege in fundatione constituta : Nec de immemorabili consuetudine dubitari posse , cum de illa deponant plurimi Testes , & confirmetur a confessione prædecessorum Canonicorum emissa tempore non suspecto , ac demum roborata pluribus decretis Pastoralium Visitationum , & Synodorum , quæ ab Episcopis juxta temporum opportunitatem edita fuerunt; siquidem Episcopus Danti anno 1585. methodum præscribens, qua distributiones quotidianæ repartiendæ forent, mentionem facit de servitio alternatim a Canonicis per hebdomadam præstando , & de hac alternativa loquitur Synodus ab eodem Episcopo dicto anno 1585. celebrata ; Rursus Synodus Episcopi Brancavalero habita anno 1663. Canonicis alternativam in Ecclesiæ servitio præservat ; Idem quoque statuit Synodus Episcopi Servargi anni 1741.

Neq obesse , quod in decretis Pastoralium Visitationum , & Synodorum nulla fiat expressio de alternativa servanda etiam

etiam tempore Adventus, Quadrageſimæ ad horam Completorii, & in Octava Corporis Chriſti; Reſpondet enim ſufficere, ut in iiſdem decretis indigitentur dies, quibus Capitulares inſervire debent, quia tunc alii dies cenſentur excluſi; Clarius tamen id evinci ex quodam decreto Epiſcopi Gigli, & ex declaratione Capitularium emiſſa anno 1684., in quibus, & tempus inſerviendi per hebdomadam, & dies, quibus omnes inſervire debent, diſtinguuntur, & quando de communi ſervitio ſermo habetur, nunquam inter communes ſervitij dies recenſentur tempus Adventus, Completorium Quadrageſimæ, & Octava Corporis Chriſti; Cæterum advertit quamcumque difficultatem penitus ſublatam eſſe per depoſitionem plurium Teſtium, qui de immemorabili conſuetudine deponunt, quique licet ſint Canonici, plenam tamen probationem conſtituunt, quia nihil ad proprium commodum deponunt, & eorum dicta ab aliis Teſtibus confirmantur.

Hanc vero conſuetudinem erectionis Eccleſiæ legibus famulari contendunt; Suſtinent enim præſumendum non eſſe Eccleſiam Alatrinam abſque legibus, & ſtatutis erectam fuiſſe; deeſſe vero ob temporum injuriam fundationis, & erectionis monumentum; Sed cum in eadem Eccleſia ex immemorabili conſuetudine Capitulares per mediariam Choro ſervitium præſtiterint etiam ad Comple torium Quadrageſimæ, & toto tempore Adventus, ac in Octava Corporis Chriſti, inferunt propterea ſervitium hujuſmodi ex fundationis lege præſcriptum eſſe; Et hanc conſuetudinem interruptam dici non poſſe per decretum editum ab Epiſcopo Guerra juſſu Sac. Congregationis, quo mandatum extitit Canonicos ad integrum ſervitium novem menſium in unoquoque anno adigendos eſſe; Nam decretum Epiſcopi Guerra nunquam fuit obſervatum, immo ex Capitularium reluctantia magis roborata, & confirmata deprehenditur conſuetudo Eccleſiæ Alatrinæ.

Modum inſerviendi per mediariam fundationi conſentaneum eſſe ex eo etiam deſumunt, quod Canonicorum Præbendæ exigui ſunt reditus, itaut, una excepta, reliquæ omnes vix attingant annua ſcuta quinquaginta, aut ſexaginta; Notant enim, quod in actu fundationis tam parvo emolumento gravari non poterant onere quotidiani ſervitii Chori, nam Eccleſiæ ſervitium reſpondere debet reditibus, quibus Canonici fruuntur. Præterea addunt Alatrinam Civitatem prærupto in Monte ſitam,

sitam, & in summitate ejusdem Montis Cathedralem Ecclesiam erectam esse, difficilem admodum patere ad ipsam accessum hyemali tempore, ob viarum asperitatem, ventorum impetum, & nivium copiam; & hæc omnia causam dedisse, ut Concio in Quadragesima, omissa Cathedrali, peragatur in Ecclesia Patrum Minorum Conventualium in amœniori Civitatis loco sitam; quare existimant immutandum minime esse Chori servitium, quod, habita ratione ad loci qualitatem, usque ab initio fuit constitutum.

Episcopus refert quemdam Vicarium Apostolicum anno 1706. morem improbasse, quod Canonici omnes Choro non interessent tempore Adventus, Quadragesimæ ad Completorium, & in Octava Corporis Christi; idipsum quoque improbasse Episcopum Guerra annis 1709., & 1720., cui a Sac. Congregatione in responsione ad statum Ecclesiæ injunctum fuerat, ut omnino cogeret Canonicos ad integrum servitium novem mensium quolibet anno, & propterea in Pastoralibus Visitationibus a se habitis annis 1778., & 1783. adegisse Canonicos omnes ad inserviendum iis temporibus; Advertit tamen ex aliis Episcoporum decretis, & Synodalibus Constitutionibus deprehendi Canonicos semper servasse alternativam etiam in Adventu, in Quadragesima ad Completorium, & in Octava Corporis Christi, ideoque non leve desumi argumentum, immemorabilem hanc consuetudinem originem ducere ab ipsa met Fundatione.

Votum tamen aperiens inquit = *Benigne igitur annuendum censeo Oratorum petitioni, ut servetur solitum, prout in causa servitii Chori Cathedralis Ferentinæ Civitatis, quæ huic finitima est, iisque ferme legibus utitur, rescriptum fuit anno* 1782.; *quoniam ultra consuetudinem supra hominum memoriam, quam allegant Canonici in comprobationem præsumptæ Fundationis, vel Dispensationis Apostolicæ, urgentes quoque concurrunt circumstantiæ, quæ debitam expostulant æquitatem, scilicet tenuitas redituum Præbendarum, etiam junctim cum distributionibus, de qua pro parte Capituli exhibetur documentum, conniventia prædecessorum Episcoporum, æris inclementia, quam experior ego ipse, qui propterea, Medicorum judicio, imbecilla continuo utor valetudine, perdifficilis accessus, & frequens, ut plurimum hyberno tempore, ventorum impetus; adeout non sine vitæ discrimine transitari possit antiquissimæ Arcis Platea, in qua Cathedralis sita reperitur in aper-*

to,

to , & eminentiori loco Civitatis ; qua de causa , demptis diebus Festis, Concio in Ecclesia S. Francisci Patrum Conventualium habetur .

Quod modo postulant Canonici Cathedralis Ecclesiæ Alatrinæ , jam alias efflagitavit Capitulum alterius Cathedralis Ecclesiæ Ferentinæ ; Istius petitio descripta est in Folio Congregationis diei 3. *Augusti anni* 1782. , quod habetur in *Thesauro Resolutionum Tom. LI.* ; Plurima tunc adnotata fuerunt in jure , quæ ad resolutionem præsentis quæstionis conferre possunt;quare rogantur Emi PP prædictum Folium resumere .Sane Ferentinæ Ecclesiæ Canonici querebantur de onere ipsis impositio ab Episcopo interessendi Choro tam in Adventu,& Octava Corporis Christi , quam ad Completorium Quadragesimæ , licet servitium prædictum alternatim præstare semper consuevissent ; proposito proinde dubio = *An , & quomodo Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Ferentinæ inservire debeat etiam tempore Adventus , & Quadragesimæ in casu &c.* =, & dicta die 3. *Augusti* 1782. prodiit resolutio = *Affirmative juxta solitum, attentis circumstantiis in casu concurrentibus* = Ponderandum an eædem circumstantiæ , & rationum momenta , quæ favebant Capitulo Ferentino , concurrant etiam , & prodesse possint Canonicis Alatrinis .

Quemadmodum vero Episcopo Guerra a Sac. Congregatione mandatum fuit , ut cogeret Canonicos ad interviendum per novem integros menses , idcirco præstat hic referre responsum datum præfato Episcopo die 5. *Septembris* 1711. , quod habetur in *lib.* 20. *litt. Visit. Sac. Lim. pag.* 206. in hæc verba = *Quoad vacationem a servitio Chori , qua Canonici istius Cathedralis utuntur per decem dies juxta assertam consuetudinem ultra tres menses a Sac. Concilio permissos, Amplitudini Tuæ injungendum duxerunt , quatenus eosdem Canonicos ad integrum servitium novem mensium quolibet anno juxta dispositta in cap.* 12. *sess.* 24. *de reform. omnino cogat , atque compellat .* Omnibus mature perpensis decernant EE. VV.

An , & quomodo Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Alatri inservire debeat etiam tempore Adventus , & Quadragesimæ , & in Octava Corporis Christi , aliisque Octavis privilegiatis in casu &c.

Affirmative juxtà decretum in Causa Ferentina. diei 3. Augusti 1782.

Sess. 7. cap. 13. de Reform.

LAURETANA. Dum anno 1761. Ecclesia S. Mariæ in Cælum Assumptæ Oppidi Montis Cassiani auctoritate Apostolica in Collegiatam fuit erecta, Sodalitium SS. Jacobi, & Philippi ejusdem Oppidi pro illius dote assignavit tot bona stabilia, quorum reditus æquabant summam scutorum 425; Hac de Causa in actu erectionis Collegiatæ reservatum fuit favore Sodalitii juspatronatus activum quorumdam Canonicatuum, & Beneficiorum. Anno 1776. Episcopus methodum indixit, qua Sodales occasione vacationis Canonicatuum, & Beneficiorum nominationes exequi deberent; voluit enim, quod in Comitiis, præter Vicarium Foraneum, adessent saltem viginti quinque Sodales, atque is nominatus, & electus renuntiaretur, qui suffragia ultra medietatem obtinuisset.

Vacavit anno elapso unum ex Beneficiis; Sodales die prima *Maij* ad nominationem devenerunt; Quinque erant concurrentes; duo nempe Sacerdotes, & tres Clerici; Major tamen suffragiorum pars coaluit in Clericum Gervasium Andreani in minoribus Ordinibus constitutum; Is, accepta Sodalitii nominatione, instetit in Curia Episcopali pro obtinenda institutione: Episcopus Clericum Andreani examini subjecit, eique institutionem denegavit tanquam minus idoneo; Ab hoc judicio appellavit Clericus ad Sacram Congregationem, a qua modo postulat ad Beneficium institui, vel saltem facultatem novo examini sese subjiciendi; quare EE. PP. infrascriptum dubium definiendum proponitur.

Sustinet enim, se a majori Sodalium numero fuisse nominatum: electionis tempore in ea ætate constitutum fuisse, ut infra annum ad Sacerdotium promoveri posset: assiduè Ecclesiæ inserviisse, nihilque opponi potuisse quoad mores; quare contendit sibi omnino deberi institutionem ad Beneficium; Neque institutionem retardari posse, eo quia in examine habito pro suscipiendo Ordine Subdiaconatus parum idoneus fuerit repertus, & in alio examine peracto pro Beneficii assecutione iidem Examinatores in lingua latina minus habilem illum dijudicaverint; Respondet enim se a moderno Episcopo Lauretano ad Ordines Exorcitatus, & Acolytatus promotum fuisse, quos quidem Ordines ei nequaquam contulisset, si rudem in lingua latina deprehendisset; nam ex Sac. Concilii Tridentini dispositione Ordines Minores illis conferri non possunt, qui linguam la-

latinam non intelligunt ; Deinde post susceptos Ordines, Philosophiæ, & Mathematicæ studiis vacasse, quod demonstrat majorem in scientiis profectum. Addit insuper nullam ingerere admirationem, si in examine minus recte proposita dubia dissolverit, cum ad examen imparatus accesserit, & novitate perculsus, statim pavere, & trepidare cæperit ; Cæterum advertit modo non agi de Beneficio Curam Animarum habente, quo casu scientia requiritur, sed de Beneficio cum onere servitii Chori, ad quod assequendum, sufficere, ut illud obtinens bonis sit instructus moribus, & cantu Gregoriano polleat, & habilis ad Beneficij munia obeunda ; Hæc vero requisita utique in se ipso concurrere contendit, cum de studiis ab eo peractis in Philosophia, & Theologia Morali plurimi sint, qui deponant.

Spernendum vero esse, quod in electione, posthabiti fuerint Sacerdotes, & præelectus Clericus, qui neque est Originarius Montis Cassiani, atque ex humili familia originem habet ; Observat enim nulla lege cautum esse, ut in nominatione præferri debeat Sacerdos, cum ex fundatione constet liberum Sodalibus esse nominare vel Sacerdotem, vel Clericum infra annum promovendum ; Deinde notat in Beneficiorum assecutione natalium splendorem non requiri, sed morum qualitates spectandas esse ; Nihilominus sustinet Patrem inter Cives Montis Cassiani ab anno usque 1754. fuisse cooptatum ; Inter Decuriones adlectum, & publica munia pluries obiisse, quod nequaquam permisissent reliqui Cives, si ex vilibus natalibus ortum habuisset. Demum supplex orat, ut quatenus dubium aliquod de ejus scientia habeatur, Causæ resolutionem EE.VV. differre dignentur, & a Viciniori Episcopo, prævio examine de profectu in studiis, & ejus idoneitate, votum exquiratur.

Episcopus in binis relationibus ad Sacram Congregationem datis, quæ prostant inter monumenta Causæ, refert Oratori institutionem denegasse, quia illum penitus rudem, nec habilem ad suscipiendos Ordines Sacros reperierit.

Videndum in hac Causa quod Concilium Tridentinum disponit *cap.* 13. *sess.* 7. *de Reform.* quoad præsentatos ad Beneficia. Ex *Cap. Præcipimus* 10. *dist.* 34. *Cap. Non confidat* 59. *dist.* 50. *Cap. Cum in cunctis* 7. *de Electione* colligitur, quod in eligendis, seù promovendis ad Ecclesiastica Beneficia ea saltem requiratur scientia, & rerum agendarum peritia, quæ sufficiat ad rite exequen-

dum Officium, ad quod eliguntur, seù promoventur. Duo igitur in præsenti casu ponderanda sunt: Qualitas nempe vacantis Beneficij, ad quod instituì postulat Orator, & num in ipso ea requisita concurrant, quæ ad onera Beneficij obeunda requiruntur. Hisce animadversis, definiendum erit.

An sit danda institutio, seù potius sit locus novo examini in Casu &c.

Negativè ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ARIMINEN., SEU' FERETRANA. Redit ad examen pia dispositio Sacerdotis Jacobi Mazii Canonici Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi S. Agathæ Diœcesis Feretranæ; Hic in Testamento anni 1776. inter alia jussit, ut de bonis suis existentibus in Territorio dicti Oppidi erigeretur laicalis Capellania ad Altare S. Petri in eadem Collegiata Ecclesia erectum. Ad Capellaniæ possessionem mandavit eligi binos Sacerdotes præfatæ Terræ S. Agathæ, quibus bonorum administrationem committit, & onus injunxit celebrandi pro rata fructuum tot Missas ad rationem obulorum vigintiquinque pro qualibet Missa, nec non interessendi Choro alternis vicibus diebus Feriatis, ambos vero diebus Festis. Mandavit præterea, ut de aliis bonis, quæ possidebat in Oppido Montis Florum Diœcesis Ariminensis, aliæ duæ instituerentur laicales Capellaniæ ad nutum amovibiles in Rurali Ecclesia construenda cum expensa scutorum centum in Prædio nuncupato *la Balza*, seù *Croce del Gaggio* sito in Territorio Montis Florum.

Curam, & administrationem bonorum istarum Capellaniarum commisit Capitulo Collegiatæ S. Agathæ, & Capellanos gravavit onere celebrandi Missam quotidianam in Ecclesia rurali construenda in dicto Prædio *la Balza* cum eleemosina obulorum quinlecim. Prævidens autem casum, quo tempore sui obitus dicta ruralis Ecclesia extructa nondum fuisset, tunc voluit, ut Missæ celebrarentur in aliqua Ecclesia Terræ Montis Florum, idque servari præcepit post ædificationem dictæ ruralis Ecclesiæ a mense *Decembris* ad totum mensem *Februarij* cu-

cujuslibet anni. Patronatum activum omnium Capellaniarum reliquit Capitulo S. Agathæ, cui legem indixit = *che a quella di S. Agata vengano sempre nominati, e presentati solo li Sacerdoti secolari della Terra di S. Agata, o vero della Diocesi Feretrana, escluso sempre chiunque altro non fosse della Terra, e Diocesi sudetta; ed alle due Capellanie erette in Monte Fiore venghino nominati li Sacerdoti di detta Terra di S. Agata, o Diocesi Feretrana*; Omnibus Capellanis residentiam præcepit in locis, ubi Capellaniæ erigendæ erant, & pro hujusmodi effectu Capellanis Montis Florum habitationis usum in eadem Terra reliquit.

Anno 1778. Parochus Ecclesiæ S. Felicis sitæ in pertinentiis Montis Florum postulavit a SSmo D. Nostro, ut scuta centum a Canonico Mazij destinata pro constructione ruralis Ecclesiæ erogarentur in restaurationem ejus Parochialis Ecclesiæ, ad quam etiam transferri supplicavit Missas in eadem Ecclesia celebrandas. Ex alia vero parte, nomine Capituli Collegiatæ Sanctæ Agathæ, supplices oblatæ fuerunt preces, ut eadem scuta centum impenderentur in perficienda Fabrica ejusdem Collegiatæ, & ad eamdem Ecclesiam transferrentur geminæ Capellaniæ in rurali Ecclesia erigendæ; Utraque instantia Sac. Congr. ablegata fuit; hinc proposito dubio = *An sit locus translationi Legati Missarum ab Ecclesia construenda in Agro Montis Florum ad Altare S. Petri Ecclesiæ Collegiatæ S. Agathæ, & respective erogationi summæ pro dicta Ecclesia relictæ pro fabrica præfatæ Ecclesiæ Collegitatæ in casu &c.*, & die 30. *Januarij* 1779. prodiit resolutio = *Negative in omnibus, & scuta centum relicta pro ædificatione Ecclesiæ esse eroganda favore Ecclesiæ S. Felicis arbitrio Episcopi, facto verbo cum SSmo*, & hanc resolutionem approbavit SSmus D. Noster in Audientia diei 19. *Augusti* 1781. in ea tantum parte, qua præscripta extitit erogatio scutorum centum favore Fabricæ Ecclesiæ S. Felicis; quo vero ad reliqua, Causam denuo proponi jussit.

Post hæc novæ supervenerunt preces Canonicorum Ecclesiæ Collegiatæ S. Agathæ, quibus expositum fuit, negligi Ecclesiæ servitium propter exiguum Canonicorum numerum, nec raro evenire, ut exteri Sacerdotes vocentur ad divinas laudes canendas; quare postularunt, ut binæ Capellaniæ erectæ a Canonico Mazij in Terra Montis Florum converterentur in quatuor Mansionarias, injuncto Mansionariis onere Missarum celebrationis

nis juxta dispositionem Testatoris, & interessendi Choro ad instar aliorum Capitularium; Id si assequantur, promiserunt Parocho S. Felicis scuta biscentum de proprio persolvere in restaurationem suæ Parochialis Ecclesiæ erogunda. Hujusmodi petitio hodiernæ disputationi occasionem præbet.

Inquiunt enim, deesse modo Ecclesiam in qua Missæ de præcepto Testatoris forent celebrandæ, nec illarum celebrationem statui posse in aliis Ecclesiis Oppidi Montis Florum, quia ob demandatam a Testatore ruralis Ecclesiæ constructionem, aliæ quæcumque Ecclesiæ exclusæ prorsus censentur. Incongruum autem esse, ut Capellani modo in una, modo in alia Ecclesia vagentur pro Missarum adimplemento; quare concludunt, Ecclesiam omnino præfiniendam esse, in qua Sacra adimpleri debeant. In constituenda vero methodo, qua Capellaniarum onera adimplenda sint, potissimum spectandam esse Testatoris voluntatem. Nihil autem voluntati Canonici Mazj magis consentaneum esse, quam quod Missæ in Ecclesia Collegiatæ S. Agathæ celebrentur, nam illius Capitulum hæredem ex asse instituit, eidem tum administrationem bonorum Capellaniæ, tum etiam illarum Patronatum activum reliquit; demum ad Missarum celebrationem in rurali Ecclesia explendam Sacerdotes Diœcesis Feretranæ præeligi mandavit, & ex his omnibus inferunt, commutationem voluntatis Canonici Mazj statuendam esse juxta modum ab ipsis in precibus expositum.

Addunt præterea, Collegiatam S. Agathæ ex decem tantum Capitularibus constitutam esse, ex quibus, si quatuor demantur, qui ex fundationis lege, vel ad Curam Animarum vel ad Sacramentales Confessiones audiendas, vel ad alia obeunda officia sunt addicti, sex tantum supersunt Canonici, qui Choro inserviant, atque ex tam parvo Canonicorum numero Ecclesiasticas Functiones ut plurimum negligi; hinc, si quatuor Mansionariæ instituantur, habebitur sufficiens numerus inservientium, & augebitur Divinus Cultus, prout Testator in sua dispositione optavit.

Episcopus Feretranus plura refert, ut petita voluntatis commutatio concedatur, quemadmodum videri poterit ex ejus relatione, quam exhibent Canonici inter monumenta Causæ; deinde sic concludit = *Quæ cum ita sint, & maxima præsertim Sacrorum Ministrorum indigentia in prædicta Collegiata, ad quam ex conterminis Paræciis,* Lo-

Lociſque confluunt Populi , nedum ſentirem , verum etiam humillimas porrigerem,porrigoque preces pro petita translatione duarum Mazii Capellaniarum ipſam in Collegiatam,erga quam & idem Teſtator, dum in humanis erat, ſuam ſemper oſtenſam voluit gratitudinem , peculiaremque amorem , quos in ſuo ultimo elogio , & bene expreſſit , & magis magiſque in gentilitii Altaris erectione ſub invocatione divi Apoſtolorum Principis in Eccleſia Collegiata , quam propria in Patria ; Ex his porro omnibus,ulla abſque fallacia , rectoque deduci videtur judicio , ut ſi modo ipſe viveret , & quæ facta ſunt , & quæ facienda per Capitulum,cujus olim fuit & ille membrum, videret , ſicuti , & Parochi S. Felicis neceſſitatem Eccleſiam reædificandi,illiuſque Populi ſolatium , & levamen certo certius annueret Canonicorum petitis .

Epiſcopus vero Ariminenſis de sua ſententia requiſitus inquit = *Optime autem , ac satis foret huic rei proviſum ,ſi conceſſa Oratoribus Capellaniarum translatione , ſcuta bis centum favore fabricæ Eccleſiæ S. Felicis ipſi rependerent . Parochus æque ac Populus intereſſe habens deque Eccleſiæ ſuæ neceſſitate ſolliciti , tantum abeſt , ut ex adverſo Translationi aſſurgentes quidquam jurium ad eam præpediendam in Sac. Congregatione deducant , ut illius deſiderio potius teneantur, libentiſſimoque aſſentiant animo ejus executioni , ſperantes futurum , ut ſi ad Capituli vota reſcribere placeat , ratam habeant EE. VV. oblationem ab eodem Capitulo ſponte in ſuis precibus Eccleſiæ S. Felicis exhibitam, & in earum reſcripto cavere non dedignentur, ut res compleatur . Eadem mente , qua Parochus , & Populus , ipſe ſum , qui nihil immoror translationem ,ad me quod attinet, approbare .*

Regula eſt , quod quando Legatum modo a Teſtatore præſcripto adimpleri non poteſt , voluntatis commutatio indulgeatur - In præſenti caſu Miſſarum onera a Canonico Mazij relicta,in deſignata ab ipſo Eccleſia adimpleri amplius non poſſunt . In ſtatuenda vero commutatione ea methodus ſeligenda eſt , quæ magis conformis ſit Teſtatoris voluntati , & propterea videndum , an iſtanſtantia ab Oratoribus propoſita ſit magis cohærens menti Canonici Mazij.Notandum , quod Teſtator ſummo amore proſecutus eſt Eccleſiam Collegiatam S. Agathæ ; Advertendum , quod erigi mandavit Capellanias in diſtrictu Parochiæ S. Felicis Terræ Montis Florum Diœceſis Ariminenſis ; Capellanos vero eſſe voluit Presbyteros Diœceſis Feretranæ ; hinc perpendendum ,an jus , quod habent

bent Oppidani Montis Florum ad Capellanias compensatum maneat per solutionem scutorum biscentum, quæ pro Fabrica Parochialis Capitulum rependere promittit.

Eminentissimi PP., qua pollent sapientia, definire dignabuntur:

An, & quomodo sit locus commutationi Voluntatis in casu &c.

Affirmativè juxta preces facto verbo cum Sño.

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

MACERATEN. CANONICATVS. Communitas Montis Milonis anno 1662. quatuor erexit Capellanias in Ecclesia Parochiali S. Blasii ejusdem Oppidi; In actu erectionis Patronatus activus Communitati fuit reservatus, conventumque extitit, ut in casu vacationis teneretur infra quindecim dies nominare Capellanos, qui essent Cives Originarii Montis Milonis, actu Sacerdotes & habiles ad excipiendas Fidelium Confessiones. Hæc omnia de consensu Episcopi gesta sunt. Anno 1749. auctoritate Sa. Mem. Benedicti XIV. Ecclesia S. Blasij in insignem Collegiatam fuit erecta, & Capellaniæ in totidem Canonicatus fuerunt institutæ. Communitati præservatum extitit jus nominandi Canonicos; Quo vero ad eligendorum qualitates, & onera a Canonicis subeunda, plura statuit laudatus Pontifex in Bulla erectionis.

In dicta Bulla inter cætera constitutum fuit, ut præter Præpositum, Primicerium, & tres Beneficiatos, octo adessent Canonicorum Præbendæ; Octavam Præbendam constituit pro uno Presbytero, qui Curam Animarum exerceret; reliquas vero assignavit totidem Presbyteris seù Clericis, qui infra annum ad Presbyteratum promoveri possent. De primo, secundo, tertio, & quarto Canonicatu ad præsentationem Communitatis conferendis, mandatum fuit, ut qui illos obtinerent = *Omnia & singula primo, secundo, tertio, & quarto dictarum Capellaniarum per te, ut præfertur, supprimendarum, & extinguendarum onera, eas antea respective obtinentibus, ref-*

respective incumbentia, quemadmodum illa antea, & usque ad præsens a quinque Clericis, seù Presbyteris, quinque Capellanias præfatas ante illarum suppressionem, & extinctionem, per te, ut præfertur, faciendas hujusmodi adimpleri debeant.

Vacavit anno elapso unus, ex hisce Canonicatibus; Communitas Comitia indixit pro nominatione Canonici, constituta die 23. *Martii* ejusdem anni: Quatuor tunc comparuerunt concurrentes: Sacerdos nempe Franciscus Galli, qui etiam ad Confessiones fuerat adprobatus; Sacerdos Joseph Ferri, & alter Sacerdos Franciscus Masconi, necnon Subdiaconus Joseph Nozzi; Hic, ob suffragiorum pluralitatem, fuit præelectus. Electionem hanc impugnat in Sacra Congregatione nomine Cleri, & Populi Montis Milonis Sacerdos Franciscus Galli, contendens, quod Communitas nominare omnino teneretur Sacerdotem actu; Contra vero Subdiaconus Nozzi nominationem ad sui favorem factam tuetur; Communitas etiam ad jura sua tuenda tollendasque imposterum quæstiones dubium proposuit, an liceat nominare Clericum infra annum promovendum etiam in concursu Sacerdotis; Et quatenus electio Subdiaconi Nozzi minime sustineatur, quærit insuper, an ad nominationem alterius devenire possit. Hæc omnia, tribus dispertita dubiis, ab EE. PP. definienda erunt.

Ad I. Dubium inquit Communitas, in Bulla erectionis constitutum esse, quod liberum sit nominare Presbyterum actu, vel habitu; quare sustinet, jure tributam fuisse prælationem Clerico infra annum promovendo etiam in concursu Sacerdotum. Ad III. contendit, quod, etiamsi minus valida deprehendatur nominatio Subdiaconi Nozzi, adhuc tamen pro hac vice deveniendum sit ad novam nominationem, quia Patronus cadit a jure nominandi, si indignum nominaverit, qualis dici non potest Subdiaconus Nozzi, cui ad summum deesse poterit requisitum Presbyteratus. Nec obesse, quod jam effluxerit quadrimestre Patronis ad præsentandum concessum, nam in casu iterandæ nominationis, quadrimestre incipit a die, qua Patronus notitiam habuit de minus valide peracta nominatione.

Subdiaconus Nozzi advertit, primum Sacerdotem Franciscum Galli non esse legitimum Contradictorem, cum etiamsi non consisteret nominatio in sui personam facta, nihilominus suffectus non maneret dictus Galli, cui in Communitatis Comitiis defuit suffragiorum quantitas,

quæ ad perficiendum actum nominationis requiritur, Post hæc tuetur ad II. dubium, nominationem omnino sustineri, quia a veris Patronis de idonea persona, & legitimis modis fuit expleta; Inquit enim, in controversiam haud revocari posse Communitatis Patronatum: Ipsum verò ortum esse in Oppido Montis Milonis, ac de tempore electionis Sacrum Subdiaconatus ordinem jam suscepisse, & in ea ætate constitutum fuisse, ut, prævia trium mensium dispensatione, infra annum ad Presbyteratum promoveri posset.

Verum nec esse, quod in nominandis requiratur qualitas Sacerdotalis actu propter onus excipiendi confessiones; cum in Bulla erectionis nil aliud mandatum fuerit, quam ut electio fieret de Sacerdote, vel Clerico infra annum promovendo, atque requisitam non esse qualitatem actu Sacerdotalem. Nec sine causa id in Bulla erectionis mandatum fuisse affirmat, quia ante erectionem Collegiatæ, Capellaniæ, ex quibus Canonicorum Præbendæ erectæ sunt, promiscue conferebantur Presbyteris, & Clericis infra annum promovendis; Idque etiam decisum fuisse post erectionem Collegiatæ anno 1763. a Curia Episcopali Maceratæ, ac demum a Sac. Congregatione confirmatum, quæ anno 1764. indulsit cuidam Canonico prorogationem alterius anni ad suscipiendum ordinem Presbyteratus; Ex hisce omnibus concludit, onus excipiendi Confessiones non importare necessitatem nominandi Presbyterum acta, sed ita intelligendum esse, ut adimpleri debeat, quatenus Canonici sint Presbyteri; at si Clerici sint, tantummodo post quam ad Presbyteratum ascenderint.

Perperam quoque objici, quod Communitas in Concursu Sacerdotis ad Confessiones audiendas approbati, non posset præeligere Subdiaconum. Respondet enim, quod posita facultate nominandi Sacerdotem, vel Clericum infra annum promovendum, utique liberum erat Communitati posthabere Sacerdotem, licet Confessarium, & nominare Subdiaconum, præsertim quia Patroni laici non tenentur nominare digniorem, sed sufficit, ut eligant dignum, & idoneum ad onera Beneficii subeunda.

Contendit insuper, electionem ritè expletam fuisse servatis omnibus solemnitatibus, et vanum esse objicere, quod major suffragiorum numerus in Urna repertus fuerit, quam esset numerus suffragantium, quodque Pater pro Filio suffragium tulerit, quod plurimi Decuriones votum dederint

rint per interpositam personam. Nam ad primum negat ullam fuisse suffragiorum exuberantiam, cum in Comitiis adessent viginti sex Decuriones, & collectis suffragiis compertum fuerit, ipsum Subdiaconum Nozzi obtinuisse vota favorabilia sexdecim, & contraria decem: Ad secundum notat vetitum a *jure* non esse, ut in electionibus ad Beneficia Pater pro Filio ad ferendum suffragium admittatur; Idque observatum fuisse, dum actum est de electione Sacerdotis Francisci Galli, in qua illius Consanguinei suffragium dederunt: Ad tertium denique sustinet, vanum esse inquirere, num suffragia secreto, vel palam tradita fuerint, sed unicè spectandam Electorum voluntatem per traditionem suffragii panditam. Cæterum advertit Comitia fuisse celebrata, & suffragia præstita absque ulla irregularitate, cum nullus de eo tempore reclamaverit, & licet postea reclamatum fuerit, nihilominus Tribunal Sac. Consultæ propositas exceptiones rejeciisse.

Ex parte Sacerdotis Francisci Galli nihil deductum est, licet fuerit pluries monitus, & diù expectatus.

Requisitus de sua Sententia Episcopus, illam a Sacra Congregatione expectat.

Pro examine I., & II. Dubij, serio ponderanda est Bulla Erectionis Collegiatæ; ex ea namque patebit, quæ sint qualitates requisitæ in nominandis ad Canonicatus. Notandum, quod Subdiaconus Nozzi de tempore electionis in ea ætate erat constitutus, ut absque dispensatione Apostolica infra annum ad Sacerdotium promoveri non posset; hinc videndum, an eligi potuisset, quoties aderant Sacerdotes. Ad III. quod attinet, nonnulla advertit *Fagnan. in Cap. Cum autem* 24. *de Jure patronatus num.* 10. 12. & 24. Eminentissimi PP. re maturè perpensa, dignabuntur definire.

I. *An liceat Communitati præsentare Clericum infra annum ad Presbyteratus ordinem promovendum etiam in concursu Sacerdotis in Casu &c.*

II. *An sustineatur præsentatio in casu &c.*
Et quatenus negativè.

III. *An possit dicta Communitas devenire ad novam præsentationem in casu &c.*

Ad I., & II. Affirmativè.
Ad III. Provisum in alio.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

CORNETANA SUSPENSIONIS ONERIS MISSARUM. Bartholomæus Vitelleschi Episcopus Corneti anno 1463. Testamentum condidit, quo jussit, ut post ejus mortem venderentur Bibliotheca, & suppellectilia, atque ex pretio constitueretur Capitale Ducatorum Mille, quod una cum quadam Vinea assignavit pro dote trium Altarium, quæ in Cathedrali Ecclesia construi mandavit; Voluit præterea, ut reditus dictorum Bonorum erogarentur in erectionem duarum Capellaniarum, quarum Rectores gravavit onere quotidie, alternis tamen vicibus, celebrandi Missam in iisdem Altaribus, Choro interessendi, ac demum habendi Curam Sacrarij, & Reliquiarum Cathedralis; qua de causa eisdem assignavit habitationem aliquarum mansionum supra dictum Sacrarium existentium. Facta est Capellaniarum erectio, sed erectionis tabulæ desiderantur. Innotuit tamen, quod ab anno 1500. duæ istæ Capellaniæ ad unam tantum fuerunt redactæ, & Rectori onus impositum fuit inserviendi Choro alternis hebdomadis, nec non celebrandi uno quoque anno Missas biscentum, & octo.

Possidet modo hanc Capellaniam Sacerdos Joannes Donati, & ad ejus titulum Sacros Ordines suscepit. Episcopus in Pastorali Visitatione, adeo negligentem illum agnovit tum in Missarum adimpleméntо, tùm etiam in bonorum Cura, ut ei Capellaniæ administrationem interdixerit, illamque commiserit Sacerdoti Joanni Dasie Canonico Ecclesiæ Cathedralis; Assumpta per Canonicum Dasie administratione, deprehendit Capellanum defecisse in celebratione Missarum usque ad numerum Mille, viditque prædia urbana, quæ majorem Capellaniæ dotem constituunt, indigere restauratione in scutis biscentum, & ultra; quare preces exhibet pro absolutione a præteritis omissionibus, nec non pro Missarum suspensione ad tempus, ut omnes reditus, detractis aliis oneribus, ac dempta aliqua subministratione titulo alimentorum Capellano præstanda, erogentur in restaurationem bonorum Capellaniæ.

Petitioni adhæret Familia Vitelleschi, ad quam Capellaniæ patronatus spectat.

Vicarius Generalis exposita confirmat, & transmisit statum Capellaniæ, ex quo patet reditus ascendere ad sc. 51., onera vero æquare summam scut. 27 70. Notat habendam quoque esse rationem de punctaturis in annuis scutis octo, quæque persolvi debent, quia Sacerdos Joannes Donati ut plurimum Chori servitium negligit. Addit

dit post appositionem Œconomi, nedum satisfactas non fuisse Missas de præterito omissas, verum ne potuisse quidem in singulos annos satisfacere præscriptæ Missarum celebrationi, ita ut ad totum annum 1782. neglectas fuisse Missas in numero 1202., idque non ex culpa Administratoris, sed quia aliquam summam impendere oportuit in conficiendis nonnullis Domorum restaurationibus, quæ dilationem minime patiebantur.

Testatur, Capellaniæ Rectorem in causam fuisse, cur bona deteriora evaserint; deinde sic prosequitur= *Frustra a prædicto Beneficiato, tum domorum undique labentium restauratio, tum Missarum neglectarum satisfactio repeteretur; Non solum enim nihil habet in bonis Patrimonialibus, seù aliunde, sed angustiis premitur, ac miseriis, in quas sponte se conjecit, quippe genio indulgens plurimum, & venationi. Quamvis pluries monitus, & minis deterritus, pluries pariter a Rev. Fabrica pro Missis neglectis compositionem reportavit, sed nunquam adigi potuit, ut illaudabile Vitæ genus abhorreret. Extrema tandem experiri licuit, & a Beneficij Administratione est interdictus; Verum hoc remedio, sicut ipse non evasit felicior, ita nec Beneficij conditio valde melioravit; reditus enim omnes partim in reparandis domibus, quoad ea, quæ nullum patiebantur dilationem, partim in persolvendis punctaturis, & in modica aliqua submministratione ipsi Beneficiato permissa, & partim in Missarum celebratione consumpta sunt.*

Post hæc Votum pandit in hæc verba = *In hoc rerum statu, EE. VV. probe intelligunt Beneficio potius succurrendum esse, alias brevi desituro, ex reditibus ipsius Beneficii, cum ne vel minimum quidem extorqueri possit a præsenti Beneficiato, imo aliquid ex iisdem resecandum sit ad illius sustentationem, tum quia titulo hujus Beneficij ordinatus, tum ne cum injuria, & Sacerdotij dedecore mendicare cogatur, aut præ nimia rerum angustia, qua maxime nunc arctatur, omnibus indigens, & præsertim vestitu indignum quæstum in eleemosynis Missarum facere præsumat; succurrendum pariter etiam quoad Beneficiatos Successores; gravia enim nimis sunt onera cum reditibus comparata, & Ecclesiasticorum numerus in hac Urbe, ubi omnia ad victum necessaria plurimi venduntur, provide exiguus potius, quam abundans existit.*

Ex hisce omnibus patet præsens Capellaniæ status: patet etiam, quæ summa requiratur, ut Domus ad Beneficium spectantes restaurari possint; quomodo vero occur-

currendum sit expensis, quæ ad perficiendas restaurationes necessariæ sunt, decernant EE. PP., a quibus quæritur.

An, & quomodo sit providendum in casu &c.

Non proposita cùm sequentibus.

Sess. 21. *cap.* 2., *Sess.* 23. *cap.* 11. & 18. *de Reform.*

SANCTÆ SEVERINÆ IRREGULARITATIS. Conquestus est apud S. Sedem Sacerdos Franciscus Apa Oppidi Arcis Bernardæ, quod in Curia Archiepiscopali S. Severinæ fuerit inquisitus, quia ementitis dimissorialibus litteris sui Ordinarij, & absque legitima Patrimonij constitutione, Sacros Ordines a Cajacensi Episcopo ante tempus a Sacro Concilio præscriptum susceperit; Preces, quibus Orator inquisitionis insubsistentiam exposuit, ablegatæ fuerunt Sac. Congr., iisque relatis prima vice in Congregatione diei 7. *Septembris* 1773. fuerunt rejectæ. Elapso decennio, novas preces dedit, quibus postulavit, ut innoxius ab Irregularitate renuntiaretur, vel saltem dispensatio tribueretur, ut posset Missam in Urbe celebrare. Duo propter ea proposita fuerunt dubia in Congregatione diei 24. *elaph mensis Januarij*. I. *An constet de Irregularitate, &* quatenus affirmativè II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu &c.*, eaque die responsum fuit Ad I. *affirmativè*, *Ad II. Negativè*, *& ad mentem*; Mens autem fuit, ut scriberetur Archiepiscopo, eique commendaretur Sacerdos Orator, ad hoc ut, & ipse post longum tempus, peractamque in Urbe vitam Ecclesiarum servitio addictam, probatosque mores dispensationi assentiretur.

Datæ fuerunt de more Archiepiscopo litteræ, quibus ita respondit. *Quidquid igitur EE. VV. de ipso Sacerdote Apa quoad ejusdem absolutionem, sive dispensationem, & ad Altaris ministerium habilitationem disponendum sapientissimè censent, totum, & ipse nisi commendare venerarique non audeo, integerrimo EE. VV. judicio me totaliter remitto, ac submitto* = Causa nunc reproponitur instante

te Sacerdote Apa, qui postulat, ut ab EE. VV. definiatur dubium.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad Primum, & Secundum dubium in casu &c.

SANCTI MINIATIS. In Testamento, quod condidit anno 1703. Maria Virginia Salviati erigi mandavit tres Capellanias ad totidem Altaria in Ecclesia Cathedrali S. Miniatis; Capellanis assignari voluit tot bona annui reditus scutorum quadraginta pro quolibet; Onus unicuique injunxit applicationis Missæ quotidianæ, adjecitque aliud onus Choro inserviendi diebus solemnioribus, publicis Supplicationibus interessendi, ac demum exercendi munus Diaconi, & Subdiaconi in Missis canendis tempore Adventus, & Quadragesimæ. Evenientе autem casu, quo hæreditatis vires non sufficerent pro constituenda Capellanijs dote scut. quadraginta, tunc facultatem tribuit Vicario Generali onera reducendi, aliamque methodum statuendi, ut meliori, quo fieri posset modo, ejus voluntas adimpleretur. Anno 1762. Episcopus ad Capellaniarum erectionem devenit. Cum autem hæreditas impar esset ad præstandam dotem in quantitate a Testatrice præscriptam, hinc unicuique ex Capellanis annua scuta viginti duo fuerunt assignata; Hac de causa imminuta etiam fuerunt onera, nam præservato onere interessendi choro, & publicis supplicationibus, cuilibet Capellano injuncta fuit celebratio septuaginta duarum Missarum diebus Festis, & aliarum triginta sex diebus Ferialibus. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Vacavit nuper una ex dictis Capellaniis; Episcopus narravit Sanctissimo Domino Nostro, in Ecclesia Cathedrali extare Præpositum, qui Curam exercet Animarum, & decem tantum Canonicos, atque hinc evenire, ut quandoque, ob exiguum Capitularium numerum, Sacræ Functiones negligantur, propterea supplicavit, ut sibi facultas indulgeretur supprimendi dictam vacantem Capellaniam, redituſque partiendi inter alios duos Capellanos, qui in posterum tenerentur singulis diebus interesse Divinis Officiis in Ecclesia Cathedrali. Precibus annuit San-

cti-

ditas Sua in Audientia diei 13. *Septembris* elapsi anni; ediditque rescriptum his conceptum verbis = *Firma remanente celebratione Missarum, pro gratia juxta petita, accedente consensu Patroni, & Capituli, & dummodo Missæ ab unoquoque Capellano celebrentur pro tertia parte in quolibet ex tribus Altaribus a Testatore designatis, servata in reliquis voluntate ejusdem Testatricis.*

Hanc providentiam satis non esse putat Episcopus ad consulendum indigentiæ Ministrorum Cathedralis, cum reditus aliarum Capellaniarum nequaquam augeantur, atque idcirco illas obtinentes adigi non possint ad quotidianum Chori servitium; quare denuo supplicat pro omnimoda oneris Missarum deletione; Preces ad Eminentissimos Patres remissæ fuerunt, quorum judicium hodie exquiritur.

Episcopus in novis litteris hac super re datis refert, quod præservato Missarum numero id accidit = *Vt duo Rectores, & Capellani non possint quotidie inservire Sacris Functionibus, quæ peraguntur in Cathedrali tam Matutinis, quam Vespertinis, uti necessarium fore existimamus; nam in hac nostra Cathedrali decem adsunt Canonici cum Præposito, cui cura Animarum incumbit, & quatuor tantum Sacerdotes Capellani, qui omnes in diebus solemnioribus non sufficiunt, & Sacræ Functiones prædictis diebus, aut omittuntur, aut penitus negliguntur; Alio modo non possunt augeri Sacerdotes Capellani, & Mansionarii propter eximiam, & maximam Missæ Capitularis paupertatem; Quapropter enixe iterum rogamus, ut a Sanctissimo Domino Nostro facultas tribuatur, non solum supprimendi unam ex tribus antedictis Capellaniis, sed etiam deveniendi ad novam erectionem prædictarum Capellaniarum, suppressa omnimoda celebratione Missarum, quæ in fundatione Capellaniæ supprimendæ, declaratæ erant, ut possimus cum omnibus fructibus, & proventibus præfatæ Capellaniæ supprimendæ assignare in nova fundatione, & erectione distributiones quotidianas Capellanis, & Rectoribus præfatis, qui debeant ad majorem Dei gloriam, & ornamentum Ecclesiæ quotidie in Ecclesia Cathedrali adsistere Matutinis, & Vespertinis Horis.*

Omnibus igitur mature perpensis, quæ ab Episcopo relata sunt, dignabuntur EE. VV. respondere dubio.

An sit locus deletioni oneris Missarum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 8. Maij 1784. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

TRes, quæ ante alias adnotantur Cauſæ, ex poſtrema Congregatione ſuperfuerunt; In præſenti Folio aliæ ſex deſcribuntur, & omnes deciſionem expectant.

CORNETANA SUSPENSIONIS ONERIS MISSARUM. *Seſſ. 25. cap. 4 de Reform.*

An, & quomodo ſit providendum in caſu &c.

Quoad præteritum ad D. Secretarium cùm Sanctiſſimo; quo verò ad futurum, ſcribatur Epiſcopo juxta mentem; & mens eſt quod celebretur Miſſa una quolibet menſe ad ſexennium, & Epiſcopus, computata eleemoſina Miſſæ manualis, aſſignet Beneficiato ex fructibus Præbendæ quantum deerit ad complementum taxæ Patrimonii Sacri juxtà morem Diæceſis; quod autem ſuperfuerit impendat in reſtaurationem Domorum Beneficii: Aſt ſi Beneficiatus neglexerit vel reſidentiam, vel alia munera Beneficio annexa, tunc detrahantur punctaturæ ex fructibus dicti aſſignamenti, & idem Epiſcopus curet ùt ad meliorem frugem reducatur Beneficiatus juris remediis.

SANCTÆ SEVERINÆ IRREGULARITATIS. *Seſſ. 21. cap. 2. Seſſ. 23. cap 11. & 18. de Reform.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis quoad primum, & ſecundum dubium in caſu &c.

Conſtito de ſufficienti Patrimonio juxtà taxam Vrbis coram Eminentiſſimo Vrbis Vicario, conſulendum Sanctiſſimo prò gratia Diſpenſationis ex gratia ſpeciali.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

SANCTI MINIATIS.

An sit locus deletioni oneris Missarum in casu &c.

Pro gratia juxta mentem facto verbo cum Sanctissimo : & mens est quod absolvantur ab onere Missarum, unica tantum jam suppressa Capellania Salviati, ad hoc ut fructus distribui æqualiter possint inter alios Capellanos Salviati, cum onere tamen deserviendi Ecclesiæ juxta votum Episcopi, & cum obligatione Capellanorum Salviati persistentium celebrandi Missas alternatim in tribus Altaribus a Fundatrice designatis.

Sess. 24. cap. 15. de Reform.

NUCERINA REDVCTIONIS. Indultum reductionis Missæ Conventualis ad dies Dominicos, & Festos de præcepto, quod san. mem. Benedictus XIV. concessit Canonicis Collegiatæ Ecclesiæ Saxoferrati, satis non fuit ad prospiciendum eorum indigentiis ; quare supplicarunt pro reductione Missarum unicuique Præbendæ inhærentium, earumque loco substituendi Missam Conventualem quotidie applicandam. De hujusmodi instantia actum est in Congregatione diei 13. *elapsi Mensis Martii*, qua die, nulla capta resolutione, mandatum fuit Episcopo, ut perpenderet, num Præbendarum reditus augeri possent per unionem Beneficiorum simplicium, & quatenus non possent, per suppressionem unius, vel plurium ex Canonicatibus, vel saltem per imminutionem in parte annexarum Missarum,

Ad singula respondet Episcopus, atque ad unionem Beneficiorum ait = *Ad Beneficia simplicia quod attinet, pauca, immo pauciſſima, ne dicam nulla sunt, nam, & hæc, cum sint S. Sedi affecta ob eorum collationem factam Ecclesiasticis hominibus privilegio donatis, uti Pontificio servitio addictis, & in Vrbe commorantibus, auctoritatem Ordinarii evaserunt.*

De unione autem Præbendarum inquit = *Tantum autem abest ut una, vel altera ex dictis Canonicalibus Præbendis, quæ numerum decem non excedunt, & pauperrimæ profecto sunt, tum redituum inopia, tum onerum copia, supprimere fas sit, quin immo, si id fieri contingat, haud certe superessent, quæ divino cultui celebrando, aut dignitati Ecclesiæ commode valeant respondere juxta Sac. Concilii sanctionem ; Enim vero attenta eadem Præbendarum tenuitate, onerum quoque copia gravatarum, nec suppres-*

sio-

fione, nec reſpectiva applicatione trium, & quatuor etiam earum, forſan ſatis juvarentur reliquæ ſex. Numerum è contra tam exiguum Præbendarum, & Canonicorum divino cultui celebrando reſpondentem fore ſperare forsan poſſem, cum etiam in præſens (non ſine animi mei anguſtia dico) frequenter eveniat, ut divino cultui, Sacræque Pſalmodiæ a Canonicis, qui Choro intereſſe non prohibentur, vix fieri ſatis poſſit?

Addit præterea, quod = *Ea eſt Terræ, Saxoferrati ſtructura in alpeſtri, acclivique loco poſita, is Eccleſiæ Collegiatæ ſitus, id eſt in vertice Collis, ut non ſolum Canonici, qui jam ſenio confecti Jubilationis privilegio fruuntur, a Choro abeſſe impune gaudeant, verum etiam alij nonnulli, vel infirmæ valetudinis, vel gravi incommodo æſtivi caloris, & reſpectivè intenſi frigoris exanimati, ſpreta punctaturæ pœna, frequenter in toto anni curſu ab acceſſu ab Eccleſia prohibeantur, ſeſeque abſtineant. Pluries idcirco, tres, vel duo tantum Canonici Eccleſiam petunt Sacram Pſalmodiam peracturi, cui ſatisfacere quomodo poſſint non video. Hinc admiratio, murmurque Populi, hinc divinarum Laudum ſubtractio. Si ergo præfatus tenuis Canonicorum numerus imminuatur, non ſolum non ſupererunt, qui divino cultui celebrando, & dignitati Eccleſiæ commode valeant reſpondere, ſed ut plurimum omnino deerit Pſalmodia.*

Demum his verbis concludit = *Ingenuè igitur dicam in eadem me perſiſtere Sententia, nempe petitam a Capitulo Saxoferrati gratiam ſuppreſſionis onerum Miſſarum cuique Canonicatui adnexorum, & reſpectivè ſubrogationis quotidianæ Miſſæ Conventualis cum cantu expedire. Quotidiana iſthæc Miſſa Conventualis, ea inter divinas Laudes in Cathedralibus, Collegiatiſque Eccleſiis perſolvi ſolitas, pars cenſetur, ex qua maximum decus Eccleſiis præfatis accedit. Hac prætermiſſa, eis quid vel maximum deficere videtur.*

Hæc Epiſcopus; Supereſt modo, ut reſumpto Folio Congregationis diei 13. *elapſi Menſis Martij*, ac perpenſo ſtatu Canonicatuum Saxoferrati in eo fuſius deſcripto, EE. VV. decernant.

An, & quomodo Oratorum precibus ſit annuendum in caſu &c.

Affirmativè arbitrio Epiſcopi cum facultate reducendi onera Miſſarum unius cujusque Canonicatus, habita tamen ratione ad reditus, & onera uni cuique impoſita, dummodo tamen reductio pro unoquoque Canonicatu non excedat medietatem onerum.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

VITERBIEN. REDUCTIONIS ONERUM. Agatha Malacrosta in testamentariis tabulis anni 1714. præsidens casum deficientiæ lineæ masculinæ hæredis institutæ, ad universæ suæ hæreditatis compendium vocavit Collegium PP Congregationis Doctrinæ Christianæ Centumcellarum. Hanc tamen substitutionem non sine onere explevit; Jussit enim, quod dicti PP. servare tenerentur eadem vincula, quibus obstrinxerat priores hæredes, eosque gravavit præterea onere addendi quatuor alios Congregationis Sacerdotes, qui publice docerent Rethoricam, Philosophiam, Theologiam Moralem, & Mathematicam, nec non onus adjecit celebrandi tres qualibet die Missas in suffragium Animæ suæ; Demum pium exercitium, quod vocant Bonæ Mortis, per eosdem Patres antea susceptum, non intermitti mandavit; Voluit tamen, quod si hæreditatis reditus onerum satisfactioni impares forent, tunc = *in luogo di quattro Soggetti ne mantengano tre, e di tre Messe quotidiane, ne celebrino due, e più, o meno a proporzione del frutto* =.

Prævisa a Testatrice lineæ masculinæ sui hæredis deficientia accidit anno 1782., quo tempore PP. Congregationis Doctrinæ Christianæ bonorum hæreditariorum possessionem nacti sunt; Compertum tunc fuit, quod hæreditatis vires, deducto ære alieno, adimplendis omnibus oneribus nequaquam sufficerent; quare Collegij Rector instat nunc pro illorum reductione.

Duo autem advertit: primum, quod pro alimentis unius ex Sacerdotibus Congregationis in Civitate Centumcellarum requiritur annua impensa scutorum septuaginta: alterum, quod taxa pro quotidiana unius Missæ celebratione est scutorum sexaginta quolibet anno: hisce positis, sustinet, quod ducto calculo status activi, & passivi delatæ hæreditatis, vix superextant reditus scut. 105. 80., qui pares tantum sunt ad subeundum onus uniusPræceptoris, & quindecim Missarum in unoquoque mense; Si vero addatur aliud onus peragendi pium exercitium Bonæ Mortis, certo certius Patres Doctrinæ Christianæ obligationem assumerent ultra vires hæreditatis. Onerum reductionem indulgendam quoque esse contendit, ex quo i lam Testatrix fieri mandavit, quatenus reditus non sufficerent. Notat demum, oscitanter in confectione status hæreditatis Vicario Capitulari exhibiti, inter annuas impensas pro restauratione Domorum præfinitam dumraxat fuisse summam scutorum quindecim, cum, re melius perpensa, cognitum fuerit ex Peritorum depositio-

sitione, omnino requiri scuta quadraginta quolibet anno, & hac de causa evenire, quod status activus transmissus a Vicario Capitulari pinguior sit alio, qui modo exhibetur.

Vicarius Capitularis testatur, quod status activus hæreditis Malacrosta, subductis omnibus oneribus, conflat annuam summam scut. 140.; Observat tamen, quod inter onera recensetur æs alienum hæreditatis cum Fabro murario, qui domorum restaurationes confecit, & pro cujus dimissione obligatæ sunt pensiones earumdem domorum; Extincto vero debito censet, quod hæreditatis reditus fere ad scuta bis centum singulis annis pertinget. Post hæc ait = *Quæ cum ita se habeant, supervacaneum duco in dubium vertere, an Præceptores novi, ex Testatricis voluntate comparandi, futuri sint utiles illi Civitati; Nedum utiles, sed & necessarios esse nemo unus negabit, qui compertum habeat, ea in Urbe admodum frequenti, præter Grammaticæ Ludi Magistrum, non alium reperiri, qui sublimioribus disciplinis Adolescentes instruat ex officio. Quoad expensas in novis hisce Præceptoribus alendis necessarias, habitis ab aliis Religiosis in ea Civitate commorantibus testimonialibus litteris, cognovi annua septuaginta Romana scuta, plusve, minusve satis esse ad cujuslibet alimoniam, maximè id certum puto, si novus Præceptor fuerit Sacerdotali ordine insignitus, qui ad ea, quæ desunt, possit per Missarum manuales eleemosynas ea in Urbe non infrequens adjumentum adjicere* =.

Suam vero sententiam sic pandit = *Ut igitur, quod postremum erat imbecillis animi mei sensum aperiam, in ea forem sententia, ut firmo remanente Bonæ Mortis exercitio, Collegium Patrum doctrinæ Christianæ proximo Novembris mense ineunte, nempe initio novi anni Scholastici, duos alios adscisceret Sacerdotes, quorum alter humaniores litteras, ac Rethoricen publicè edoceret; alter vero matutinis horis Geometriæ, ac Logicæ, Physicæve elementa traderet; horis vero promeridianis saniores Theologiæ Moralis institutiones prælegeret, & uterque eorum alternis vicibus Missam celebraret in satisfactionem unius quotidianæ Missæ pro hoc legato perpetuis futuris temporibus celebrandæ; Post sexennium vero, cum nempe extinctum fuerit æs alienum prædictum in summa scutorum 325. 97. tertius addatur Præceptor, qui totus sit in sanioribus Theologiæ Moralis institutionibus enucleandis, atque ita in posterum tres Præceptores eo in Collegio habebuntur; alter nempe pro humanioribus litteris, Rethoricaque; alter*

ter Geometriæ, Philosophiæque tradendæ; postremus vero Theologiæ Morali unice edocendæ semper destinati. Onus vero quotidianæ Missæ inter hos tres Præceptores æqua lance distribuatur. Interim vero donec novus accedat Scholasticus annus, præscriberem, ut ex reditibus conficiantur restaurationes in domibus hæreditariis si opus sit, sin minus Missæ celebrentur ad rationem eleemosynæ manualis =.

Certa regula est, quod deficientibus reditibus, onera quoque imminui debent; In hoc casu perscrutandæ sunt vires hæreditatis Agathæ Malacrostæ; Serio quoque ponderanda est ejusdem Testatricis voluntas, ut decerni possit, quæ onera, & quo modo sint reducenda; Hac de re proponitur Dubium.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Affirmativè juxta votum Vicarii Capitularis.

Sess. 21. cap. 6. de Reform.

CAMERINEN., SEU FABRIANEN. Nonnulli Homines Villæ S. Michaelis Diœcesis Fabriani conquesti sunt apud SSmum Dominum Nostrum de inhonesta vivendi ratione, & negligentia in administratione Sacramentorum Sacerdotis Joannis Boccalini ejusdem Villæ Parochi. Exposuerunt ab anno usque 1766. de Stupro, atque Incestu inquisitum fuisse in Curia Episcopali, & hac de causa carceribus mancipatum, & Parochiæ administratione interdictum; Restitutum postea ad exercitium Curæ Animarum alia, & quidem non levia pravitatis signa præbuisse; Sæpissimè a residentia discessisse, ut otio, & voluptatibus indulgeret; Legatorum insuper piorum adimplementum neglexisse, ad populum conciones omisisse, Pueros, Puellasque non docuisse Catholicæ Fidei rudimenta, aliaque plura de illius negligentia retulerunt.

Remissis precibus ad Sac. Congregationem, mandatum fuit Episcopo, ut si exposita in totum, vel in parte subsisterent, provideret, ne Animarum Cura detrimentum pateretur, per appositionem Œconomi, insuperque referret, quomodo Sacerdos Boccalini post Decretum perpetuæ privationis ab Officio latum anno 1766., iterum ad Parochiam fuerit reintegratus. Vicarius Generalis Processum instruxit, & die 30. Septembris 1781, instante Promothore Fiscali, devenit ad appositionem Œconomi; Ab hoc Decreto appellavit Sacerdos Boccalini, & non solum postulat reintegrationem ad Parochiam, verum

rum etiam fructuum reſtitutionem. Contra vero Homines Villæ S. Michaelis inſtant, ut Parochiali Beneficio omnino privetur; Cauſa Emis Patribus proponitur, ut quid juris ſit decernant.

Quod attinet ad I. dubium, Sacerdos Boccalini de unoquoque crimine differit, ſeque primum excuſat quoad inciſionem nonnullarum arborum, eamque factam aſſerit, vel de licentia Vicarij Generalis, vel ex facultate ſibi tributa a Teſtatoribus, vel melioris culturæ gratia, cum præſertim aliæ utiliores plantatæ ſint. Deinde quoad alia ſibi impicta crimina ait, calumniam eſſe quod Eccleſiæ Domum, & Sacra ſuppellectilia diſtraxerit, quodque Parochi manſiones reſtaurare neglexerit, & cenſus ſortem ad Confraternitatem Suffragij pertinentem in proprios uſus converterit. Notat enim nonnulla Candelabra cum opportuna Vicarij Generalis facultate vendidiſſe; Verum contendit, & alia Candelabra, & Sedes Confeſſionales, & quamplurima alia Sacra utenſilia poſtmodum pro Eccleſiæ ornatu comparaſſe, quorum pretium ſuppellectilium alienatorum valorem longe exſuperat.

Fatetur diſtraxiſſe domum; ſed ait pretium in emptionem domus colonicæ, & cujuſdam Viridiarij erogaſſe, & hæc omnia cum licentia Vicarij Generalis peregiſſe; Omiſſam verò depoſiti legem ab eodem Vicario Generali in alienationis Decreto indictam, nullam criminis notam præſeferre, quia ſemel ac ex pretio fundi alienati aliud prædium comparatum fuit, liber evadit Beneficii Rector a quovis reintegrationis onere; Circa neglectam Domus Parochialis reſtaurationem inquit, quod onus hujuſmodi ad Communitatem ſpectabat; Tandem alienum a veritate eſſe, quod in proprios uſus converterit capitale cenſus Confraternitatis Suffragij, cum cenſus capitale in extinctione reſtitutum exiſtat, nec uſque adhuc congruum inventum fuerit inveſtimentum.

Poſt hæc gradum facit ad alia crimina, quæ ejus mores reſpiciunt; Contendit enim inutile eſſe ſermonem inſtituere de prætenſo Stupro, & Inceſtu, cum horum criminum falſitas ſatis deprehendatur ex Sententia Vicarii Generalis edita anno 1766., qua ipſum ab exercitio Curæ Animarum ſuſpendit, non quia revera hujuſmodi crimina probata fuerint, ſed ob diffamationem, cujus diffamationi auctor fuit Vicarius Generalis, qui oratorem licet innocentem in carceres detruſit; Cæterum advertit poſt editam a Curia Epiſcopali Sententiam, de mandato Epiſcopi, Œconomi munus exercuiſſe in Parochia

chia Caſtri Montis Alti, & inſtante univerſo populo ad propriam Parochiam S. Michaelis fuiſſe reſtitutum.

Spernendos vero eſſe Teſtes de prava vita, & conſuetudine deponentes, cum eorum nonnulli inveroſimilia deponant, alii verò vel ſint Accuſatorum Affines, vel ſibi adverſi. Ejuſdem quoque furfuris eſſe alios Teſtes adductos ad probandas omiſſiones in exercitio Curæ Animarum; Cum ii Teſtes vel de auditu deponant, vel cauſam ſcientiæ minime referant, vel ſint diſcordes inter ſe, vel ab aliis Teſtibus rejiciantur.

His poſitis, infert ad II., & III. dubium locum eſſe remotioni Œconomi, ſeque ad Parochiæ adminiſtrationem, una cum reſtitutione fructuum decurſorum, eſſe reſtituendum.

Contra vero Homines Villæ S. Michaelis ſuſtinent ex Proceſſu a Curia Epiſcopali compilato indubias probationes deprehendi, quod Sacerdos Boccalini plurimas inciderit arbores frugiferas in Bonis ſuæ Parochiæ, plurima etiam Prædiis tam urbanis, quam ruſticis ejuſdem beneficii intulerit damna, non nullaque ex dictis bonis diſſipaverit contra præſcriptum SS. Canonum, qui pœnam privationis Beneficij inferunt. Neque ad evitandam pœnam privationis prodeſſe indulta, cum ea extorta fuerint per fraudem, nec conditiones adimpleverit in iis contentas. Loquuntur præterea de Stupro, & Inceſtu, quorum cauſa ab exercitio Curæ Animarum fuit amotus; quodque poſt regreſsum deterior ſit effectus abſque reſipiſcentia; Addunt inſuper ipſum in exercitio d. Curæ Animarum, adeo negligentem eſſe, ut quandoque reſidentiam deſerat, Pueri in Catholicæ Fidei præceptis rudes inveniantur; & non nulli abſque Sacramentorum ſubſidio ex hac vita migraverint; Quæ quidem omnia ſejunctim tanti ſunt, ut Beneficio privari debeat; Perperam opponi monitionum defectum, cum monitio requiratur, quando pœna infligenda eſt Judicis arbitrio, non verò, quando pœna à jure ſtatuta eſt.

Ad II., & III. Advertunt Œconomum appoſitum fuiſſe de mandato Sac. Congregationis, ne populus Parochi aſſiſtentia deſtitutus maneret, ſed illius remotioni locum eſſe, ſtatim ac privationis pœna decreta jàm fuerit; Nec ullam fructuum reſtitutionem ei deberi, quia ipſe in cauſa fuit cur adminiſtratione Parochialis Beneficii interdiceretur.

Vicarius Generalis refert Sacerdotem Boccalini poſt Sententiam perpetuæ ſuſpenſionis ab exercitio Curæ Ani-

ma-

marum nonnulla emendationis ſigna dediſſe, & propterea ab Epiſcopo ad Curæ miniſterium fuiſſe reſtitutum, licet Populus hujuſmodi reditum ægro ferret animo, & ſub ſpe reſipicientiæ iterum illum exceperit; Addit illius mores, & crimina ex Proceſſu, quem tranſmiſit ſatis reſultare, ab eoque inferri poſſe, an, & qua pæna ſit puniendus.

In Capite 13. *de vita, & honeſtate Clericorum, Innocentius* III. ita diſponit = *Ut Clericorum mores, & actus in melius reformentur, continenter, & caſtè vivere ſtudeant univerſi, præſertim in Sacris Ordinibus conſtituti: ab omni libidinis Vitio præcaventes, maxime illo, propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ, quatenus in conſpectu Omnipotentis Dei puro corde, ac mundo corpore valeant miniſtrare. Ne verò facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi, ſtatuimus, ut qui comprehenſi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis, aut minus peccaverint, puniantur ſecundum canonicas ſanctiones, quas efficacius, & diſtrictius præcipimus obſervari: ut quos divinus timor a malo non revocat, temporalis ſaltem pœna cohibeat a peccato.*

De Parochis ſcandalosè viventibus Sac. Concilium *Seſſ.* 21. *cap.* 6. *de Reform.* mandat Epiſcopis quod *eos, qui turpiter, & ſcandaloſe vivunt poſt quam præmoniti fuerint, coerceant, ac caſtigent, & ſi adhùc incorrigibiles in ſuæ nequitia perſeverent, eos Beneficiis juxta Sacrorum Canonum conſtitutiones, exemptione, & appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant.*

Cum autem in citato Concilij Decreto ſtatuatur, ut ſcandalosè viventes antequam Beneficio priventur, moneri debeant; hinc obſervandum quid a Sacris Canonibus de hujuſmodi monitione præſcriptum fuerit. In *cap. Si quispiam* 2. *de cohabitatione Clericorum, & mulierum* hæc habentur. *Si quispiam Sacerdotum, ideſt Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, de quacumque fœmina crimine fornicationis ſuſpectus poſt primam, ſecundam, & tertiam admonitionem inveniantur famulari cum ea, & aliquo modo converſari, excomunicentur.* Verum *in Cap. Si autem* 6. *eodem titulo* declaratur, quod *Si Clerici ſive in Sacris Ordinibus, ſive in inferioribus conſtituti, fornicarias detineant, niſi eas ad ſecundam, vel tertiam commonitionem a ſe dimiſerint, eas contempturi de cætero, liceat tibi eos Eccleſiis, vel eorum portionibus, ſi quas habent appellatione poſtpoſita ſpoliare, & ipſis officia interdicere.*

Videndum præterea an reus sit Sacerdos Boccalini de dissipatione Bonorum Ecclesiæ, & an inciderit in pœnam inflictam a Paulo II. *in Extravaganti Ambitiosæ cap. unic. de rebus Ecclesiæ non alienandis*. Ponderandum quoque est an veritate nitantur, quæ de ejus negligentia in administratione Sacramentorum exposita sunt. Post hæc dijudicabunt Eminentissimi PP.

I. *An sit locus privationi in casu &c.*
Et quatenus negativè.

II. *An sit locus remotioni Œconomi in casu &c.*
Et quatenus affirmativè.

III. *An sit locus restitutioni fructuum, & emendationi damnorum in casu &c.*

Dilata, & scribatur Episcopo juxta mentem, firma remanente appositione Œconomi; & mens est, quod Episcopus ipsemet curet quod Joannes Boccalini renuntiet Beneficio Parochiali, reservata tantum Congrua juxta taxam Synodalem: quatenus verò ille recuset, transmittat processum anni 1766., & referat quonam, & qua auctoritate restitutus fuerit ad Parochiam, de criminibus illi objectis, de diffamatione secuta, & de damnis, & qualitate illorum.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

TUDERTINA. Testamentum condens Nicolaus Montini, inter alia legavit Hospitali Expositorum Tuderti Lectum unum, quod inibi asservari jussit pro recipiendis, curandisque Pauperibus exterarum Nationum infirmis. Ad hunc effectum assignavit *il frutto di venticinque scudi de miei censi, quali sempre fruttino per detto effetto, e li Signori Rettori pro tempore ne abbiano cura, e sovrastino, e faccino passare il tutto per bolletta conforme il solito di detto Ospedale, e la sorte principale di detti scudi venticinque sempre stia ferma, e non si possa mai alienare*. Testatoris hæres fuit Monasterium Sanctimonialium Montis Christi dictæ Civitatis, quod per annos centum, & ultra interfuria census persolvit in ratione scutorum octo pro centenario; Sed postea per triginta annos a solutione cessavit; Preces inde exhibuit Sac. Congregationi, quibus oneris deletionem, vel saltem voluntatis commutationem postulavit, quia nempe ab Hospitali pia Nicolai Montini dispositio numquam fuit executa, nec unquam exteri infirmi fuerunt recepti; Monasterii preces nullo veritatis fundamento innixas esse contendunt Hospitalis Administri, & propterea putant esse

petitionem esse rejiciendam. In hoc Partium conflictu Causa Eminentissimis PP. sub dubiis inferius transcriptis definienda proponitur.

Ad I. inquiunt Hospitalis Moderatores, locum non esse deletioni legati, quoties nullum oritur dubium de expressa voluntate Legantis; Eoque fortius legatum servandum esse contendunt, quia spatio plurium annorum fuit exequutum, & ad Monasterium devenit as hæreditatis Testatoris. Perperam vero objici Hospitale nunquam excepisse Pauperes exteros, & infirmos; nam contrarium resultat ex depositione plurium Testium asserentium, quod in Hospitali adest locus pro Infirmis, & juxta Montini voluntatem, cum opportunitas sese præbet excipiuntur, & curantur Pauperes Infirmi. Cæterum advertunt, piorum legatorum inadimplementum, nunquam præseferre justam causam postulandi oneris deletionem, sed solum cogendi Legatarios ad exequendam Testatoris voluntatem.

Ad II. sustinent, deesse justam, & legitimam causam decernendi commutationem voluntatis Nicolai Montini; Justam sane causam non præbet asserta Monasterii paupertas, cum id non probetur, & quatenus revera subsisteret, Monasterij indigentiis nequaquam consulendum erit cum jactura Hospitalis, quod pluribus expensis in Pauperum levamen quotidiè gravatur.

Monasterij Defensor licet pluries requisitus, jura sua deducere minime curavit.

Episcopus testatur, quod Censuum interusurla juxta illius Regionis morem modo non excedunt annua scuta quinque, aut sex pro quolibet centenario, & anno; votum tamen suum non pandit, sed Causæ decisionem ab Emis PP. expectat.

Juxta Sac. Congregationis praxim tunc locus est onerum deletioni, si omnia bona pro legati adimplemento relicta perierint, & nullus teneatur ad supplendum; Videndum propterea est quinam sit debitor census a Testatore relicti, & an idem census defecerit; Hæc de I. dubio; Quo vero ad II. ponderandum occurrit, num justa adsit causa Testatoris voluntatem commutandi. Vestrum hoc erit decernere Eminentissimi PP., a quibus quæritur.

I. *An sit locus deletioni Legati in casu &c.*

Et quatenus negativè.

II. *An sit locus commutationi in casu &c.*

Negativè ad utrumque.

Seſſ. 14. cap. 7. de Reform.

NULLIUS S. LAURENTII IN CAMPO DISPENSATIONIS. Clericus Cyriacus Mattei ab anno uſque 1759. in æſtu rixæ Sclopum exploſit contra Franciſcum Sartorelli, eumque offendit in oculo. Confecto proceſſu a Curia Abbatiali, Clericus damnatus fuit ad Ergaſtulum per decennium, ſed poſtmodum ex gratia Ordinarij pæna commutata fuit cum exercitiis ſpiritualibus peractis per tres menſes in Domo Congregationis Miſſionis Firmi; Satisfacta pæna, & obtenta venia a parte offenſa, ſupplex fuit pro obtinenda diſpenſatione ab Irregularitate; Propoſita inſtantia in Congregatione diei 19. Julii elapſi anni prodiit reſcriptum = *Expectet* =; Mandatum præterea fuit, ut inquireretur an Vulneratus ex ictu oculum amiſerit.

Abbas Commendatarius refert dictum Clericum occaſione rixæ exploſiſſe Sclopum in laicum Franciſcum Sartorelli, cui proinde oculum ictu eruit, abſque ullo tamen vitæ periculo; Addit præterea = *Partem offenſam utique ſatisfactam remanſiſſe, ſuumque pacis conſenſum ultro libenter antequam ex hac vita migraret præſtitiſſe favore præfati Clerici ab anno uſque* 1766. = Prosequitur inde quod = *Haud abſimile quoque evenit, quod ſpectat ad ſatisfactionem Fiſci. Siquidem compertum eſt, quod compilato contumaciali Proceſſu contra eundem Clericum, illoque transmiſſo ad clar. mem. Eminentiſſimum D. Cardinalem Alexandrum Albani tunc Commendatarium, de menſe Julii anni* 1760. *damnatus fuit ad pœnam Ergaſtuli; Verum tamen, cum poſt plurium annorum contumaciam, tandem antedictus Clericus anno* 1768. *ab Executoribus captus, in carcerem detruſus fuit, inibique poſt ſex menſes retentus a laudato Cardinali Alexandro, ea qua pollebat charitate, commutata eidem fuit pœna Ergaſtuli ad tres menſes Exercitiorum apud RR. PP. Miſſionis Civitatis Firmi ubi, propriis expenſis ejuſdem Eminentiſſimi Domini moram fecit; deindeque ab enunciato crimine abſolutus fuit quemadmodum patet ex Proceſſu Cauſæ. Cæterum quod pertinet ad emendationem vitæ dicti Clerici certior factus ex ſpeciali Vicarii Generalis informatione, referre non dubito eum poſt patratum delictum, & abſolutionem, uſque in præſens clericali modeſtia ſe ſemper geſſiſſe, ac emendationis ſigna præbuiſſe, adeout obtenta venia ab incurſa Irregularitate, nihil dubium eſſe poterit, quin Ordines, quibus inſignitus eſt, exercere valeat.*

Renovat modo preces Clericus Mattei; non graventur

EE.

EE. VV. resumere folium distributum pro Congregatione diei 21. Junij elapsi anni, in quo præfens causa adnotata reperitur, & respondere dubio.

An sit locus dispensationi in casu &c.

Expectet.

VERULANA ERECTIONIS PAROCHIÆ. In Civitate Frusinonis, quamvis Incolæ sint fere septem mille, nihilominus duæ tantum extant Parochiales Ecclesiæ: Una nempe B. Virgini dicata, quæ etiam est Collegiata, ibique duo Vicarii Curam Animarum exercent, & altera S. Benedicti, in qua unus Parochus titulo Abbatis insignitus Sacramenta administrat. Episcopus Verulanus animadvertens duas tantum Parochias non sufficere ad Populi multitudinem, de altera erigenda Parochia cogitavit in Ecclesia Sanctissimæ Annunciationis, quæ in commodiori Civitatis loco sita est, & sacris supellectilibus abunde ditata. *Sess. 21. cap. 4. de Reform.*

Modum autem constituendi congruam novo Parocho oblatis precibus Sanctissimo D. N. exposuit, & petiit facultatem uniendi nunc duo Beneficia, ita tamen, ut unio fortiatur effectum tunc cum illorum vacatio contigerit. Unum ex iis Beneficiis pensionibus gravatum est, ejusque reditus ascendunt ad annua scuta biscentum, illudque modo possidet Sacerdos Dominicus Sellari; Aliud vero sub titulo SS. Thomæ, & Theodori annui reditus scutorum septuaginta, & illius possessor est Clericus Franciscus Antonius Guglielmi.

Suam præterea exposuit Episcopus mentem, ut scilicet statim ac sequuta fuerit vacatio unius ex hisce Beneficiis devenire ipse possit ad actum erectionis Parochiæ cum assignatione mille, & quingentarum Animarum existentium in ea Civitatis parte, quæ denominatur *il Borgo di Napoli, ed il Colle Campagiorni*, quæque nunc subsunt Parocho S. Mariæ; Post vacationem verò alterius Beneficij adjiciendas novæ Parochiæ censet alias mille, &

quin-

qui ingentas animas, quæ incolunt Regiones nuncupatas *il Borgo di Roma, li S. Martino, e Giardino de Pesci*, quarum aliquæ sunt ex Parochia S. Mariæ, aliæ, ex Parochia S. Benedicti. Præter Parochum binos in nova Parochia constituendos existimat Capellanos Curatos ad nutum Episcopi amovibiles, qui teneantur coadjuvare Parochum in Sacramentorum administratione, eisque congruam assignare desiderat ex reditibus Beneficiorum, postquam fuerint unita.

Petitioni assensum præbuit tum Capitulum Collegiatæ, quod habet Curam habitualem Ecclesiæ S. Mariæ, tum etiam Parochus S. Benedicti, qui tantum sibi reservavit præcedentiam in omnibus sacris Functionibus, nec non reditus certos suæ Præbendæ, *e la Chiesa Suburbana di S. Elisabetta, la quale sempre, ed in ogni futuro tempo debba essere filiale perpetuamente, e subietivamente unita con tutti li suoi annessi, e connessi, e rendite alla sudetta Parochiale Chiesa di S. Benedetto, conforme è stata per lo passato ab immemorabili tempore* = Restitit tamen erectioni dictæ Parochiæ Sacerdos Dominicus Sellari possessor Beneficii S. Petri, & attenta illius oppositione, preces ab Emo Pro-Datario Sacræ Congregationi ablegatæ sunt; quare de nova erectione, juxta modum ab Episcopo propositum, agendum est.

Promotor Fiscalis inquit, antiquiori tempore sex extitisse in Civitate Frusinonis Parochiales Ecclesias, illasque postmodum Bellorum causa vastatas, & imminuto Populo ad duas fuisse redactas, & Parochorum Præbendas (inter quas recensentur Beneficia S. Petri, & SS. Thomæ, ac Theodori) in Beneficia simplicia fuisse conversas; Cum autem nunc Incolarum numerus auctus fueri, nihil magis congruum esse, quam quod altera ex suppressis Parochialibus ad priorem statum Parochialitatis restituatur, eique assignentur reditus, qui antea pro Parochorum congrua inserviebant; Hanc verò novæ Parochiæ erectionem expetere Clerum, Magistratum, universumque Populum, maxime vero Episcopum. Addit insuper Concilium Tridentinum demandasse, ut auctio Parochianorum numero, cogatur Parochus alios assumere Sacerdotes ad Sacramenta ministranda, ne Populo Spiritualia desint subsidia, vel si ob Locorum distantiam difficilis pateat accessus ad Parochiam, aliæ Parochiales erigantur Ecclesiæ; In Civitate autem Frusinonis utrumque casum verificari, nempe Populi multi-

titudinem, & difficultatem accedendi ad Parochiales Ecclesias hodie extantes.

Fatetur quandoque Sacram Congregationem hujusmodi dismembrationes prohibuisse, præsertim quando per deputationem Vicarij Curati Parochianorum necessitati prospici potuit; Verum notat per deputationem Vicarii Curati, non satis posse provideri, & utilius esse Parochum perpetuum constituere, qui creditas sibi oves Christianæ doctrinæ pabulo, & salutaribus monitis nutriat, & hac de causa, attenta locorum distantia, & difficili accessu ad Ecclesiam parochialem, novas Parochiarum erectiones, cum aliarum dismembratione, invitis etiam Rectoribus, fuisse permissas.

Constabilita necessitate erigendi novam Parochiam, sustinet solius Parochi operam pro regimine trium millium Animarum haud sufficere, & propterea existimat dicto novo Parocho adjiciendos esse binos Vicarios Curatos, eidemque Parocho assignandam fore sufficientem congruam, qua & sibi, & Vicariis Curatis prospicere valeat. Hanc verò congruam minime assignari posse ex reditibus Ecclesiarum parochialium S. Mariæ, & S. Benedicti, quia ipsarum reditus exigui sunt; Hinc contendit constitui debere fundum ex fructibus Beneficiorum, quæ Episcopus unire posse censet, nec alia extare Beneficia, quam duo relata S. Petri, & SS. Thomæ & Theodori, tum quia originem habent ab antiquis suppressis Parœciis, tum etiam quia tot reditus habent, quot pro sufficienti Parochi, & Vicariorum congrua sunt satis. Despiciendum verò dissensum Sacerdotis Dominici Sellari possessoris Beneficii SS. Thomæ, & Theodori, nam Beneficium est liberæ collationis, & unio effectum sortiri debet, quando casus vacationis evenerit, & propterea sine ullo obtinentis præjudicio.

Pro parte ejusdem Sacerdotis Sellari nil deductum est.

Episcopus testatur de necessitate erigendi novam Parochiam, quemadmodum patebit ex ejus relatione EE. VV. circumferenda.

Notissima sane est decretalis Epistola = *Alexandri III. in Cap. ad Audientiam* 3. *de Ecclesiis ædificandis*, in qua sic disponitur = *Ad Audientiam nostram noveris pervenisse, quod Villa, quæ dicitur H. tantum perhibetur ab Ecclesia Parochiali distare, ut tempore hyemali, cum pluviæ inundant, non possint Parochiani sine magna difficultate ipsam adire, unde non valeant congruo tempore ecclesiam*

cleſiaſticis Officiis intereſſe ; Quia igitur dicta Eccleſia ita dicitur reditibus abundare , quod præter illius Villæ proventus , Miniſter illius convenienter valeat ſuſtentationem habere , mandamus , quatenus ſi res ita ſe habeat , Eccleſiam ibi ædifices , & in ea Sacerdotem , ſublato appellationis obſtaculo , ad præſentationem Rectoris Eccleſiæ Majoris cum canonico Fundatoris aſſenſu inſtituas , ad ſuſtentationem ſuam ejuſdem Villæ obventiones eccleſiaſticas percepturum , providens tamen , ut competens in ea honor , pro facultate loci , Eccleſiæ matrici ſervetur .

Pari ſollicitudine *Cæleſtinus III.* ne Fideles ſpirituali Sacramentorum auxilio deſtituerentur *in Cap. Tua Nos eodem titulo* hæc habet: *Præterea quia occaſione juramenti , quod de rebus Eccleſiæ non alienandis te aſſeris præſtitiſſe , in locis tui Epiſcopatus , in quibus Populi habitantes Oratoriis egere videntur* (*ne prætextu novarum Eccleſiarum commiſſa tibi Eccleſia diſtitui videatur*) *Eccleſias formidas erigere : Fraternitati tuæ mandamus , quatenus illius juramenti occaſione nullatenus prætermittas , quin Populo indigenti ſuper Baſilicarum inſtitutione ſtudeas ſalubriter providere .*

Concilium Tridentinum prævidens caſum, quo unius Rectoris opera minime ſufficiat ad Sacramenta miniſtranda Populo ſibi commiſſo , vel quod Parochiani ob Locorum diſtantiam , aut ob alia incommoda ad propriam Parochiam accedere non poſſit *Seſs.21. cap. 4. de Reformatione* mandat ut = *Epiſcopi , etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis delegati , in omnibus Eccleſiis parochialibus , vel baptiſmalibus , in quibus Populus ita numeroſus ſit , ut unus Rector non poſſit ſufficere eccleſiaſticis Sacramentis miniſtrandis , & cultui divino peragendo , cogant Rectores , vel alios ad quos pertinet , ſibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere , quot ſufficiant ad Sacramenta exhibenda , & cultum divinum celebrandum . In iis vero , in quibus ob locorum diſtantiam , ſive difficultatem Parochiani , ſine magno incommodo ad percipienda Sacramenta , & divina Officia audienda accedere non poſſunt, novas Parochias, etiam invitis Rectoribus, juxta formam Conſtitutionis Alexandri III. , quæ incipit = Ad audientiam = conſtituere poſſint . Illis autem Sacerdotibus , qui de novo erunt Eccleſiis noviter erectis , præficiendi , competens aſſignetur portio arbitrio Epiſcopi ex fructibus ad Eccleſiam Matricem quomodocumque pertinentibus : & ſi neceſſe fuerit , compellere poſſit Populum ea ſubminiſtrare , quæ ſufficiant ad vitam*

vitam dictorum Sacerdotum sustentandam, quacumque reservatione generali, vel speciali, vel affectione super dictis Ecclesiis non obstantibus, neque hujusmodi ordinationes, & erectiones possint tolli, nec impediri ex quibuscumque provisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus, vel suspensionibus =.

Patet hinc quomodo occurri debet spirituali Animarum saluti, tum quando Populus ita est auctus, ut unus tantum Parochus ad Sacramenta ministranda non sufficiat, tum etiam quando ob loci distantiam, vel difficilem accessum Fideles propriam Parochialem adire non possint. *Fagnanus in cit. Cap. Ad audientiam num.* 19. advertit, quod ad novæ Parochiæ erectionem deveniri potest, si alternativè concurrat, vel locorum distantia, vel difficultas accessus; Quæ verò esse debeat hujusmodi distantia, vel difficilis accessus, minime definitum noscitur; Docet tamen *Pax Jordan. lucubrat. can. tom.* 3. *lib.* 10. *tit.* 31. *num.* 5. id ab Episcopi arbitrio, & prudentia pendere.

Sacra Congregatio has divisiones, seu dismembrationes justa concurrente causa, & perpensis omnibus circumstantiis admisit, ut in *Aquen. dismembrationis* 13. *Julii* 1720., *& 2. Augusti* 1721. *in Imolen. Dismembrationis* 8. *Junii* 1720., *& in Asculana Dismembrationis* 15. *Decembris* 1759., & aliquando denegavit, præsertim si necessitati consuli posset per deputationem Vicarij curati, ut in *Cassanen. Dismembrationis* 17. *Decembris* 1740. *in Aquilana Dismembrationis* 8. *Februarii* 1744., *& in Ravennaten. Dismembrationis* 5. *Aprilis* 1782.

Urgente dismembrationis necessitate, notat *Fagn. ad dictum capit Ad audientiam num.* 16., quod antequam novæ Parochiæ erectio decernatur, de Parochi congrua sit inquirendum; Nonnulla hac de re statuit Concilium Tridentinum *dicta Sess.* 21. *cap.* 4. *de Reformatione*; Et aliunde ad occurrendum indigentiæ Ecclesiarum Parochialium mandat in *eadem Sess.* 21. *cap.* 5. *de Reformatione*, quod = *Possint Episcopi etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegati juxta formam juris, sine tamen præjudicio obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcumque Ecclesiarum parochialium, & baptismalium, & aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum cum curatis propter earum paupertatem, & in cæteris casibus a jure permissis, etiam si dictæ Ecclesiæ, vel Beneficia essent generaliter, vel specialiter reservata, aut qualitercumque affecta. Quæ uniones etiam non possint revocari vigore cujuscumque provisionis, etiam ex causa reservationis, aut dero-*

tionis, aut ſuſpenſionis, & Sac. Congregatio *in Aquen. Diſmembrationis die* 15. *Maij* 1723. Cauſæ reſolutionem diſtulit, mandavitque, ut prius doceretur de libera dotis aſſignatione.

Quid in præſenti caſu juris ſit, quid circumſtantiæ expoſcant, Eminentiſſimi PP. propria doctrina cognoſcent, & definient.

An, & quomodo ſit locus erectioni Parochiæ in caſu &c.

Non propoſita.

Die

Die Sabbathi 22. Maij 1784. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

EX Causis descriptis in Folio postremæ Congregationis una tantum indecisa remansit; Ea igitur, & aliæ octo in præsenti Folio relatæ, oculis EE. PP. definiendæ proponuntur.

VERULANA ERECTIONIS PAROCHIÆ. *Sess. 21. cap. 4. de Reform.*

An, & quomodo sit locus erectioni Parochiæ in casu &c.

Affirmativè juxtà votum Episcopi, reportato tamen consensu Capituli per actum Capitularem, & ampliùs.

VALLISOLETANA. Rocchus de Arebalo, & Catharina Ramos conjuges prole carentes, anno 1677. per contractum inter vivos, pium Missarum legatum instituerunt in Parochiali Ecclesia S. Mariæ Villæ de Rueda. Hoc legatum solemni stipulatione acceptarunt Beneficiati ejusdem Ecclesiæ, ejusque adimplementum promiserunt. Ex Instrumento hac de re confecto patet, eosdem Conjuges demandasse, ut Beneficiati prædicti, dato Campanæ signo, tenerentur quotidie duabus horis ante meridiem Missam cum Cantu celebrare in Altari Majori, eaque expleta, canere Responsorium supra tumulum Christophori Ramos, atque insuper in die festo S. Rocchi præfatæ Missæ assistere deberent omnes Beneficiati Sacris Vestibus induti absque eo, quod ullum emolumentum, aut stipendium perciperent. Dotem hujus Legati constituerunt in quadraginta millibus Regali- *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

bus *di Vellon*, quorum viginti quinque millia in pecunia numerata Beneficiatis perfolverunt in actu ſtipulationis, pro reliquis vero ſexdecim millibus aſſignarunt Cenſum æqualis ſummæ, quem ipſi Conjuges emerant a Communitate dictæ Villæ de Rueda.

Hujuſmodi dotis aſſignatio facta fuit ſub expreſſa lege, quod Beneficiati = *la ſomma delli detti ventiquattro mila Reali di Vellon per loro conto, e riſchio devono dare, ed impiegare a cenſo per la perpetuità di queſta opera pia, e fondazione, e lo ſteſſo venendo il caſo, che ſi redimano li detti ſedici mila reali dell'indicato Cenſo, dovendo il novo impiego, e ſtabelimento, o ſia rinveſtimento, che delli medeſimi faranno parimente correre a conto loro il riſchio fallimento, e diminuzione, che poſſa eſſervi rapporto alla ſorte, ed alli frutti, giache noi, e li noſtri Eredi reſtino ſoltanto obbligati alla evizzione, ſicurezza, e Cauzione delli detti ſedici mila reali del detto Cenſo, ſino a tanto che non ſi redimeranno, e delli loro frutti ſicuri, e correnti per li detti Signori Beneficiati, e non eſſendolo glie li fonderanno ſopra di altre ipoteche, acciò a loro riſchio l'impieghino, e rinveſtino nella ſuccennata conformità, e sì eſigga, o nò il frutto delli Cenſi, in cui doveranno impiegarſi li detti quarantamila reali, manchi, o deteriori la detta ſorte, o parte di eſſa, non per queſto hà da potere ceſſare, ne ceſſi l'adempimento di queſt'opera pia, e fondazione conforme ſi è dichiarato, perche ſi hà da intendere di reſtare, come reſtino obbligati al detto adempimento li ſuccennati Signori Beneficiati preſenti, e gl'altri, che ſuccederanno in detta Chieſa perpetuamente ſenza mancare in coſa alcuna, ed in queſta forma, e colle dette qualità, e condizioni facciamo queſta fondazione.*

Onus aſſumpſerunt Beneficiati hoc modo=*Che febbene per alcuni accidenti caſi fortuiti o in altra forma li quaranta mila reali, che per ragione del ſervizio di queſta fondazione abbiamo ricevuti nella d. forma, la loro rendita ſi minoraſſe, o per difetto di fallimento delle Perſone, a cui ſi daſſero a Cenſo, ed intereſſe, o per qualſivoglia cambiamento delli tempi, o per qualunque altra Cauſa, che poſſano darſi, o dichiarazione di Giudice competente, non perciò abbiamo a poterci ſcuſare, come pure gl'altri Beneficiati, ed i Succeſſori degli altri nelli detti Beneficij perpetuamente dall' adempire queſta fondazione, e pia inſtituzione dicendo ogni giorno la detta Meſſa maggiore cantata con il Reſponſorio cantato dopo di eſſa nelli giorni non feſtivi, e nelli feſtivi, e nelle Domeniche prima della Meſſa Maggiore, e quella*

del

del giorno di S. Rocco di ogni anno perpetuamente Conventuale, e colli paramenti, coll'assistenza di tutti li Beneficiati colla qualità sopra espressa, senza perciò esigere stipendio, ne limosina alcuna, come che incorporata nel fruttato, che corrisponde alli detti quaranta mila Reali.

Hac non obstante oneris assumptione, moderni Beneficiati dictæ Villæ Ramos Missam canunt quater tantum in hebdomada, nec illam celebrant hora a Fundatoribus præscripta, minusque Responsorium mortuorum canunt, idque permissum asserunt a quodam Vicario Villæ Medinæ, qui reductionis indultum concessit. Verum Andreas de Arebalo fundatorum hæres, instetit ut declaretur Beneficiatos teneri ad onerum adimplementum juxta assumptam in Instrumento fundationis obligationem, non obstante reductionis indulto. Obiit Andreas, & instantiam modo prosequitur Catharina Ramos ejus uxor.

Beneficiati licet judicialiter requisiti, & diù expectati, nihil hactenus deduxerunt.

Episcopus, litteris datis die 19. *Augusti* anni elapsi, facti seriem confirmat, insuperque testatur, legati fundationem ordinaria auctoritate fuisse confirmatam; Addit præterea, Missarum numerum, aliaque Pia Opera juxta fundatorum voluntatem Beneficiatos adimpleviſſe ad annum usque 1731., quo tempore omnia Missarum onera Ecclesiæ S. Mariæ a quodam Villæ Medinæ Vicario fuisse reducta; Refert etiam, quod ex dotis capitali restant modo Regalia triginta tria millia, & quatuor centum in tot Censibus ad rationem regalium trium pro quolibet Centenario; sed notat quod in actu institutionis Legati fructus in ratione quatuor Regalium pro Centenario fuerant constituti; Deinde ait = *Io sono di sentimento, che i Beneficiati inerendo all' obligo espresso, in cui furono costituiti dai loro antecessori per mezzo dell' Istromento di fondazione, accettazione, ed approvazione devonsi i medesimi astringere al di lui specifico adempimento, tanto perchè il Vicario di Medina fece la riduzione senza la più remota facoltà. Sono state citate le parti interessate a tenore d l Reſcritto, perche convenendo loro di ricorrere all' EE. VV. lo eseguiscano per Procuratorem nel termine di tre mesi, i quali incominciarono a correre fin dalli 29. del prossimo passato Giugno.*

Quamvis juxta regulam, sit locus reductioni Legatorum, si quando reditus deficiant, nihilominus notat Benedictus XIV. in Opere *de Synodo Diœcesana lib.* 13. *cap.* 25. *num.* 25., quod ab hujusmodi regula receditur, quando onera per contractum fuerint acceptata; Et *num.* 26.

ad-

addit, Episcopos, quibus data est facultas reducendi Missas non posse earum numerum in contractu præscriptum, & vicissim acceptatum minuere, licet imminuti fuissent reditus assignati, sed Judicis partes assumere debere, atque investigare, an redituum imminutio, quæ obvenit, talis sit, ut juxta recepti juris regulas sufficiat ad rescindendum contractum, vel saltem illum ad justitiæ, & æquitatis mensuram redigendum.

Sacra Congregatio Missarum reductionem denegavit, si onera per contractum acceptata fuerunt, ut in *Bononien.* 1. *Martij* 1687. *in Assisien.* 23. *Aprilis* 1701., & *in Neapolitana* 27. *Januarij* 1703. Irritas quoque declaravit hujusmodi reductiones factas ab Episcopis vigore indulti reductionis a Sede Apostolica concessi, quæ quidem indulta extendi minime censuit ad onera per contractum suscepta, ut in *Montis Politani* 3. *Septembris* 1716. *in Faventina Oneris Missarum* 27. *Februarij* 1734., & *in Nolana Reductionis Missarum* 14. *Martij* 1739. Quid autem in casu statuendum sit, decernent Emi PP. a quibus quæritur.

An sustineatur reductio in casu &c.

Negativè.

Sess. 22. cap. 6., & sess. 25. cap. 4. de Reform.

DERTHONEN. In postremo suæ voluntatis elogio anni 1634. Sacerdos Julius Avondano, Capellaniam sub invocatione Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis erigi jussit in quadam rurali Ecclesia extra Mœnia Civitatis Novi, pro cujus dote nonnulla bona stabilia assignavit. Capellanum gravavit onere celebrandi Missas sex in hebdomada, nec non explendi singulis annis quatuor Anniversaria cum quinque Missis lectis, & altera cum cantu, ac demum peragendi diem festum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis cum secundis Vesperis, & Missa cantata, & alias Missas octo sine cantu. Domum præterea positam in Regione del Zerbo idem Testator assignavit pro altero Capellano, qui teneretur celebrare unam Missam in unaquaque hebdomada, & diebus festis Pueros rudimenta fidei edocere.

Codi-

Codicillum postea anno 1639. exaravit, in eoque assignavit Capellaniæ Sanctissimæ Conceptionis supradictam Domum in regione del Zerbo, & Capellano onus adjecit per sex menses docendi pueros Doctrinam Christianam in dicta rurali Ecclesia, & per alios sex menses celebrandi Sacrum bis in hebdomada. Tandem alias duas erexit Capellanias, quibus Dotem constituit in duabus Domibus, unam nempe pro qualibet Capellania, & unicuique Capellano onus imposuit celebrandi duas Missas singulis hebdomadis.

Defuncto Testatore unica tantum instituta fuit Capellania, eique assignata fuerunt omnia bona, quæ pro erectione trium Capellaniarum Testator designaverat; Capellani verò non alia onera adimpleverunt, quam celebrationis unius Missæ quotidianæ, Missæ Cantatæ, cum aliis sex lectis in die festo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, nec non rudimenta fidei pueros edocendi. Possidet modo dictam Capellaniam Sacerdos Joseph Norcia, qui, habita notitia de voluntate Testatoris pandita in Testamento, & Codicillo, agnovit illam non adimpleri. Advertit tamen, adimpleri nequaquam posse ob redituum tenuitatem; quare postulat, ut ex demandatis a Testatore tribus Capellaniis, una tantum erigatur cum onere Capellano Missæ quotidianæ, ac celebrandi festum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis ad formam Testamenti, & pueros docendi præcepta fidei.

Episcopus ait, reditus bonorum, quæ primo Capellano assignata fuerunt, modo non excedere libras 414., & lolidos decem monetæ Januensis, alios verò reditus pro aliis duabus Capellaniis destinatos non excedere libras 134.; Notat tamen adesse Oblatorem, qui pro locatione omnium bonorum rependere promittit annua scuta centum monetæ Romanæ; Addit, Ecclesiam, & Domos assignatas duabus Capellaniis, de quibus in Codicillo; restaurationem indigere, & pro ea perficienda juxta Peritorum Judicium requiri saltem sumptus librarum 414.; Testatur, prædecessores Capellanos non alia onera adimpleviſſe, quam ea, quæ modernus Capellanus sati-feciſſe affirmat; Refert etiam, Patronos aliosque interesse habentes, ne dum Oratoris petitioni assentiri, sed etiam instare, ut pro Missis in posterum a Capellano celebrandis constituatur eleemosina ad rationem taxæ perpetuæ.

Hisce prænotatis, concludit=*Secundum hæc videant EE. VV. num contra constanter, diuque servatam huc usque observantiam & unitatem, expediat modo duas alias Capellanias ad tenuissimi, ideoque facilius negligendi Beneficii statum redi-*

digere, earumque domunculas deteriores reddi, an quam primum, exactèque refici, & quo ære Ecclesiam potissimè titularem, ac tentari alienatorum jurium revindicationem, ac reintegrationem, & quo medio. Videant, Patres num Orator adigi debeat ad cuncta oblatori locanda, & quomodo, nec non ad refundenda, ultra sibi debitum, percepta ad dictas Capellanias spectantia, post ei saltem superventam de iisdem notitiam, seu malam fidem, & a quanto, ac quali veriori tempore, & quatenus sit solvendus de proprio nunc aut deinceps. Num demum, lubenter concurrentibus Patronis ad postulatam reductionem, nitidum juxta reditum, etiam cum perpetua pro tempore Missarum Eleemosyna, hæc eadem fit, refectis saltem hinc ædibus præfigenda, & in hac utpote universa Diœcesi dudum recepta, firmata, magisvè in dies experta, tutius velut medium ad piarum assequendum dispositionum implementum.

Videndum quomodo providendum quoad futurum, attentis circumstantiis superius expensis, & qua ratione consulendum sit, quoad præteritum. Id ab EE. VV. quæritur in dubio.

An, & quomodo sit providendum tam quoad præteritum, quam quoad futurum in Casu &c.

Quoad præteritum ad D. Secretarium cùm SSmo; quo verò ad futurum, firma remanente una Capellania, locentur omnia bona Oblatori annui reditus scut. centum, nisi per affixionem Edictorum melior sperari possit oblatio, & Epiſcopus curet restaurationem bonorum ejusdem Capellaniæ, atque interim Capellanus teneatur subire onera, de quibus in precibus; postquam verò bona fuerint restaurata, teneatur Capellanus ad omnia onera juxtà voluntatem Testatoris.

Sess. 24. cap. 8. de Reform.

BENEVENTANA. Cum in Ecclesia Metropolitana Beneventi instituta non esset Præbenda Pœnitentiarii, eam anno 1692. erigi curavit San. mem. Benedictus XIII., dum illam Ecclesiam regeret. Erectionis decretum his verbis edidit = *Sacrum Pœnitentiariæ Officium pro uno Canonico Presbytero Pœnitentiario nuncupando, qui juxta Sac. Concilij dispositionem qualificatus esse debeat cum omnibus oneribus, privilegiis, insignibus honorificis, & oneribus consuetis erigimus, & instituimus, dictæque Pœnitentiariæ officio, præsenti decreto erecto, Canonicatum unum ex dictis in dicta nostra Ecclesia existentibus, stante nulla vacatione ipsorum, unimus, adnectimus, & incorporamus.*

Hanc erectionem die 12. *Augusti* ejusdem anni alio decreto con-

confirmavit ,declaravitque Pœnitentiariæ officium erexisse = *Pro uno Canonico Pœnitentiario nuncupando , qui juxta Sac. Concilij sanctionem Magister sit , vel Doctor aut licentiatus in Theologia , vel jure Canonico , & annorum quadraginta , seù alias , qui pro nostra Archidiœcesis qualitate idoneus reperietur ; dictoque Pœnitentiariæ Officio , ut supra per nos erecto , simplex Beneficium sub titulo S. Spiritus situm in Oppido Paculi nostræ Diœcesis vacans per obitum bo. me. Caroli de Simeonibus Archidiaconi tunc nostri ultimi , & immediati Rectoris univimus , & incorporavimus*. Sequuta itaque erectione Pœnitentiariæ,illam contulit Sacerdoti Benedicto Mariella , qui erat ejusdem Metropolitanæ Canonicus .

Ad Thesaurarij Dignitatem assumptus fuit Sacerdos Mariella , & Pœnitentiariæ Officium die 30. *Decembris* 1695. collatum fuit Sacerdoti Vincentio de Vita , qui pariter erat Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicus . Et similiter in aliis successivis vacationibus collatum fuit Officium Pœnitentiarii uni ex Canonicis ad annum usque 1728. , quo tempore,cum idem officium iterum vacasset, jamque prodiisset laudati Pontificis Constitutio *Pastoralis Officii* , cujus vigore Præbenda Penitentiarii ad instar Parochialium conferri mandavit per Concursum , necesse proinde fuit concursum indicere ; Sed unus comparuit Sacerdos Petrus Nista pariter Metropolitanæ Canonicus , qui ab Examinatoribus approbatus Pœnitentiarij officium obtinuit .Obiit anno 1734. Canonicus Nista ,& de Pœnitentiaria absque concursu provisus fuit Canonicus Dominicus Centrone ; In alia vero vacatione , quæ contigit anno 1746. illam obtinuit Canonicus Honufrius Mariella , & licet tunc Concursus habitus fuerit , non omnia tamen servata fuerunt , quæ in dicta Benedictina Constitutione disposita fuerant .

Anno 1755. Pœnitentiarij Officium denuo vacavit ; Archiepiscopus Pacca censuit,collationem fieri non posse absque concursu , proindeque in dicto concursu prætulit Sacerdotem Felicem Sbordone , qui erat Metropolitanæ Mansionarius . Æquo animo ferre Capitulum non potuit Mansionarii præelectionem , contenditque , quod in provisionem Pœnitentiarij , vel concursus habendus non esset , vel saltem Canonici tantum Metropolitanæ admitti ad Concursum deberent . Acta Concursus ad Datariam Apostolicam transmissa fuerunt , & Præbenda , ac Canonicatus collatus extitit Sacerdoti Sbordone . Card. Millo tunc Pro-Datarius reservavit jus Capitulo deduc-

cendi rationes suas, si quas haberet, in Sac. Congregatione Concilij intra terminum unius anni, quo termino elapso, aut in casu, quo Capitulum succumberet, declaravit, quod ex nunc pro tunc Canonicatus, & Præbenda præfati, in Canonicatum, & Pœnitentiariam nuncupatam Præbendam primo dictæ Ecclesiæ perpetuo erecti censeantur.

Acquieverunt ab eo tempore Canonici ad annum usque 1780, quo per obitum Canonici Sbordone Præbenda vacavit. Tunc autem facultatem petierunt Canonici jura sua deducendi, non obstante lapsu temporis. Voti compotes effecti fuerunt in Congregatione diei 24. *Novembris* 1781., servatis tamen conditionibus adjectis in decreto provisionis anni 1756.; Indultumque præterea fuit Eminentissimo Archiepiscopo, ut prolla tantum vice inter solos Canonicos Concursum indiceret. Nunc itaque Canonici infrascripta dubia proponunt, de quibus EE. VV. judicium exposcunt.

Ad I. inquiunt, Concilium Tridentinum Pœnitentarii Præbendam in omnibus Ecclesiis Cathedralibus erigi mandasse, nulla adjecta lege concursus, idque servatum etiam a San. Mem. Benedictos XIII., qui Pœnitentiarii officium in Metropolitana Beneventi instituit; quare concludunt, inspecta tum juris dispositione, tum Institutoris mente, concursum indici non debere; Fortius quia in institutione nulla certa Præbenda assignata dignoscitur, & Pœnitentiarii Officium prò solis Canonicis institutum deprehenditur. Perperam opponi, quod provisio ad solos Canonicos coerceri non debeat. Nam observant, Patres Concilii Tridentini duo demandasse, nempe, quod in Ecclesiis Cathedralibus Præbenda Pœnitentiarii institueretur, quodque ad illam dumtaxat admitterentur Doctores, vel licentiati in Sacra Thologia; Utrumque etiam servatum fuisse a San. mem. Benedicto XIII., qui, & Pœnitentiarii Officium instituit, & licet illius collationem ad solos Canonicos coercere voluerit, nihilominus hos inter non defuturos prænovit, qui requisitis pollerent ad id munus exercendum, & cui rite officium conferri posset.

Hanc autem fuisse Institutoris mentem, patere ajunt, tam ex institutionis decreto, quam etiam ex methodo ab ipso servata. Nam in institutionis decreto declaravit, quod Pœnitentiarii officium instituebat pro uno Canonico Presbytero; Quo vero ad modum observant, erectionem Præbendæ Pœnitentiarii secutam non fuisse per suppressio-

nem

nem unius ex Præbendis Canonicalibus, sed per assignationem redituum simplicis Beneficii, quod Pœnitentario perpetuo addixit, neque id certe peregisset, si perspecta eidem non fuisset Canonicorum Doctrina; Ad hæc accedere quoque observantiam per id tempus, quo Benedictus XIII. Ecclesiæ Beneventanæ præfuit.

Nec obesse illius Constitutionem *Pastoralis Officii*, qua collationem Præbendæ Pœnitentiarii per Concursum fieri mandavit; Advertunt enim, per hanc Constitutionem invertere nequaquam voluisse leges in actu erectionis constitutas, minusque lædere jura Capituli Ecclesiæ Metropolitanæ; Addunt insuper, eumdem Pontificem, qui legem Concursus edidit pluries post editam Constitutionem Pœnitentiariæ Officium absque Concursu uni ex Canonicis Motropolitanæ Ecclesiæ contulisse, idque etiam ab aliis Archiepiscopis fuisse servatum; Stante igitur plurium annorum observantia, Legislatoris quoque auctoritate confirmata, contendunt, novam modo concursus legem imponi non debere.

Hæc de primo dubio; quod attinet ad II. inquiunt ex dictis satis deprehendi, nullimode indicendum esse Concursum in collatione officii Pœnitentiarii: Quatenus vero indicendus foret, ad illum solos Canonicos admitti posse.

Pro parte Cleri Civitatis, & Diœcesis nihil deductum est.

Eminentissimus Archiepiscopus in ea est Sententia, quod= *Ex jugi, & continua observantia comprobata tot exactibus, & collationibus factis ab ipso Pontifice, qui Pœnitentiariam erexerat, & constitutionem = Pastoralis Officij = ediderat, Capituli hujus Metropolitanæ jus rite fundatum, eo vel maxime cum in eodem Capitulo plures extiterint, & inpræsentiarum adsint Canonici, qui moribus, doctrina, ætate, aliisque virtutibus cæteros Sacerdotes hujus Civitatis, & Diœcesis longe antecellant, & cum majori Animarum utilitate Pœnitentiarij munus præ cæteris exercere possint, & valeant* =.

De Pœnitentiarij Officio, ejusque munere nonnulla prostant in Ecclesia antiquissima monumenta. *Socrates lib. 5. cap.* 19. refert, sua ætate jam statutum esse, *ut singulis Ecclesiis Presbyter quidam Pœnitentiæ præesset quo, qui post Baptismum lapsi fuissent coram Presbytero ad eam rem designato peccata sua confiterentur*. Advertit *Tomass. de nova, & vet. Ecclesiæ disciplina part* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 13. *ad* 16., quod prioribus Ecclesiæ sæculis ad solos Episcopos spectabat publicam pœnitentiam indicere, vel relaxare, & idcirco eas tantum fuisse Pœnitentiarii par-

partes, ut eorum, qui post Baptismum lapsi essent secretas audiret confessiones, secretasque indiceret pœnitentias; Si verò aliquis talia patrasset, quæ nonnisi publica pœnitentia abstergi possent, is teneretur Episcopi Tribunal adire, & pro modo culpæ publicam subire pœnitentiam; Morem hunc etiam in occidentali Ecclesia servatum esse putat idem Auctor loco citato, & addit, Presbyterum Pœnitentiarium, absente Episcopo, vel ægrotante, potuisse publicam pœnitentiam decernere, vel remittere.

Sæculo Ecclesiæ XI. in Romana Ecclesia Pœnitentiarium majori cum facultate jamdiu extitisse deprehenditur, & refert *Berthodus Presbyter Constantiensis in suo Chronico, seu in continuatione Chronici Hermanni anno* 1084., se a Romano Pontifice ordinatum fuisse Presbyterum, & Pœnitentiarium Romanæ Ecclesiæ eodem tempore constitutum cum facultate suscipiendi Pœnitentes ex Apostolica authoritate. Idemque in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, & Conventualibus fieri præcepit *Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. anni* 1215.. *In Cap. Inter cætera, de Officio Judicis Ord.* statuitur, *tam in Cathedralibus, quam in aliis Conventualibus Ecclesiis, viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint coadjutores, & cooperatores habere, non solum in prædicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus, & pœnitentiis injungendis, ac cæteris, quæ ad salutem pertinent animarum; Si quis autem hoc adimplere neglexerit districtæ subjaceat ultioni*. Hac Pontificis dispositione excitati quamplurimi Episcopi curarunt in eorum Ecclesiis Pœnitentiarii Præbendam constituere, nec defuerunt qui inter Capituli Dignitates Pœnitentiarium annumeraverint, quemadmodum refert idem *Tomass. in citato Opere part. 2. lib 2. cap. 10. num. 5., & sequentibus*.

Hujusmodi disciplinam instauravit Concilium Tridentinum, nam *Sess. 24. Cap 8. de Reform.* mandat = *Quod in omnibus Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis cum unione Præbendæ, proxime vacaturæ ab Episcopo instituatur, qui Magister sit, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel jure Canonico, & annorum quadraginta, seu alias, qui aptior pro loci qualitate reperiatur, qui dum Confessiones in Ecclesia audiet, interim præsens in Choro censeatur*.

Ut autem demandata a Sac. Concilio Pœnitentiarii institutio omnino exequeretur, & uberior in Christi Ecclesia utilitas emanaret, San. Mem. Benedictus XIII. in enunciata

ciata Conſtitutione , quæ incipit : *Paſtoralis Officii* = edita die 18. *Maij* 1725. plurima ſtatuit atque decrevit ; Mandavit enim , ut in Eccleſiis Cathedralibus ; & Collegiatis , in quibus Theologalis Præbenda inſtituta nondum foret , omnino erigeretur , & quæ inſtitutæ jam fuerant , vel in poſterum erigendæ erunt , conferri *ſemper debeant Doctori in Sacra Theologia , vel qui infra annum Doctoralem Lauream in eadem facultate ſuſcipiat , & cæteroquin magis idoneo in formali concurſu ab Examinatoribus renuntiato , eo plane modo , quo Parochiales Eccleſiæ conferuntur . Hunc porro in finem quotieſcumque hujuſmodi Præbenda Theologalis conferenda erit per Edictum publicum vocentur quicumque concurrere , & examini ſeſe ſubjicere voluerint coram Epiſcopo , & quatuor Examinatoribus , etiam ſi Synodales non ſint , ab eodem Epiſcopo actu eligendis , ac deputandis in Theologali tamen facultate licentiatis , & valde peritis , ſive Sæcularibus , ſive Regularibus , & illi , qui in concurſu hujuſmodi probatus , magiſque idoneus renuntiatus fuerit, Præbenda conferatur . Quoties autem Præbendæ collatio ad Sanctam Sedem ſpectabit , Epiſcopus ad Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem Acta Concurſus tranſmittere teneatur , ut ipſe vacantem Præbendam illi aſſignare , atque conferre poſſit , quem cæteris digniorem , atque magis idoneum in Domino judicaverit .*

Conſtabilita methodo omnino ſervanda in proviſione Præbendæ Theologalis , decrevit laudatus Pontifex , quod illa quoque obſervaretur in caſu vacationis Præbendæ Pœnitentiarii . Sic enim diſpoſuit = *Quæcumque hactenus de Præbenda Theologali , & Sacræ Scripturæ Lectione ſancivimus, extendimus etiam , ac adamuſſim obſervari volumus, & mandamus (congrua congruis referendo) quoad inſtitutionem Canonici Pœnitentiarij in illis Cathedralibus , in quibus nondum fuerit inſtitutus , ejuſque honeſtam ſuſtentationem , concurſum , deputationem , omniaque alia ad illius officium pertinentia , & præter illa , quæ a nobis ſuperius expoſita ſunt , ea inſuper quæ Tridentina Synodus cap. 8. Seſs. 24. de Reform. de hujus Miniſtri qualitate , ætate , & exemptione a Servitio Chori conſtituit, exacte obſervari decernimus , præcipimus , & mandamus* = .

Hæc de inſtitutione , & proviſione Præbendæ Pœnitentiarij in jure ſtatuta ſunt . Ponderandum modo eſt , an collatio Pœnitentiariæ Eccleſiæ Beneventanæ abſque Concurſu fieri poſſit poſt editam Benedicti XIII. Conſtitutionem. Ponderandæ inſuper ſunt collationes factæ poſt di-

dictam Conſtitutionem, & denique videndum, an probetur contraria conſuetudo quanti ponderis illa ſit.

Quatenus vero concurſus omnino ſit habendus, *Monacellus in Form. legal. part.* 1. *tit.* 5. *form.* 10. *num.* 1. advertit, quod ad concurſum Parochialium vacantium non ſolum Diæceſani, ſed etiam exteri invitandi ſunt, niſi adſit aliquod ſpeciale privilegium ad certum, & circumſcriptum perſonarum genus electionem coercens; Præ oculis quoque habenda eſt ſpecies cauſæ *Ruben. Erectionis Præbendæ Theologalis, & Pœnitentiariæ* deſcriptæ in folio Congregationis diei 30. *Martii* 1737., quod eſt in *Theſauro reſolutionum Tom. VIII.* Hiſce autem prænotatis decernendum erit.

I. *An in electione Canonici Pœnitentiarii ſit convocandus concurſus in caſu &c.*

Et quatenus affirmativè:

II. *An ad Concurſum admitti debeant ſolì Canonici Eccleſiæ Metropolitanæ Beneventi, ſeù potius omnis de Clero Sæculari in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè:

Ad II Affirmativè ad primam partem; negativè ad Secundum.

Seſſ. 22. *cap.* 6. *de Reform.*

LUCANA. Anno 1699. Franciſcus de Rubeis hæredem ex aſſe inſtituit pium Opus inſignis Collegiatæ Eccleſiæ SS. Paulini, & Donati Civitatis Lucenſis; ſed hæredem variis oneribus gravavit; Juſſit enim, ut erigeretur Capellania cum onere Miſſæ quotidianæ, & ſuper extantes hæreditatis reditus pro duabus partibus in Pauperum eleemoſinam diſtribui mandavit, tertiam vero partem deſervire voluit = *per aumento di dote di povere fanciulle di detta Parochia di S. Paolino nate di buon Padre, e buona Madre, e ſi deva ogn'anno dal Signor Operario, che ſarà per i tempi, fare l'imbuſſolatura di dette povere fanciulle di detta Parochia, e che ſiano in detta Parochia di buon Padre, e buona Madre, e che abbiano compita l'età di anni quindici, e darle, e pagarle ſcudi otto per ciaſcheduna di detti frutti, ed eſtrarne, e far-*

e farne estrarre quel numero, che corrisponderà il valore di detto terzo di detti frutti ogni anno, e quelle, che saranno estratte, presentata che avranno la fede dello sposalizio, e Matrimonio contratto in faccia di S. Madre Chiesa a detto Signor Operario, se le deva immediatamente pagare scudi otto per ciascheduna, che saranno estratte.

Tertia pars hæreditatis fructuum singulis annis non excedit summam scutorum viginti quatuor, idcirco ex designatis a Testatore Puellis tres tantum in unoquoque anno extrahuntur. Accidit aliquando, ut una, vel altera ex dictis Puellis sorte extractis innupta decedat, & sic subsidium dotale, ad opus Ecclesiæ Collegiatæ revertitur. Cum autem in hoc casu nihil a Testatore dispositum fuerit, hinc pii Operis Ministri postulant facultatem erogandi in fabricam Ecclesiæ recensita Dotalia subsidia, quæ per obitum Puellarum ante nuptias ad pium Opus revertuntur. Remissis precibus Sac. Congregationi, quæritur nunc, an petitioni sit annuendum.

Archiepiscopus refert, præter Oratores, quibus executionem voluntatis Francisci de Rubeis commissa est, neminem alium extare interesse habentem; Addit insuper, quod alia pia Loca, in casu decessus Puellarum antequam Matrimonium contrahant, subsidia Dotalia, quæ restituuntur juxta Testatorum dispositionem, aliis puellis conferre tenentur. Loquitur inde de Fabrica Ecclesiæ, & ait = *Quanta autem Operis indigentia sit, EE. PP. significandum habeo, ipsius reditus, adeo tenues esse, ut si aliqua extraordinaria impensa necesse facienda interdum occurrat, huic absque Piorum adjutorio benefactorum, qui semper præsto non adsunt, opus hoc ære proprio impar omnino evadat* = Quare concludit = *Humillima mea Sententia arbitror equidem, Oratorum votis ab eximia Sac. Congregationis benignitate annui valere, Operi Apostolica Auctoritate addicendo ea, de quibus in precibus, dotalia Subsidia, eum in finem, ut Fabricæ tam insignis, atque haud inelegantis Templi, in quo primi Lucani Antistites, pluriumque SS. Martyrum, & confessorum Sacri cineres quiescunt, commodius consuli possit, animadverso maxime, nulli, cui jus aquisitum sit, hac via injuriam irrogari, tantumque hic rem esse de pii operis in aliud pium opus commutatione, ad quod Testatorem, dum illum hæredem, non administrum dixit, forte intendisse facile præsumendum.*

Duplici ex causa Dotalia subsidia pauperibus Puellis ex pia Testatorum dispositione distribuendis reverti possunt,

vel

vel quia Matrimonium non contrahant, nec Monasticam vitam amplectantur, vel quia post contractum Matrimonium sine filiis decedant: utrumque casum prævidit *Rota in Romana electionis Puellarum* 27. *Novembris* 1624. *coram Pirovano*, ubi firmat regulam, quod in secundo casu, cum nominationis effectus jam fuerit secutus, subsidia Dotalia libere ad pia loca revertuntur, & de illis pro libitu disponere possunt. In primo verò casu sicuti satisfactum non videtur causæ præstandarum dotium, ita finis adimpleri debet per novam nominationem, cum prima nominatio pro non facta habetur. In *Aquilana* Carolus Bustici Syndicus Sodalitii S. Sixti ejusdem Civitatis præstationem subsidiorum dotalium suspendi petierat per annos viginti quinque ad effectum consulendi restaurationi Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis ab Angelo Annuntiatæ, ubi sodalitium erectum reperiebatur. Petitioni assentiebatur Episcopus, cum obligatione tamen Caroli Rustici perficiendi opus infra annos duodecim, nonnullisque etiam adjectis conditionibus, ut opus perficeretur, propositoque dubio = An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in Casu &c. die 17. *Junii* 1780. Sac. Congregatio respondit *Affirmative juxta Votum Episcopi renovata obligatione Caroli Rustici in forma juris valida, & in bonis propriis, facto verbo cum SSmo.*

Quid vero in præsenti casu decernendum sit, viderint Emi PP. quibus proponitur dubium.

An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.

Negativè.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

SPOLETANA SUBSIDII DOTALIS. Ex pia dispositione Ægidii Sanzi Sodalitia SSmi Sacramenti, & Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Oppidi Pisignani onus habent conferendi quolibet decennio subsidium unum dotale scutorum 50. alicui ejusdem Oppidi pauperi puellæ; Hanc suam voluntatem expressit Testator his verbis = *Cum onere, & obligatione solvendi scuta quinquaginta in omni capite decem annorum pro nuptui tradenda aliqua paupere Puella dicti Castri Pisignani, & in casu, quod si fuerint plures Puellæ, tunc, & eo casu dicta scuta quinquaginta inservire, & solvere debeant, ma-*

magis pauperi, & casu quo aliqua dictarum Puellarum, quibus fuerint Soluta dicta scuta quinquaginta, moreretur sine filiis legitimis, & naturalibus, tunc, & eo casu dicta scuta quinquaginta remaneant, & succedant dictæ Societates pro maritanda alia paupere Puella, sive aliis ad electionem dictarum Societatum, & Parochi pro tempore.

Anno 1780. contigit postremi decennii complementum; Eo igitur tempore Sodales dictarum Confraternitatum, quæ modo sunt unitæ, ad Puellæ electionem devenerunt. Undecim in Comitiis aderant Confratres; Quatuor comparuerunt Puellæ dotale subsidium postulantes, nimirum Angela, & Rosa quondam Stephani, Diamantes, & Rita Sorores Dolci, exclusæ fuerunt Angela, & Rita; Diamantes verò habuit Vota favorabilia sex, contraria quinque, Rosa autem novem favorabilia, contraria duo; Placuit Parocho accedere electioni Diamantis; hinc ipsam inter, & Rosam quæstio orta est quænam dotale subsidium consequi deberet. Re ad Curiam Episcopalem delata, Episcopus pro Rosa sententiam tulit; Ab Episcopi Judicio appellavit diamantes ad Sac. Congregationem, a qua postulat, ut definiatur sibi dotale subsidium deberi.

Inquit ipsa, in Puellæ electione Parochi suffragium eumdem habere valorem, quem habent singula Sodalium suffragia simul sumpta, idque tum ex juris dispositione, tum etiam ex voluntate Testatoris; Cum autem Parochi nominationem obtinuerit, idcirco censet, in pari gradu constitutam esse cum Rosa, quin immo contendit, majorem suffragiorum numerum obtinuisse semel ac ad sui favorem, & Sodalium, & Parochi coaluerunt suffragia; Accedere etiam, quod sit in majori ætate constituta, & majori etiam prematur paupertate, quam quidem circumstantiam Testator præoculis haberi mandavit in concursu plurium Puellarum. Nec in facto subsistere dicit, quod Parochus, tunc in electione sit vocandus, quando conferenda sunt subsidia dotalia, quæ revertuntur per obitum Puellarum sine filiis, nam eruitur ex testamentaria dispositione, deprehendi Parochum in omnibus electionibus jus habere ferendi suffragium; Idque etiam confirmari observantia.

Rosa quondam Stephani jura sua deducere non curavit.

Episcopus refert, Parochum tunc solum votum in electione habere, si denuò conferri debeant subsidia, quæ ad sodalitia revertuntur; Advertit etiam, quod licet in omnibus electionibus foret vocandus, & suum votum æquet

omnia Sodalium ſuffragia ſimul ſumpta, nihilominus nominatio ab ipſo collata in Diamantem Dolci ſuperare non poteſt electionem Roſæ quondam Stephani, in quam ſodalium ſuffragia, nedum ultra medietatem, ſed pro majori parte convenerunt. Cæterum advertit, quod etſi utraque Puella in pari gradu ab Electoribus eſſet conſtituta, ſemper præferenda foret Roſa quondam Stephani, cum ipſa paupertate, honeſtate, aliiſque requiſitis a Teſtatore volitis, prævaleat.

Perpendenda eſt Ægidii Sanzi diſpoſitio in cujus exemplari ab Epiſcopo tranſmiſſo eductum eſt factum ſuperius expoſitum. Qua in re animadvertendum puto, quod teſtamentaria diſpoſitio exhibita in Summario Libelli diſtributi pro parte Puellæ Diamantis Dolci, diverſa apparet a ſupradicto exemplari, quod tranſmiſit Epiſcopus; Videndum quoque quid fuſe referat Epiſcopus tam de jure Parochi, quam de requiſitis Puellæ ab ipſo præelectæ; Præ oculis quoque habenda ſunt monumenta, quæ proferuntur a Diamante Dolci, ut decerni valeat,

An, & cui ſit conferenda Dos in caſu &c.

Dilata, & fiat nova electio: & quatenùs Parochus, & Confraternitates non conveniant, arbitrio Epiſcopi.

Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.

CIVITATIS PLEBIS. Teſtamentum condidit Margarita de Leopardis, quo reliquit Petro Franciſco Cocchi ejus Viro uſumfructum quatuor Cenſuum in totum conflantium ſummam ſcutorum 102., Hujuſmodi Legatum reliquit Teſtatrix cum onere *celebrare faciendi duas Miſſas pro quolibet menſe in Ven. Eccleſia Confraternitatis SSmi Sacramenti Caſtri Plagarij, unam in Altari S. Thereſiæ, alteram in Altari Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo dictæ Confraternitatis, quoad dictus Petrus Franciſcus vixerit, & poſt obitum dictæ Teſtatricis etiam teneatur celebrare facere duo Officia quinque Miſſarum pro quolibet officio, & anno, unum in die obitus, & alterum in Feſto S. Thereſiæ in prædicto Altari. Secuta morte præfati Petri Franciſci, ſupradictos Cenſus reliquit præfatæ Ven. Confraternitati SSmi Sacramenti cum onere ſupradicto in perpetuum.*

Obiit Petrus Franciſcus, & Legatum Margaritæ de Leopardis nunquam ad Sodalitium delatum eſt, imo Hieronymus, & Aloyſius dicti Petri Franciſci filij in diviſione paternæ hæreditatis declararunt = *che la ſodisfazione del Legato, che hanno da far celebrare le Meſſe, ed Officio all' Altare di S. Teresa ſiano tenuti, ed obligati communemente, ed inſolidum.*

Ex

Ex Hieronymo orti sunt duo filii, qui bona omnia dissiparunt, & in longinquas abierunt regiones; Ex Alexio adest nunc Antonia Cocchi; Hæc propter summam, qua premitur ægestatem, imparem se prorsus dicit ad adimplendum Legatum. Asserit, nil sibi ex paterna hæreditate supereſſe. præter prædiolum, quod distrahere intendit, ut Patris debita dimittat. Ex pretio hujusce predioli solvere promittit sc. 30. Sodalitio Sanctissimi Sacramenti, quod onus assumet celebrandi Anniversarium in die Festo S. Theresiæ; supplicat pro facultate perficiendi cum eodem Sodalitio hoc modo contractum, & in reliquis pro absolutione in omnibus, tam quoad præteritum, quam quoad futurum.

Vicarius Generalis exposita confirmat, ac refert, Oratricem ultra prædium valoris scutorum 90. 30. possidere etiam Domum, quæ a Peritis æstimata fuit in scutis biscentum, & utrumque ab hæreditate paterna provenire; Verum advertit, & domum, & prædium subesse hypothecæ pro dote ejus Matris in scutis centum constituta; Domum insuper gravatam esse duobus censibus: alterum sc. 10. alterum sc. 14. venditis ab Alexandro Cocchi; Super prædio verò filios ejusdem Alexij imposuisse alios duos census scutorum viginti quinque pro quolibet; Addit etiam, Anniversarium explendum die obitus Testatricis nunquam fuisse celebratum; Testatur de Oratricis paupertate; Ait præterea, Confratres Sanctissimi Sacramenti paratos se exhibuisse ad acceptandum Legatum, dummodo ad nihil aliud teneantur præter quam ad Missas tantum quinque infra Mensem Octobris Celebrandas. Demum suam sententiam sic pandit = *Censerem suprædictos Confratres coerceri ad receptionem Legati, dempta suprædicta conditione, vel saltem ad celebrari faciendum tres Missas in festo S. Theresiæ, quas possent supplere Sacerdotes Locales, & duas infra octavam, & suspenso altero legato in die obitus, ad quod obligatus fuisset Hieronymus, ejusque hæredes, in reliquis absolvendam esse Oratricem a Missis non celebratis.*

Testatrix præter duo Anniversaria, injunxit Petro Francisco Cocchi ejus Viro celebrationem duarum Missarum quolibet Mense; de istiusmodi onere nec in precibus, nec in relatione Vicarii Generalis fit mentio; Videndum an onus earumdem missarum, quæ juxta Testatricis dispositionem celebrandæ erant *quoad dictus Petrus Franciscus vixerit*, per istius obitum cessaverit. Reliqua ex

facto animadvertenda erunt ab EE. VV. ut dijudicent.

An, & quomodo tam quoad præteritum, quam quoad futurum sit providendum in casu &c.

Quoad præteritum ad D Secretarium cùm SSmo; quo verò ad futurum, juxtà votum Episcopi.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

BOSSANEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Morti proximus Franciscus Cadone de Villa-Mura, hæredem in semisse instituit Joannem Baptistam unicum, quem habebat filium: alterum vero semissem in usufructu tantum eidem filio quoad viveret reliquit, eoque defuncto vendi mandavit, & pretium in celebrationem Missarum converti. Nuper decessit Joannes Baptista; Modernus autem Episcopus advertens, nullum in ea Villa, præter solum Parochum, Sacerdotem extare, nec ullam esse spem, ut alius deputari possit, idque cum in gravem animarum perniciem vergere agnoscat; hinc ad consulendum spirituali Populi subsidio postulat, ut ex semisse hæreditatis Franciscì Cadoni in Missarum celebrationem erogando, Capellania erigatur, injuncta Capellano lege residentiæ, & onere coadjuvandi Parochum in cura animarum; Hujusmodi instantia sapienti EE. VV. judicio hodie subjicitur.

Ultimarum voluntatum commutationes nonnisi ex justa, & necessaria causa fieri debere admonet Tridentina Synodus *Sess. 22. cap. 6. de Reform.* Justa causa videtur, si commutatio maximam populi utilitatem præseferat, præsertim quando alius non adest modus, quo illius spirituali indigentiæ occurratur. In *Interamnen. Commutationis voluntatis* Dominicus Magalotti mandaverat, ut bona sua venderentur, & pretium in celebrationem Missarum erogaretur, cumque nullus repertus fuisset oblator, qui bona emere vellet, Capitulum Cathedralis petiit, ut impenderentur in constructionem Altaris majoris, propositoque dubio = *An sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis Dominici Magalotti in casu &c.*; Die 8. *Maij* 1756. Sag. Congregatio respondit = *Affirmativè*.

Rur-

Rursus in *Tudertina* Philippus Mattioli idipsum jusserat pro venditione bonorum, & erogatione pretij in celebrationem Missarum; Parochus tamen SSmi Salvatoris, attenta Parochiæ paupertate, supplicavit pro eorumdem bonorum applicatione, & unione, quæsitum hac de re fuit: *An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum.* Die 19. *Julij* elapsi anni responsum prodiit = *Affirmativè, celebratis Missis viginti quatuor quolibet anno ad formam testamenti, facto verbo cum SSmo.* Emi PP. qua instructi sunt juris peritia dijudicabunt.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Non proposita cùm Sequenti.

MACERATEN. CANONICATUS. Cum in Ecclesia Collegiata S. Blasij Oppidi Montis Milonis anno elapso vacasset Canonicalis Præbenda, Communitas ad quam dictæ Præbendæ patronatus pertinet, in Comitiis habitis die 23. *Martij* nominavit Subdiaconum Josephum Nozzi; De hujusmodi nominatione conquestus est nomine Cleri, & Populi Sacerdos Franciscus Galli; quare, vocato in judicio tum Subdiacono Nozzi; quam Communitate, tria Dubia disputare oportuit. I. *An liceat Communitati præsentare Clericum infra annum ad Presbyteratus ordinem promovendum, etiam in concursu Sacerdotis in casu &c.*; II. *An sustineatur præsentatio in casu &c.*; Et quatenus negativè. III. *An possit dicta Communitas devenire ad novam nominationem in casu &c.*, & diei 24. præteriti mensis *Aprilis* prodiit resolutio = Ad I. *Affirmativè* = *Ad II. Affirmativè* = *Ad III. Provisum in alio* Ab hac resolutione novam audientiam obtinuit Sacerdos Galli, quia in causæ propositione sua jura non deduxit: ea igitur nunc reproponitur; Non graventur Emi PP. re-

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

resumere Folium dictæ Congregationis ; & decernere :

I. *An , & quomodo sit standum , vel recedendum a decisis quoad primum , & secundum dubium in casu &c.*

Et quatenus recedendum a decisis quoad secundum dubium :

II. *An possit Communitas devenire ad novam nominationem in casu &c.*

Dic

Die Sabbathi 3. Julij 1784. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

EX Folio postremæ Congregationis decidendæ superfuerunt Causæ, de quibus habita iterum ratio de more est in præsenti Folio, in quo aliæ quoque ad complementum assueti numeri adnotantur.

BOSSANEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Scribatur Episcopo juxtà mentem: & mens est quod referat de annuo reditu bonorum legatorum, de quantitate, & numero Animarum Parochiæ, & an Missarum applicatio facienda sit prò Anima Testatoris.

MACERATEN. CANONICATUS. *Sess. 25. cap. 9. de Reform.*

I. *An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum, & secundum dubium in casu &c.*

Et quatenus recedendum a decisis quoad secundum dubium.

II. *An possit Communitas devenire ad novam nominationem in casu &c.*

In decisis, & ampliùs.

FULGINATEN. Inter alia, quæ de Statu suæ Ecclesiæ retulit Episcopus Fulginatensis, hæc quoad Canonicum Theologum Ecclesiæ Cathedralis narravit = *Canonicus Theologus lectioni scripturali subrogat Catecheticam ora-* *Sess. 5. cap. 1. de Reform.*

orationem Doctrinæ Christianæ omnibus diebus Dominicis, aliis Ecclesiasticis functionibus non impeditis, nec vacat, nisi a Dominica quarta Septembris usque ad primam Novembris; Morem hunc, plurimis retro annis ab Antecessore meo inductum, innovandum non censui, tum quia Sacræ Scripturæ locis idoneis, & facili methodo explanatis res ipsæ identidem confirmantur, tum ex eo præcipue, quod uberrimus inde fructus colligitur, & experientia docemur avidi plausus, quo ab omnibus excipitur.

Hujusmodi consuetudo a Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini mente prorsus aliena visa est; hinc die 12. *Novembris* elapsi anni eidem Episcopo sic responsum fuit = *Canonicum Theologum pro Sacrarum Scripturarum interpretatione Catechesim habere ad Populum minus probant Emi PP., quippe munus id Parochi est, & esse debet, cum Theologus non tam ad Populi, quam ad Clerici institutionem destinatus sit. Quare illud unum Theologo permitti solet, ut pro Sacrarum Litterarum interpretatione morales disputationes habeat, & controversias hujusmodi in conventu Cleri dissolvat.*

Mentem Sacræ Congregationis Episcopus Capitulo patefecit; Canonici in Comitiis diei 5. *Januarii* currentis anni unanimi consensu statuerunt, preces EE. VV. dandas esse pro obtinenda facultate, ut Canonicus Theologus, loco explicationis Sacræ Scripturæ, Catechismum ad Populum habere posset, & insimul in Ædibus Capitularibus Theologiæ moralis disputationes tractaret pro iis Clericis, qui vel ratione Officii, vel alio impedimento detenti, Scholis Seminarii interesse minime possent. De hac igitur instantia agendum hodie est; Ut autem de Ecclesiæ Cathedralis statu notitia habeatur, exponunt Canonici, ipsam Parochialem esse, & præ aliis Paræciis populo frequentatam, eamque Civitatis partem continere, quam magis rudes incolunt; Curam habitualem penes Capitulum residere, actualem verò a pluribus juxta munus, quod habent, exerceri; nam Prior, qui est prima dignitas, Matrimonia benedicit, & Paschalem Communionem administrat; Omnes Canonici jus habent pueros regenerationis lavacro abluendi; reliqua verò Parochialia munia exerceri a tribus Vicariis Curatis, qui singulo quoque anno a Capitulo eliguntur, & Episcopum adeunt pro obtinenda approbatione. Addunt, nullam olim fuisse Catechismi explicationem, sed illam primum fieri demandasse Episcopum Baptistelli; Onus hujusmodi pium quemdam Sacerdotem assumpsisse nulla mercede con-

constituta; Verum tractu temporis Catechismi explicationem intermissam fuisse, donec Episcopus Marius Maffei Canonico Theologo injunxit, ut loco explicationis Sacræ Scripturæ Catechismum ad Populum haberet, & ita semper fuisse observatum non sine magna populi utilitate. Supplicant proinde Canonici, ut nihil innovetur; Si quid vero minus ritè factum deprehendatur, nec methodum huc usque servatam confirmare placeat, enixè rogant, ut loco explicationis Sacræ Scripturæ adigatur Canonicus Theologus tum ad tradendum Catechismum, tum etiam ad explicandas Clericis morales quæstiones, cum Clerici hoc auxilio indigeant.

Episcopus hac in re inquit = *Extat siquidem hic Animarum Cura habitualis penes Capitulum ipsum, actualis vero penes Vice-Parochos amovibiles, qui certè reliquis Parochiæ muneribus diligenter incumbunt; publice autem catechizandi munus, præsertim in Cathedrali, ubi Populi concursus, eisdem imponere, idem esset, ac eos dimittere. Posset quidem alicui ex Canonicis hujusmodi demandari officium; sed quem obligabimus ad hoc in se utique grave onus, Præbendæ suæ exiguæ (prout sunt omnes) de jure non impositum? Addendum, quod esto, quis etiam inveniri interinus possit, qui supplere non detrectet, prævideo tamen Christianam Doctrinam non parvum subituram èsse detrimentum, tum quia supplementum hoc ex abundantia tantum, non ex obligatione præstitum, de facili negligeretur, quod non timeo in præsenti Theologo valde Catechesibus addicto, tum quia nonnulli alii Canonici, qui nunc, præter Vice-Parochos, confluunt ad Christianam Doctrinam imbuendos pueros, pertæsi occasione Theologalis lectionis, cui post Vesperas deberent assistere, intervenire cessabunt antecedenti functioni Doctrinæ Christianæ, quæ simul cum Vesperis, & ulterius cum Theologali conjuncta nimis onerosa redderetur.*

Suam vero Sententiam sic pandit = *Propter hæc nihil innovandum esse putarem; Et ne institutionis Præbendæ Theologalis defraudetur intentio, quæ ad Clerum instruendum directa fuit, præsentem Theologum (qui alias, & annis pluribus in Seminario Scholastico = Morales lectiones habuit ad Clericos) easdem pro Theologali præbere finerem, præcipue Neopresbyteris, qui eum ut Magistrum jam exoptant quibuscumque occasio dabitur prosequendi Studia, & ita fiet, ut quatenus opus sit, eodem Theologo uti quandoque possem in ipso Seminario, ubi exiguitate redituum, non nisi misero assignato stipendio, de facili deerit Magister idoneus ad Theologiam.*

Alexander III., ne Clerici propter paupertatem rerum Ecclesiasticarum studium prætermitterent, provide statuit, ut in qualibet Cathedrali aliquod Beneficium Præceptori addiceretur, qui pauperiores Clericos gratis docere deberet. Hanc legem statuit in Concilio Lateranensi III. ab eo celebrato anno 1179., ubi *can.* 18. *collectionis Labbei Tom.* 10. *pag.* 1518 *Editionis Parisiensis* hæc habentur = *Quoniam Ecclesia Dei, & in iis, quæ spectant ad subsidium corporis, & in iis quæ ad profectum veniunt animarum, indigentibus sicut pia Mater providere tenetur, ne pauperibus, qui parentum opibus juvari non possunt, legendi, & proficiendi opportunitas subtrahetur per unamquamque Ecclesiam Cathedralem, Magistro, qui Clericos ejusdem Ecclesiæ, & Scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod Beneficium assignetur, quo docentis necessitas sublevetur, & discentibus via pateat ad doctrinam.*

Cum tamen hujusce legis observantia negligeretur, Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. anni 1215. illam innovavit, & expresse jussit, ut in omnibus Cathedralibus, & in aliis Ecclesiis, quæ sufficientes haberent reditus, ad erudiendos Clericos Magister Grammaticæ constitueretur; In Metropolitanis verò eligeretur Theologus, qui Sacram Scripturam, & ea omnia, quæ ad animarum salutem pertinent, edoceret; Patent hæc omnia *ex Cap. Quia nonnullis* 3. *de Magistris*, ibi = *Ut in qualibet Cathedrali Ecclesia, sed etiam in aliis, quarum sufficere possunt facultates, constituatur Magister idoneus a Prælato cum Capitulo, seu majori, & saniori parte Capituli eligendus, qui Clericos Ecclesiarum ipsarum gratis in Grammaticæ facultate, ac aliis instruat juxta posse. Sane Metropolis Ecclesia Theologum nihilominus habeat, qui Sacerdotes, & alios in Sacra Pagina doceat: & in his præsertim informet, quæ ad Curam animarum spectare noscuntur. Assignetur autem cuilibet Magistrorum a Capitulo unius Præbendæ proventus, & pro Thelogo a Metropolitano tantundem. Non quod propter hoc efficiatur Canonicus, sed tamdiù reditus ipsos percipiat, quamdiù perstiterit in docendo.*

Quod a Concilio Lateranensi IV. de Lectore Sacræ Theologiæ statutum fuerat pro solis Ecclesiis Metropolitanis, Concilium Lateranense V. celebratum tempore Pontificatus Leonis X. *anno* 1516. *Sess.* 11. ad omnes Ecclesias Cathedrales extendit, jussitque præterea quod = *Ordinarius collator in unaquaque Cathedrali, ac etiam in Metropolitana Ecclesia Canonicatum, & Præbendam Theologa-*

galem inibi consistentem conferre teneatur uni Magistro, seu Licentiato, aut Baccalaureo formato in Theologia, qui per decennium in Universitate Studii Generalis privilegiata studuerit, ac onus residentiæ, lecturæ, & prædicationis actu subire voluerit, quique bis aut semel, ad minus per singulas Hebdomadas, impedimento cessante legitimo, legere debeat, & quoties ipsum in hujusmodi Lectura deficere contigerit, ad arbitrium Capituli per Subtractionem distributionum totius hebdomadæ puniri possit; & si residentiam deseruerit, de illis alteri provideri debeat, & ut liberius studio vacare possit, etiam si absens fuerit a Divinis, habeatur pro præsente, ita ut nil perdat. Ex eadem collectione Labbei Tom. 14. pag. 296.

Laudabilem hanc disciplinam plurimum commendavit, probavitque Concilium Tridentinum; Siquidem *Sess. 5. cap. 1. de Reform.* = *Ne cælestis ille Sacrorum Librorum Thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate Hominibus tradidit, neglectus jaceat*, decrevit, ut in Ecclesiis, in quibus Præbenda Theologalis instituta jam erat, locorum Ordinarii eos, qui illam obtinerent = *Ad ipsius Sacræ Scripturæ expositionem, & interpretationem per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per substitutum* compelleret. In aliis verò Ecclesiis sive Metropolitanis, sive Cathedralibus, ac etiam in Collegiatis alicujus insignis Oppidi, in quibus institutio dictæ Præbendæ nondum esset secuta, illam omnino institui mandavit per unionem Præbendæ primo vacaturæ: & quatenus illius reditus minime sufficerent, per assignationem fructuum alicujus simplicis Beneficii, vel alias, prout commodius fieri poterit = *ut ipsa Sacræ Scripturæ lectio habeatur, ita tamen, ut quæcumque aliæ lectiones vel consuetudine, vel quavis alia ratione institutæ propter id minime prætermittantur*; Ast in Ecclesiis, quarum annui proventus tenues fuerint, & ubi Cleri, & Populi tam exigua esset multitudo, ut *Theologiæ lectio in eis commode haberi non possit*, saltem deputari præcepit Magistrum, qui Clericos, aliosque Scholares pauperes Grammaticam gratis doceret = *ut deinceps ad ipsa Sacræ Scripturæ studia annuente Deo transire possint* = Hanc autem Sacræ Scripturæ lectionem fieri præcepit in Regularium Monasteriis, in quibus studia commode vigere possent; Ac demum voluit, ut = *Docentes ipsam Sacram Scripturam dum publice in Scholis docuerint, & Scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum Præbendarum, & Beneficiorum suorum in absentia a jure communi concessis plene gaudeant, & fruantur.*

Poſt Concilij Tridentini decretum Epiſcopi ſumma diligentia curarunt, ut in eorum Eccleſiis Cathedralibus, & Conventualibus Theologi Præbenda inſtitueretur. Plurimæ etiam Diæceſanæ Synodi ſtatuta ediderunt circa tempus, horam, & materiam Sacræ Scripturæ, quam Theologus publicè exponere debet. *Synodus Turonenſis anni* 1583. *Cap.* 13.; *& Bituricenſis anni* 1584. *tit.* 34. *can.* 7. decreverunt, quod obtinentes Theologalem Præbendam tenerentur bis, aut ad minus ſemel in hebdomada prælegere, & diebus Dominicis, *&* Feſtis ſolemnibus concionem publicam habere. *Synodus Aquenſis tit. de Canonicis* voluit, ut Theologus ſaltem bis in hebdomada doceret. S. Carolus Borromæus in Synodo Mediolanenſi XI. verbo *Monita de executione decretorum, quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta pertinent* = quoad Canonicos Theologos ita ſtatuit = *Theologi præcipuum, præter cætera, munus hoc etiam erit, ut omni die Feſto Sacras Litteras in Eccleſia publicè interpretetur*; *In feriis autem hebdomadæ, ubi Cleri numerus eſt, Sacram item Scripturam, conſcientiæ caſuum tractationem, aut catechiſmi, alteriuſve Eccleſiaſticæ doctrinæ, aut diſciplinæ lectionem, quam Nos præſcripſerimus exponat*; *Si vero in feriis omnibus id præſtari non poterit, ter ſaltem in ſingulas hebdomadas prout expedire cenſuerimus. Clericos porro inferiorum ordinum, aut catechiſmi Romani doctrina, aut alia lectione etiam ſeparatim a reliquo Clero ſæpius in hebdomada erudiat, atque inſtruat ex præſcripto regularum noſtrarum* = *Acta Eccleſiæ Mediolanenſis Patavij impreſſa anno* 1754. *part.* 2. *pag.* 354. *col.* 2.

Ut ea, quæ de Theologali Præbenda a Concilio Tridentino demandata fuerant, omnino exequerentur, plura præfinivit San. mem. Benedictus XIII. in Concilio Romano anni 1725. *Tit.* 1. *cap.* 6., *& 7. & cap.* 8. methodum præſcribens, quo Sac. Scripturæ lectio explenda foret, hæc ait = *Lectores autem, quicumque ſint, Divinas in Eccleſia Scripturas interpretantes, hortatos volumus, ut cum non omnes Auditores ſint eodem ingenio præditi, clara, & pro ſingulorum captu dicendi ratione utantur: potiſſimumque monemus, ut maximum circa hoc miniſterium, ea ipſis præcipua ſit methodus, quatenus, litteralt in unaquaque lectione, Textus enarratione præmiſſa, duas nimirum ex eiſdem Sacræ Scripturæ locis proponant ſemper, ſolvantque quæſtiones, hiſtorialem unam, moralem alteram, vel de noſtræ fidei Articulis, & Sacramentis, vel de Catholicæ Eccleſiæ ritibus, eorumque Miſteriis, vel aliis ad ſanam doctrinam, & Chriſtianam inſtitutionem*

nem ſpectantibus , quæ humanæ nedum eruditioni , ſed ſpirituali etiam valeant prodeſſe intereſſentium ſaluti .

Præbendam pro Canonico Theologo in Cathedrali Eccleſia Fulginatenſi inſtituit anno 1718. Epiſcopus Baptiſtellius, & quæ Theologi partes eſſe deberent, expreſſit in Diæceſana Synodo habita *anno* 1722. *Cap.* 6. , in quo, confirmata hujus Præbendæ inſtitutione, decrevit = *Quod Canonicus Theologus pro tempore ſingulis diebus Dominicis è Cathedrali Suggeſtu Clero , & Populo eam materiam , ſeu Sacræ Scripturæ partem , eaque hora , quam Epiſcopus pro tempore præſcripſerit, legere , & explicare teneatur.*

Dum in Concilio Tridentino actum eſt de lectione Sacræ Scripturæ, Teſte *Cardinali Pallavicino in hiſtoria Concilii lib.* 7. *num.* 33. *ad* 90. *Editionis Romanæ anni* 1666. controverſia orta eſt inter quemdam Abbatem Caſſinenſem , & Dominicum Sotum , num in Monacorum Cœnobiis lectio Sacræ Scripturæ , vel potius Theologiæ Scholaſticæ inſtitui deberet ; Patres in diverſas abierunt Sententias ; verum Cardinalis del Monte Concilij Legatus rem componere curavit , decretumque editum fuit , quo licet primario reſpectus habeatur ad lectionem Sacræ Scripturæ , nihilominus haud excluſa remanſit lectio Sacræ Theologiæ ; quare *Gallemart. ad dict. Cap.* 1. *Seſſ.* 5. *num.* 16. *Fagnan. in Cap. quia nonnullis, de Magiſtr. num.* 29. *& ſequen. Garzias de Benefic. part.* 5. *Cap.* 4. *num.* 156. *Pirringh. in Jus Canonicum tom.* 4. *Lib.* 5. §. 1. *num.* 7. *verſ. Notandam Sexto , & Pignattel. conſul.* 62. *num.* 27. *tom.* 3. ſuſtinent , quod Canonicus Theologus muneri ſuo ſatisfacit, ſi explicet Sacram Scripturam , vel legat Theologiam Scholaſticam , ea etiam ducti ratione , quia Concilium ſe refert ad decretalem Innocentij III. = *Quia nonnullis, de Magiſtris* = in qua diſponitur, quod obtinens Præbendam Theologalem = *Sacerdotes , & alios in Sacra pagina doceat , & in his præſertim informet quæ ad Curam animarum ſpectare noſcitur* =, ex quo inferunt, excluſam non eſſe lectionem Theologiæ ſcholaſticæ -

Quæſtiouem hanc illuſtrat quoque Benedictus XIV. in opere *de Synodo Diœceſana lib.* 13. *cap.* 9. *num.* 17. Ubi aſſerit, ſe , dum munus Secretarij Sacræ Congregationis fungeretur , in quadam Cauſa , cujus titulus: *Dubium Præbendæ Theologalis.* Propoſita *die* 5. *Junij* 1723. *Diſcurſum* edidiſſe , atque in eo probaſſe , decretum Concilij de inſtitutione Præbendæ Theologalis , ſive ejus verba conſiderentur , ſive ratio habeatur praxis , & conſuetudinis

ſe-

ſequentium temporum æque comprehendere Scripturarum Sacrarum expoſitionem, ac Theologiæ Scholaſticæ lectionem, & Canonicum Theologum munus ſuum adimplere tam ſi Sacræ Scripturæ libros explicet, quam ſi in TheologiaScholaſtica Clerum erudiat, dummodo hæc talis ſit, qualem *Melchior Canus* tradendam, addiſcendamque ſuadet in ſuo *lib.* 8. *de Locis Theologicis Cap.* 1. ,quæ ſcilicet circa quæſtiones gravis momenti, & utilitatis verſetur, eaſque pertractet, allatis Divinæ Scripturæ Teſtimoniis, Conciliorum decretis, & Patrum auctoritatibus. Addit ulterius a quibuſdam Epiſcopis laudabiliter factum fuiſſe, ut per Canonicum Theologum ea traderetur Theologia, quæ eſt de Conſcientiis, & moribus dirigendis; idque confirmat laudatus Auctor in *Inſt.* 57. *num.* 7. & 8.

Eamdem quoque ſententiam tuetur *Card. Petra in Comment. ad conſt.* 2. *Innocentii VI. num.* 46., & ait, quod Epiſcopus juxta ſui prudentiam ſtatuere debet, quid a Canonico Theologo agendum erit; hinc ſi agnoverit Auditores capaces, & præſertim laicos, eo caſu tenetur adigere Theologum, ut e ſuggeſtu Sacram Scripturam explicet, ſed ſi populus non adſit, & Clerus rudis fuerit, melius tunc erit, ſi in Theologia morali eos inſtruere faciat = *Monacellus Tom.* 1. *tit.* 2. *Form.* 5. *n.* 5. advertit, quod Canonicus Theologus menti Sac. Concilii haud ſatisfacit, ſi loco explicationis Sac. Scripturæ, Parochis, & Confeſſariis quæſtiones Morales ſemel, vel bis in menſe diſſolvendas proponat, & *num.* 7. proſequitur, quod ſi Epiſcopo placuerit, ipſum reſolutiones Caſuum conſcientiæ proponere debere, nihilominus omittere non poſſe explicationem Sacræ Scripturæ publicè in Eccleſia Cathedrali faciendam, præſertim de iis, quæ Populo utiliora videantur, ut ſunt præceptaDecalogi, MiſteriaFidei, Noviſſima hominis, & ſimilia.

A Capitulo Eccleſiæ Collegiatæ *Hiſpalen.* quæſitum fuit num obtinens Præbendam Theologalem, ſicuti ſine fructu prius Sac. Scripturam legebat, ita proſequi poſſet lectiones Theologiæ Scolaſticæ, quas explicandas ſuſceperat; *Die* 5. *Aprilis* 1576. reſponſum fuit = *Satisfieri decreto Concilii ſeſſ. V. Cap.* 1. *ſi vel Sacra Scriptura, vel Theologia Scolaſtica legatur. lib.* 2. *Litterarum Sac. Congr. pag.* 153. *in Pharen.* 6. *Aprilis* 1595. Epiſcopo ſic ſcriptum legitur = *Præbendam Theologalem alicui ex Collegii Illyrici Alumnis, alioquin idoneis, utique conferri ab Epiſcopo poſſe, tametſi caſus conſcientiæ tantum ſit explica-*

tu-

turus lib. 7. decretorum pag. 115. Rursus *die 12. Novembris 1639. in Polinganen.* decrevit = *Pro obtinenda Præbenda Thelogali sufficere, ut quis sit licentiatus in utroque Jure, alias idoneus ad docendam Theologiam moralem : & ideo in hoc casu D. Secretarius faciat extrajudicialiter examinare Oratorem super illius habilitate per Patrem Torquatum de Cupis = lib. 16. decretorum pag. 292 tergo.*

In *Vigilien.* Canonicus Theologus Cathedralis preces dederat, quibus postulaverat, ut loco Doctoratus in Sac. Theologia assumere posset Doctoratum in Jure Canonico, & eadem Sac. Congregatio *die 27. Septembris 1681.* censuit = *Si Sanctitati Suæ placuerit posse per suas litteras Apostolicas, committi Episcopo, qui dummodo, prævio diligenti examine Oratorem invenerit habilem, & idoneum docendo Theologiam moralem, & explicando Sacram Scripturam juxta legem in fundatione Præbendæ Theologalis appositam pro suo arbitrio, & conscientia dispenset, ut gradum Doctoris in jure Canonico suscipere valeat, qui sic susceptus Oratori suffragetur, perinde, ac si ipse in Sac. Theologia graduatus reperiatur; Ita tamen ut Theologiam moralem docendo, & Sacram Scripturam explicando verè incumbat, & sedulo præstet operam ;* Quæ quidem Sac. Congregationis resolutio a Summo Pontifice approbata fuit die 25. *Septembris* ejusdem anni = *lib. Decretorum pag. 14. tergo.*

Non desunt etiam Concilia Provincialia, sive Diæcesana, quibus Canonico Theologo facultas tribuitur docendi Theologiam Scolasticam, vel Moralem, dummodo explicationem Sac. Scripturæ penitus non omittat. *Garzias de benefic. part. 5. Cap. 4. num. 156.* refert Concilium *Compostellanum, actione 2. decreto 36.*, & Concilium *Toletanum* pariter *actione 2. decreto 28.* decrevisse, quod Canonicus Theologus possit ad morales casus, & dubia scholastica se convertere, dummodo sub aliquo Scripturæ loco versetur lectio. Card. Carolus Barberini Abbas commendatarius Farfensis in Synodo ab ipso celebrata *cap. 5.* statuit: *Præbendam Canonicalem primo vacaturam ad usum lectionis Sacræ Scripturæ, & Theologiæ moralis ut supra habendæ, ex nunc pro tunc ad formam Sac. Concilij Tridentini perpetuo constituimus, & deputavimus.* In Synodo *Montis Falisci anni 1710. Cap. 6.* præscribitur, quod provisi de Præbenda Theologali = *statis diebus post Vesperas in Sacrario super aliquo ex Canonicis libris lectionem habebunt; quod si pro ea Scripturæ lectione ex re magis esse videbitur de morum doctrina differere fiet, nobis tamen relin-*

linquimus, quod maluerimus ex Scriptura, vel morali argumentum designare.

Hæc quoad institutionem Theologalis Præbendæ, & Theologi munus in jure adnotanda erant; superest nunc, ut perpendatur, an petitio Capituli Fulginatensis juris dispositioni sit conformis; Præ oculis habendum est quid disponit Synodus Episcopi Baptistelli quoad Canonicum Theologum; Ponderandum pariter est, quod onus edocendi pueros rudimenta Fidei, vim, & usum Sacramentorum explicandi Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *Cap.* 4. & 7. Parochis præcipue injunxit; præterea, quod idem Concilium citato *Cap.* 1. *sess.* 5. præscribit, ut per institutionem lectionis Sac. Scripturæ nequaquam omittentur aliæ lectiones, quæ vel consuetudine, vel quavis alia ratione institutæ fuissent; videndum proinde an prætermitti possit ipsa Sac. Scripturæ lectio, ut Catecheses ad Populum habeantur, & Clerici Theologia morali instruantur, cum præsertim in Civitate Fulginatensi adsit Seminarium, ubi Theologia moralis doceri potest. Hisce omnibus perpensis, ea qua pollent juris peritia, Eminentissimi PP., definire dignabuntur.

An Canonicus Theologus loco explicationis Sac. Scripturæ possit explicare Catechesim, & docere lectiones Theologiæ Moralis in casu &c.

Scribatur Episcopo juxtà mentem: & mens est ut omninò servetur *Cap.* 7. *Sess.* 24. per eos, qui Curam Animarum gerunt; quo verò ad Canonicum Theologum, suas lectiones peragere debere juxtà tradita a Benedicto XIV. *de Synodo lib.* 13. *Cap.* 9. §. 17.

Sess. 25. *cap.* 2. *de Regul.*, & *Monial.*

BONONIEN.. Frater Carolus Cocchi Laicus jam professus in Ordine Minorum Conventualium S. Francisci, cum in ætate annorum septuaginta octo esset constitutus, narravit, se in Civitate Bononiæ Domum possidere, ex qua retrahebat quolibet anno scuta viginti; Narravit insuper, ex oblationibus sibi obventis horreum in eadem Civitate extruxisse, ex quo percipiebat annua scuta sex; De hisce bonis disponere velle hoc modo declaravit, nempe pensiones Domus in utilitatem Bibliothecæ Conventus Bononiensis relinqui optabat, reditus vero horrei expendi in comparanda cera pro Sacris functionibus peragendis ad Altare Conceptionis Beatæ Virginis in Eccle-

sia

ſia ejuſdem Conventus erectum; Petiit proinde facultatem diſponendi modo, & cum conditionibus ſuperius expreſſis.

Requiſitus fuit de ſua Sententia Procurator Generalis Ordinis, eique injunctum, ut indigitaret, quo titulo Frater Carolus Domus proprietatem poſſideret, & annua penſione gauderet ſcutorum ſex ſuper horreo. Ad hæc retulit, dictum Fratrem Carolum percepiſſe ſemper a ſuis Conſanguineis titulo Livelli annuam præſtationem ſcutorum quatuordecim, inſuperque, propter illius ſummam diligentiam, & aptitudinem, commiſſa eidem fuiſſe nonnulla Cœnobij miniſteria, quæ illa exercentibus aliquid emolumenti conferunt; Ex hac igitur Officiorum Adminiſtratione, atque ex Livelli ſubſidio aliquam pecuniæ ſummam coacervaſſe, quam pro rata ſcutorum centumquadraginta in conſtructionem horrei inhærentis Domui ad Cœnobium Bononiæ pertinenti erogavit: pro rata vero ſcutorum bis centum vigintiquinque in emptionem Domus convertit; Hanc vero horrei conſtructionem, & Domus acquiſitionem, annuentibus Fratribus in Capitulo congregatis, nomine Conventus factam aſſeruit, & dicto Fratri Carolo, quouſque viveret, eorumdem bonorum uſumfructum reſervatum fuiſſe. Demum inſtantiam a Religioſo Cocchi propoſitam exaudiri poſſe exiſtimavit.

Superventa relatione Procuratoris Generalis, obiit Frater Carolus, & inſtantiam proſequitur Superior Conventus Bononienſis, qui inſtat pro obtinenda facultate exequendi ea, quæ Frater Carolus in utilitatem Altaris Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, Bibliothecæ Conventus diſponere optavit; Dubium tamen ortum eſt, an hujuſmodi acquiſitionis contractus perfici potuiſſet a Religioſo Viro, qui Votum paupertatis emiſerat, etiamſi ſtipulatio favore Conventus expleta fuerat, & num de iiſdem bonis diſponere poſſet; Quæſtionem hanc Emi PP. hodie definire dignabuntur ſub Dubio inferius tranſcripto; Abs re tamen non erit quædam animadvertere, quæ ad rem opportuna videntur.

Plura de abdicanda a Regularibus proprietate ſtatuit *Innocentius III. in Cap. Cum ad Monaſterium, de Stat. Monachorum*; in ea namque decretali laudatus Pontifex ſcribens Abbati, & Communitati Sublacenſi, ſic ait = *Prohibemus quoque diſtrictè in virtute obedientiæ ſub obteſtatione Divini Judicij, ne quis Monachorum proprium aliquo modo poſſideat. Sed ſi quis aliquid habeat proprij, totum incontinenti reſignet. Si vero poſt hoc proprietatem*

aliquam fuerit deprehenſus habere, regulari monitione præmiſſa, de Monaſterio expellatur, nec recipiatur ulterius, niſi pœniteat ſecundum monaſticam diſciplinam; Quod ſi proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipſa cum eo in ſignum perditionis extra Monaſterium in ſterquilinio ſubterretur: Secundum quod Beatus Gregorius narrat in Dialogo ſe feciſſe, unde ſi quidquam alicui fuerit ſpecialiter deſtinatum, non præſumat illud accipere, ſed Abbati, vel Priori, vel Cellerario aſſignetur =.

Statuta ab Innocentio III. quoad Regularium proprietatem confirmavit, innovavitque Concilium Tridentinum *Seſs.* 25. *Cap.* 2. *de Regul.*, & *Monial.*; juſſit enim, quod =, *nemini Regularium, tam Virorum, quam Mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cujuſcumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita tamquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere, vel tenere, ſed ſtatim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona Stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, vel commendam . . . . . Quod ſi quis aliter quidquam tenere deprehenſus, aut convictus fuerit, is biennio activa, & paſſiva voce privatus ſit, atque etiam juxta ſuæ Regulæ, & Ordinis Conſtitutiones puniatur* =.

San. Mem. Clemen. VIII. in Conſtitutione, cujus initium eſt = *Quæ ad proſperam* = ſub datum diei 25. *Junij* 1599. §. 3. abuſus, qui hac ſuper re fortaſſe irrepſerant, eliminare cupiens, Concilii legem de paupertatis voto obſervari mandat, idque, ut abſque ulla fraude, & dolo omnino fieret præcipit = *Ut nullus de Fratribus, etiam ſi Superior ſit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, cenſus, eleemoſynas, ſive ex concionibus, ſive ex lectionibus, aut pro miſſis tam in propria Eccleſia, quam ubicumque celebrandis, aliove ipſarum juſto labore, & cauſa, & quocumque nomine acquiſita, etiamſi ſubſidia conſanguineorum, aut Piorum largitiones legata, aut donationes fuerint tamquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere poſſit, ſed ea omnia ſtatim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, aut cum cæteris illis bonis, reditibus, pecuniis, aut proventibus confundantur, quo communis inde victus, & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit* =, & §. 7. ejuſdem Conſtitutionis ait = *Nulla quorumque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia quantum ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excuſare poſſit, quominus culpæ, & pœnæ ab iiſdem Concilij Decre-*

cretis impositæ, & ipso facto incurrendæ obnoxij sint, etiamsi Superiores assererent, hujusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus =.

Fagnanus in *Cap. Monachi, de Stat. Monac. a num. 67. usque ad finem* singulos recenset abusus invectos, ut eluderetur dispositio Concilij, quoad Regularium proprietatem, illosque penitus sublatos esse contendit post dictam Constitutionem Clem. VIII., cum in ea Concilij Decretum explicetur, atque declaretur; & propterea num. 66. concludit = *nemini prorsus Regularium tam Virorum, quam Mulierum, nisi sit Officialis, fas esse etiam nomine Conventus habere annuos redditus, seu provisiones annuas, vel bonorum stabilium administrationem, aut peculium etiamsi illud non sit superfluum, sed ad necessarios, honestos, & pios usus a Superiore ex quacumque causa concesso, & dependenter ab ejus voluntate, & nutu, nec quemquam excusari a lethali culpa, & pœna Proprietariis inflicta ex quavis consuetudine Monasterij, vel Religionis, aut ex varietate, seù probabilitate opinionum, aût quovis prætextu, vel causa* =.

Quod attinet ad modum, quo Defunctus Frater Carolus disponere optabat, notandum, quod Gregorius IX. *in Cap. Quia ingredientibus 2. de Testamentis* sic disponit = *Gabina Abbatissa conquesta est, S. quondam Abbatissam Monasterij sui, postquam regendi suscepit Officium, condito Testamento, Legata quibusdam reliquisse, dicens eam usque in diem obitus sui, non induisse habitum Monachalem, sed in vestibus, quibus utuntur Loci illius Presbyteri, permansisse, sicut & illa, quæ ante ipsam fuerat Abbatissa: Et hoc pene ex consuetudine licuisse, & infra. Necessarium ergo visum est, post quam Abbatissa ordinata est, & in Monasterio per annos plurimos usque ad obitum præfuit, vestis qualitatem ad culpam forte Episcopi pertinere, qui eam sic esse permisit: non tamen potuisse præjudicium Monasterio irrogare, sed res ipsius, eidem loco, ex quo illic ingressa, & Abbatissa constituta est, de jure competere.*

Ex quo inferunt *Gonzal. in Comment. ad d. Cap. lib. 3 tit. 26. n. 17., Tambur. de Jur. Abbat. disput. 34 qu. 1* aliique, quod Regulares nullam de bonis quomodolibet acquisitis facere possunt dispositionem, quia post emissam Professionem propria voluntate privantur, & omnia arbitrio submittunt Superioris, eorumque dispositiones licet sint factæ ad pias Causas, & de ejusdem Superioris licentia irritæ sunt. Advertit tamen *Gallemart ad d. Sess. 25. Cap. 2. de Regular.*,

gular., *& Monial. num.* 5. Contueviſſe Pontificem ex juſta cauſa concedere Regularibus facultatem teſtandi, cum Superioris conſenſu, & de modica quantitate.

Non deſunt quoque exempla, quæ probant facultatem teſtandi Regularibus quandoque indultam fuiſſe. In *Florentina* quidam Religioſus Ordinis S. Auguſtini ſupplicavit pro facultate deveniendi ad renunciationem jurium ſuper quadam Domuncula competentium favore ſui Fratris, & die 13. *Julij* 1686. ſequens prodiit Reſcriptum = *Sacra Congregatio commiſit Superiori locali dictæ Congregationis, ut legitimo Fratrum Conventus, cujus Orator eſt filius, ad id accedente conſenſu, petitam facultatem renunciandi favore Fratris impertiatur. lib.* 36. *decret. pag.* 304. *in Limaria* quædam Monialis ante profeſſionem cum licentia Ordinarij de bonis ſuis diſpoſuit, ſibique reſervavit facultatem diſponendi de quota ſuæ hæreditatis favore Nepotum; ſed dubitatum fuit I. *An ſecundum ea, quæ proponuntur, Oratrix licet profeſſa poſſit de conſenſu Superioriſſæ devenire ad denominationem ſuarum Neptum, juxta facultatem in Teſtamento reſervatam, & quatenus negativè*; II. *An ſaltem ſuper hoc ſit ei concedenda diſpenſatio*. Die 27. *Junij* 1699. Reſponſum fuit = *Concedendam eſſe diſpenſationem = lib.* 49. *decret. pag.* 229., *&* 330. In *Toletana* alias Monialis inſtetit pro facultate mutandi diſpoſitionem a ſe factam, dum erat in Novitiatu, eique petita facultas die 7. *Maij* 1718. fuit impertita.

Aliter tamen ſenſit quandoque Sac. Congregatio, & facultatem variandi diſpoſitionem Regularibus jam Profeſſis denegavit. In *Toletana* Maria Ximenes Monialis in Monaſterio S. Claræ dictæ Civitatis, prius quam profiteretur, Teſtamentum condidit, atque in eo erectionem unius Capellaniæ demandavit cum reſervatione patronatus activi favore nonnullorum Conſanguineorum: optavit poſt hanc inſtitutionem variare, & de bonis ſuis in Monaſterij beneficium diſponere; petiit propterea facultatem revocandi Teſtamentum: quæſitum hinc eſt= *An petita facultas ſit concedenda*? Die 7. *Julij* 1668. reſpondit = *Negativè = lib.* 26. *decret. pag.* 33., *&* 34. Ulterius *in Bononien. Teſtamenti* Laurentius Gucci anno 1642. ingredi volens Ordinem Jeſuatorum hæredem inſtituit Conventum Bononiæ ejuſdem Ordinis. Emiſſa profeſſione, Ordo prædictus ſuppreſſus fuit; quare Gucci Teſtamentum reſolutum fuiſſe exiſtimavit, dubiaque propoſuit I. *An in Caſu, de quo agitur, Teſtamentum cenſeatur reſolutum*? *& quatenus negativè*; II. *An Orator revo-*

revocandi facultas, & aliud de novo condendi sit concedenda. Die 25. *Februarij* 1679. decisum fuit = *Negativè ad utrumque* = *lib.* 30. *decret. pag.* 283., quæ quidem resolutio confirmata extitit die 23. *Augusti* 1692. *lib.* 42. *decretorum pag.* 486. Quid verò in præsenti Causa deniendum sit, vestrum erit Eminentissimi PP. decernere dum quæritur.

An, & quomodo sit locus assignationi, seù applicationi in casu &c.

Bona, & reditus de jure competere Monasterio, & esse sub legitima Superioris dispositione: & ad mentem.

FIRMANA UNIONIS PARÆCIARUM, ET ERECTIONIS PRÆBENDÆ THEOLOGALIS. In Collegiata Ecclesia Oppidi S. Victoriæ nondum instituta est Præbenda Theologalis; De istius Præbendæ institutione egit Communitas, exposuitque, in eodem Oppido, præter Collegiatam, binas alias reperiri Parochiales Ecclesias, nempe S. Mariæ de Valle, & S. Salvatoris; Harum primam destitutam esse Rectore, & auctoritate Sac. Congregationis suspensam esse per decennium illius collationem, ut reditus, qui ascendunt ad sc. 115. pro reædificatione Collegiatæ applicarentur. Ecclesiam hanc Parochialem satis esse decentem, & Populo commodam, & sub ea reperiri sexaginta circiter animas: Alteram vero Parochialem S. Salvatoris rudem admodum esse, & angustam, nullamque, præter Parochi, in ea celebrari aliam Missam, & animas Parochiæ subjectas esse tantum duodecim. *Sess.* 1. *cap.* 1. & *Sess.* 21. *cap.* 15. *de Reform.*

Tam exiguo Parochianorum numero superfluum esse dixit distinctum Parochum deputare; propterea instetit, ut duæ istæ Parœciæ unirentur, præservatis Parocho S. Salvatoris omnibus reditibus cum onere Sacramenta ministrandi, aliaque Parochialia munia exercendi in Ecclesia S. Mariæ de Valle: reditus verò istius Ecclesiæ post absolutam Collegiatæ Fabricam erogandos supplicavit pro erectione Præbendæ Theologalis cum onere Canonico pro tempore persolvendi Parocho S. Salvatoris an-

annuam pensionem scutorum quindecim. Communitatis petitioni non assentitur Parochus S. Salvatoris, contendens locum non esse Parochiarum unioni: & quatenus forent uniendæ, existimat sibi deberi omnes reditus utriusque Parochiæ, vel saltem ex reditibus Parochiæ S. Mariæ de Valle augendos esse reditus suæ Parochiæ usque ad Congruam a jure præscriptam; unionem præterea impugnant nonnulli homines Oppidi S. Victoriæ; hinc quæstio binis dubiis complexa Sac. Congregationis judicio definienda proponitur.

Ad I. advertit Communitas, ex dispositione Concilij Tridentini, justa intercedente causa, uniones Ecclesiarum Parochialium perfici posse; justam vero causam esse deficientiam Familiarum, quæ saltem duodecim requiruntur, ut Parochia subsistat; Cum autem Parochus S. Salvatoris tres tantum Familias numeret, ejusque Ecclesia tum ratione structuræ, tum etiam ratione situs, in quo est ædificata, nimis indecora, & informis sit; hinc contendit unionem omnino decernendam esse.

Observat ad II. Theologalis Præbendæ institutionem a pluribus Summorum Pontificum Constitutionibus, & Conciliorum Decretis demandatam fuisse, illamque demandasse Concilium Tridentinum in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, quæ extant in aliquo insigni Oppido, & novissimè Concilium Romanum anni 1725. hoc præcepisse; quare infert nullam adesse rationem cur in Collegiata S. Victoriæ Præbenda hujusmodi erigi non possit. Perperam vero opponi dictam Collegiatam insignem non esse; nam Tridentini Patres Præbendam pro Canonico Theologo erigi voluerunt non in Collegiata insigni, sed in Collegiata quæ sit in aliquo insigni Oppido; Oppidum autem Sanctæ Victoriæ revera insigne esse, cum in eo Incolæ fere bis mille numerentur, nec non triginta Sæculares Presbyteri, tria Regularium Cœnobia, & duo Sacrarum Virginum Monasteria; Addit insuper juxta Doctorum sententiam, Oppidum insigne dici eo ipso, quod inibi instituta est Ecclesia Collegiata: ideoque sublato discrimine inter Oppidum insigne, & non insigne, existimat in qualibet Collegiata Ecclesia Præbendam Theologalem fore erigendam; Cæterum fustinet Collegiatam Sanctæ Victoriæ revera insignem esse; nam Card. Barberinus Abbas Commendatarius Farfensis, cujus jurisdictioni suberat Ecclesia, in Synodo anni 1685. inter Collegiatas insignes illam recensuit, in eaque Theologalem Præbendam erigi jussit.

De-

Demonſtrata neceſſitate erectionis Præbendæ Theologalis, modum expendit, quo hujuſmodi erectio perfici debeat; Ponderat enim, quod ſi Eccleſiarum S. Mariæ Vallis, & S. Salvatoris unio decernatur, Parochus animas tantum duas ſupra ſeptuaginta haberet: reditus vero earumdem Eccleſiarum, computatis etiam incertis, æquarent ſummam ſcutorum biſcentum, & ultra, qui ſane reditus, ſi omnes Parocho aſſignarentur, emolumentum pinguius perciperet quàm ejus requireret labor; eò fortius, quia nullis eſt gravatus oneribus; nam in Eccleſia S. Mariæ Vallis Altaria a reſpectivis Beneficiatis manutenentur, & adeſt quoque Capellanus, qui præter onus excipiendi Fidelium confeſſiones, pro medietate ſubire debet expenſas pro Altari majori neceſſarias; ne igitur Parochus ditior evadat quàm par ſit, putat reditus dictæ Eccleſiæ S. Mariæ Vallis aſſignandos eſſe pro erectione Præbendæ Theologalis, ejuſque erectionem perficiendam eſſe, ſervata methodo ab Archiepiſcopo propoſita.

Hanc autem Theologalis Præbendæ erectionem retardari non poſſe, ex quo non adhibeantur media a Concilio Tridentino præfinita, vel quia nullibi ſtatutum legitur, quòd ex reditibus Eccleſiarum Parochialium Theologales Præbendæ ſint erigendæ; Ad primum enim advertit erectionem prædictam expleri non poſſe per ſuppreſſionem Præbendæ primo vacaturæ, prout Concilium præſcribit; quia octo tantum extant Canonici, & ii omnes tenentur coadjuvare Priorem Collegiatæ in exercitio Curæ animarum: nulla in Oppido S. Victoriæ adeſſe Beneficia, quæ ad conſtituendam dotem Præbendæ uniri, vel taxari poſſint, atque idcircò præſumi debere a Concilio impertitas Epiſcopis eſſe facultates erigendi Theologalem modo, quo fieri poteſt: Aptiorem autem non adeſſe modum quàm erigendi Præbendam, cum reditibus Parochialis Eccleſiæ S. Mariæ Vallis; Ad ſecundum reſpondet, quod in præſenti caſu non agitur de applicatione redituum alicujus Parochiæ, quæ conſervari debeat, ſed de Parochia, quæ juſta intercedente causa, ſupprimenda eſt; ideoque congruum videatur, ut illius reditus in uſum, qui Populo magis utilis, & proficuus ſit, convertatur: Minuſque obeſſe querimonias Parochi S. Salvatoris aſſerentis, ſe Congrua deſtitutum eſſe, ſibique ſaltem utriuſque Eccleſiæ reditus aſſignandos; nam contendit, quod dictus Parochus ex reditibus dictæ Parochiæ percipit annua ſcuta ſexaginta, quibus ſi addantur alia ſcuta quindecim a Canonico Theologo eidem quotannis perſolvenda, & emo-

emolumenta incerta ex Sacramentorum administratione, obventura, utique fructus haberet sufficientes pro congrua sui ipsius sustentatione.

Ex alia vero parte Parochus S. Salvatoris excipit ad I. Ecclesiarum Parochialium uniones, utpote in jure odiosas, fieri non debere, nisi necessitas, vel evidens utilitas concurrat; Utramque in petita unione deesse ait, nulla siquidem explendæ unionis intercedit necessitas, cum Ecclesia S. Mariæ Vallis, quæ esset supprimenda, abundè sit ditata reditibus, proindeque deficere illam causam a Parochiæ paupertate desumptam, quam omnino requirit Concilium Tridentinum; Minusque verificari utilitatem quia tunc utilis esset unio, quando unus idemque Parochus utrique Ecclesiæ absque animarum jactura præesse posset; sat unus idemque Parochus, si unio dictarum Ecclesiarum sequatur, præesse haud poterit, nam licet Parochia S. Salvatoris numeret animas dumtaxat duodecim, altera vero S. Mariæ Vallis habet animas centum, omnibusque simul unitis unus Pastor præesse non potest, præsertim quia Familiæ dissitæ inter se sunt.

Præter defectum justæ, & legitimæ causæ, deesse quoque ait solemnitates a Jure requisitas; cum Processus constructus non fuerit, qui necessario requiritur, quando Parochialium Ecclesiarum unio sit decernenda; Unioni assensum non præbuerunt Parochiani, de quorum interesse præcipue agitur: dissentit etiam Parocus, cui Populus Ecclesiæ S. Mariæ Vallis assignari vult, suusque dissensus validissimis nititur fundamentis; quare concludit Communitatis petitionem rejiciendam esse, fortius quia unio prædicta in maximum animarum vergit detrimentum; cum utilius semper futurum sit, quod hæ duæ Paræciæ a binis Parochis administrentur.

Ad II. inquit, quod si unio decerneretur, omnes reditus Ecclesiæ S. Mariæ Vallis sibi tribuendæ forent, quia unionis effectus est, ut proventus, bona, & jura quæcumque Ecclesiæ suppressæ transeant ad Rectorem alterius Ecclesiæ, cui fit unio; Idque magis observandum in præsenti casu, quia vetita a jure est unio Ecclesiarum Parochialium favore alicujus Monasterii, Collegii, Capituli, vel Præbendæ, etiam si unio fieret pro augumento distributionum quotidianarum; Demum notat quod per hujusmodi unionem animarum numerus Parochiæ augeretur: ideoque major pro illarum regimine requireretur cura, & sollicitudo, ac propterea ex bonis Ecclesiæ supprimendæ tot reditus assignandos esse, quot, computatis redi-

ditibus certis Parochialis S. Salvatoris, efficerent Congruam Scutorum centum.

Homines Oppidi S. Victoriæ licet moniti, sua jura non deduxerunt; Capitulum vero petitioni assensum præbet.

Archiepiscopus in relationibus hac super re datis exposita in facto confirmat. Ecclesiarum unionem, & erectionem Præbendæ Theologalis probat, quam tamen sub quibusdam conditionibus fieri optat, nempe = *Quod Canonicus Theologus prævio examine, & indicto concursu fit eligendus, & onus non solum habeat explicandi Sac. Scripturas omnibus diebus festis, vel saltem Dominicis de sero, sed etiam audiendi Fidelium confessiones; Quod designetur præcisa quantitas, quæ stare debet pro quotidianis distributionibus; Quod demum non antea hujusmodi erectioni locus esse debeat, nisi absoluta fabrica collegiatæ Ecclesiæ, pro cujus celeri adimplemento, licet ego urgenter instabo, nihilominus necessitas poscit, ut interim prædictæ Ecclesiæ vacantis reditus pro ipso Ædificio erogentur.*

Loquitur deinde de modo explendæ unionis, & ait, Ecclesiam S. Salvatoris, utpote indecoram, & angustam, atque in parum decenti Oppidi parte collocatam profanandam esse, & animarum Curam ad alteram Ecclesiam S. Mariæ Vallis transferendam; Parocho assignandos esse reditus supprimendæ Ecclesiæ, & omnia emolumenta incerta, quæ ex Sacramentorum administratione obvenirent, insuperque patronatum activum duarum Capellaniarum, quæ in dicta Ecclesia S. Mariæ Vallis sunt erectæ; reditus vero istius Ecclesiæ, unà cum bonis provenientibus ex hæreditate Francisci Savini, erogandos pro institutione Præbendæ Theologalis cum onere persolvendi dicto Parocho annua scuta decem, vel quindecim.

Agitur in præsenti casu de unione Ecclesiarum Parochialium, ac de institutione Præbendæ Theologalis; Ad primam petitionis partem quod attinet, scire præstat, quod alia similis instantia proposita fuit ab Archipresbytero Collegiatæ Oppidi Campanean, & descripta in Folio distributo pro Congregatione diei 15. *Martij* elapsi anni sub titulo *Nepesina Unionis*, & resoluta in Congregatione diei 29. *præteriti Mensis Novembris*; Non graventur Eminentissimi PP. prædicta Folia reassumere, in quibus nonnulla habentur, quæ ad quæstionis decisionem conferre possunt. De institutione Præbendæ Theologalis plura deducta sunt in Causa *Fulginaten.* in præsenti Folio adnotata: solum hic addendum videtur, quod Concilium Tridentinum *sess.* 5. *cap.* 1. *de Reform.* certam

præscribit regulam, ut congrua dos Canonico Theologo constituatur; vult enim quod ex Præbenda primo vacatura Theologalis erigatur, prosequitur inde = *& quatenus in ipsis Ecclesiis nulla, vel non sufficiens Præbenda foret, Metropolitanus, vel Episcopus ipse per assignationem fructuum alicujus simplicis Beneficij, ejusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem Beneficiatorum suæ Civitatis, & Diœcesis, & alias prout commodius fieri poterit, de Capituli consilio ita provideat, ut ipsa Sacræ Scripturæ lectio habeatur*,

Ponderandum ideo est, an institutio Præbendæ Theologalis in Collegiata Ecclesia Oppidi S. Victoriæ exequi possit mediis a Concilio præscriptis; Quatenus verò nulla sufficiens adsit Præbenda pro hujusmodi Canonicatu assignanda, nullaque uniri possint Beneficia simplicia, videndum an expediens sit taxam imponere super Oppidi Beneficia. Ponderandum an adsint alia media, & num erectio Præbendæ Theologalis perfici possit per unionem duarum Parochialium; Hoc ab Emis PP. definiendum erit; quæritur.

I. *An, & quomodo sit locus unioni Paræciarum in casu &c.*
Et quatenus Affirmativè.

II. *An ex reditibus S. Mariæ Vallis sit erigenda Præbenda Theologalis in Collegiata S. Victoriæ in casu &c.*

Ad I. Negativè,
Ad II. Negativè.

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

PERUSINA REDUCTIONIS. Pantasilea Pellini in Testamento exarato 1653. Missarum Legatum præscripsit his verbis = *Per ragion di Legato lascio, che detta sua Erede faccia celebrare due Messe la Settimana, in perpetuum per l'Anima di detta Testatrice e suoi defonti: una nell'Altare dell'Angelo Custode posto nella Chiesa di S. Fortunato: e l'altra nella Chiesa delle Madri Capuccine della Città di Perugia*. Testatricis hæreditas devenit ad Familiam Anzidei, quæ per plures annos onus adimplevit. Verum cum postea Reginaldus Anzidei illud exequi neglexerit, coactus idcirco fuit Decreto Episcopi in actu visitationis ad illud adimplendum.

Episcopi diligentia excitatus Comes Reginaldus supplex adiit Sac. Congregationem, & exposuit Comitem Vincen-

centium Anzidei ejus Patrem jàm defunctum ab anno usque 1747. nonnulla Bona hæreditaria dictæ Pantasileæ distraxisse ad summam usque sc. 5000. : solumque post Patris obitum vindicare potuisse Bona valoris scut. 1000., quæ omnia erogata fuerunt in dimissionem æris alieni ab eodem Patre contracti ; Addidit se paternam hæreditatem adivisse cum beneficio Legis , & Inventarii : & gestæ administrationis rationem reddidisse anno 1780.cor. A. C. Cioja , cujus sententia declaratus fuit creditor in conspicua summa ; Advertit insuper post visitationem Episcopi deprehendisse ipsum ex hæreditate Pantasileæ Pellini possidere tot Bona , quæ ejusdem hæreditatis quartam partem vix attingunt , & propterea supplicavit pro reductione Missarum ad numerum vigintiquinque in unoquoque anno , nec non pro absolutione quoad præteritum ; cum omissio secuta fuerit bona fide , quia nempe putavit nihil possidere de Testatricis hæreditate ; Super hujusmodi petitione judicium Emorum PP. exquiritur .

Episcopus refert quod auditis Monialibus Capuccinis , & Abbate S. Fortunati,in quorum Ecclesiis Missæ sunt celebrandæ,libenter ii sententiæ Sac.Congregationis acquiescent ; a Voto tamen se abstinet .

Notissima est regula,quod in reducendis Missarum oneribus inquirendum est , an Legatum fuerit taxative , vel demonstrative conceptum ; Primo enim casu si Bona assignata deficiant , onera sunt reducenda ; Altero verò casu reductio denegatur;præsertim si constiterit aliquid supereresse ex Bonis Testatricis , quod ad Legati adimplementum sufficiat ; Ponderandum modo est an Legatum Pantasileæ Pellini sit taxativum , vel demonstrativum : quatenus vero demonstrativum , videndum num Orator reductionem mereatur , quoties ex ipsius confessione constat ipsum quartam partem Bonorum hæreditariorum Testatricis possidere ; Observandum quoque est an solutio æris alieni a Patre contracti justam petendæ reductionis causam præbeat . Dubia proponuntur .

I. *An , & quomodo quoad præteritum sit locus condonationi Missarum in casu &c.*

II. *An , & quomodo quoad futurum sit locus reductioni in casu &c.*

Negativè ad utrumque .
Reliquæ non propositæ .

Sess 24 cap. 12. de Reform.

ARIMINEN. SERVITIJ CHORI. Capitulum Cathedralis Arimini constat ex duabus Dignitatibus, duodecim Canonicis, sexdecim Mansionariis, ac duobus Capellanis, qui Capellani ad nutum ejusdem Capituli sunt amovibiles. Capellani Choro interesse debent Festis duntaxat diebus: reliqui vero Capitulares juxta Constitutiones exaratas anno 1514., & ab Episcopo approbatas tenebantur olim quotidie inservire, solumque mensibus Junii, Julii, Augusti, & Septembris frui poterant vacatione sexaginta dierum. Anno 1618. ex Rescripto Sacræ Congregationis, vacationis tempus coercitum est ad dies tantum quadraginta cum facultate tamen iis fruendi quovis anni tempore, sive diebus continuis, sive interpolatis, diebus festis tamen, & Quadragesimæ exceptis. Hanc inserviendi methodum servavit Capitulum ad annum usque 1731., quo tempore aliud prodiit Sac. Congregationis Rescriptum, quo Canonicis prorogatum est vacationis tempus ad dies sexaginta, ea tamen lege, ut non omnes simul vacatione uterentur, sed saltem sex Canonici semper Ecclesiæ servitio essent addicti, & totum Capitulum in Adventu, Quadragesima, aliisque diebus Festis Choro interesse teneretur. Cum autem Canonici parum levaminis sentiant ex vacationibus, supplicant idcirco, ut trium mensium vacatio ipsis impertiatur, & duorum mensium Mansionariis concedatur.

Inquiunt enim, devium ab æquitate esse, quod Capitulum Ariminense trium mensium vacatione non fruatur, cum hujusmodi Indulto ex benignitate Sac. Congregationis gaudeant fere omnes Cathedrales, & Collegiatæ Ecclesiæ. Addunt plura concurrere ad gratiam, & primo quidem gravitatem servitii; cum ter in quolibet die Choro interesse debeant, nempe ad Horas Matutinas, Antemeridianas, & Vespertinas; Præbendarum insuper tenuitatem; nam Canonici vix lucrantur annua scuta octuaginta: Mansionarii scuta tantum quadraginta. Præterea defectum ædium Capitularium, ac demum distantiam Ecclesiæ Cathedralis, quæ in remota Civitatis parte sita est, & ad eam difficilis patet, accessus hyemali tempore ob nivium copiam; æstivo vero tempore ob australium ventorum impetum; Quatenus verò gratia impertiatur, ut rogant, supplicant ulterius, ut præfiniatur Inservientium numerus, quem sane numerum præfiniri posse existimant eodem modo, quo in Rescripto anni 1731. fuit præscriptus.

Epi-

Epiſcopus de veritate expoſitorum teſtatur ; De Præbendarum fundationibus refert, quod licet = *in Capituli Archivio deſiderentur, certè tamen aliunde conſtat pervetuſtæ originis eſſe, & ex primis vacationum conceſſionibus erui facile poteſt, nihil in ipſis inveniri, quod recentiori Capituli petitioni obſtet.* De earumdem Præbendarum reditu ait = *Reditus annui Canonicales, computatis Præbendis, & diſtributionibus quotidianis, ſcuta centum non attingunt ; Manſionariorum infra ſcuta quadraginta numerantur. Alia favore Canonicorum extat Maſſa, vulgo dicta Diviſibile, ex eo quod dividi inter eos ſolet. Hæc ex quibuſdam Eccleſiis, & Beneficiis auctoritate Apoſtolica Capitulo antiquitus unitis coaleſcit : In vim unionis tota in manutentionem Fabricæ, ac ſuppellectilis tum Cathedralis Eccleſiæ, tum Eccleſiarum illi adnexarum impendi deberet ; Verum inolevit jamdiu abuſus, ut quidquid ex annuis ſumptibus ſupereſt Canonici inter ſe partiantur, parum tamen ſubſidij inde accipientes ;*

Teſtatur Eccleſiam Cathedralem ſitam eſſe ad pomerium Civitatis, & a domibus majoris partis Capitularium eſſe diſſitam. Addit, quod difficilis eſt iteratus quotidie *ad illam acceſſus, non minus hyeme, quam æſtivo tempore ; hyeme quidem ob magnam frigoris vim, frequenteſque nives, & glaciem, quibus viæ præpediuntur : æſtate verò propter maritimos ventos, qui quotidie in Civitatem oræ Maris proximam ſpirantes, magnum ſaluti afferunt incommodum,*

Suam verò ſententiam his verbis pandit = *Sive Cathedralis Eccleſiæ ſitus, ſive Chori ſervitium, ſive Præbendarum reditus tanto oneri comportando impares, ſive frigoris, caloriſque, ac cætera incommoda reſpiciantur, omnia arridet Oratorum inſtantiæ, quam nunquam dixerim rejiciendam ; Imo ut ſententiam meam juſſus proferam, nedum Canonicis arbitror ad tres menſes extendendas vacationes, ſed etiam quoad Manſionarios, qui tenuibus proviſi reditibus, & præcæteris ſervitio Chori, & Eccleſiæ gravati, utpote quia Canonicorum vices, aliaque innumera Canonicis non communia ſubire coguntur, æquum eſt, ut ſaltem vacationum commodo ſint cæteris pares.* Poſt hæc notat, quod ſi petita gratia indulgenda ſit, caveatur, ne Canonici, & Manſionarii Eccleſiæ ſervitium deſerant tempore Adventus, Quadrageſimæ, Rogationum, & diebus Feſtis de præcepto, atque ut Capitularium pars, quæ vacare ſimul valeat, judicio Ordinarii præfiniatur.

In jure ſtatutum eſt ut Canonici Eccleſiarum Cathedralium, & Col-

& Collegiatarum quotidie Choro interfint. *In Cap. Præsbyter de celeb. Miss.* hæc habentur = *Septies in die laudem dixi tibi, qui septenarius numerus a Nobis impletur, si Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, & Completorii tempore nostræ servitutis Officia persolvamus.* Confirmatur etiam ex *Clementina 1. eod. tit.* in qua sic legitur = *In Cathedralibus Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis horis debitis devotè psallatur: in aliis vero convenienter, & debitè celebretur divinum diurnum, & nocturnum Officium.* Concilium Tridentinum *Sess. 24. cap. 12. de Reform.* mandavit quod = *obtinentibus in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones non liceat vigore cujuslibet Statuti, aut consuetudinis ultra tres Menses ab iisdem Ecclesiis abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.*

Advertit tamen *Fagnan. in Cap. Licet de Præbendis*, quod in relato Concilii Decreto provisum fuit ad illarum Ecclesiarum Statuta, & consuetudines, quæ Canonicis vacationes ultra tres Menses indulgebant, illasque ad tres tantum menses coercitas: nequaquam vero omnibus Ecclesiarum servitio addictis permissum fuit, ut trium mensium spatio, vacatione a Choro fruerentur; quia Tridentini Patres non concedendo, sed prohibendo Decretum ediderunt, & expresse mandarunt, ut servarentur Constitutiones, & Statuta, quæ longius servitii tempus requirerent; quare *loco cit. num. 50., & 51.* concludit, quod Capitula Cathedralium, & Collegiatarum, quæ ex consuetudine nullo, vel minori vacationis tempore gaudent, debent ad Sac. Congregationem recurrere, quæ ex gratia trium mensium vacationes quandoque indulgere solet. *Garzias de Benefic. part. 3. cap. 2. num 311., & sequen.* ait diversam à Sac. Congregatione in concedendo vacationis Indulto servatam fuisse regulam; si enim ex Statuto, vel Consuetudine assiduum servitium requiritur absque ulla intermissione, & tunc trium mensium vacatio conceditur; denegatur tamen, si ex Statuto, vel consuetudine aliquæ indulgeantur licet breviores vacationes.

In Ilerden. Servitii Chori Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi de Tamarite supplicavit pro Indulto abessendi per tres menses, & bis proposita instantia, bis etiam rejecta fuit, nempe diebus 15. *Novembris* 1698., & 28. *Novembris* 1699.

Ve-

Verum in *Nullius Farfen.* die 18. *Septembris* 1655. indultum fuit Canonicis Collegiatæ Eccleſiæ S. Victoriæ = *Ut per duos menſes a ſervitio Eccleſiæ quotannis abeſſe poſſint, ita tamen ut omnes interſint in diebus Dominicis, & Feſtis totius anni, & in diebus omnibus Adventus, Quadrageſimæ, Octavæ, Nativitatis, Reſurrectionis Domini, Penteceſtes, & Corporis Chriſti, & nunquam a ſervitio ultra tertiam partem eodem tempore abſint. lib.* 19. *decret. pag.* 532. Rurſus in *Atrien.* Cum Canonici Eccleſiæ Cathedralis aſſiduum ſingulis diebus ſervitium præſtare ſolerent, & Indultum vacationis per tres menſes poſtulaſſent, ad duos tantum menſes fuit conceſſum die 19. *Septembris* 1722.

Majori tamen indulgentia uſa eſt aliquando Sac. Congregatio, præſertim juſta aliqua, & rationabili concurrente cauſa. In *Aſculana* Canonici Eccleſiæ Cathedralis duorum menſium vacatione fruebantur: & attenta Præbendarum tenuitate, & laborioſo ſervitio inſteterunt, ut alius vacationis menſis indulgeretur: & die 28. *Januarij* 1696. impertitum fuit, *ut pro arbitrio Ordinarij per tres menſes cujuslibet anni juxta modum a Sac. Concilio Tridentino præſcriptum, & per tempus etiam veræ infirmitatis, jurata Phyſicorum atteſtatione comprobante, dummodo in erectione contraria non adſit diſpoſitio, vacare, & interim omnes fructus, & diſtributiones quotidianas percipere poſſint, non ſecus ac ſi Choro, & Officiis Divinis perſonaliter intereſſent; Ita tamen ut eodem tempore duæ partes ipſorum ſemper inſerviant Eccleſiæ, diebus exceptis ſolemnioribus, in quibus omnes inſervire teneantur. lib.* 46. *decret. pag.* 39., quod quidem Reſcriptum fuit etiam deinceps confirmatum die 5. *Junij* 1706., & 15. *Januarij* 1707. excepto tamen tempore Adventus, Quadrageſimæ, & Octavis ſolemniorbus. *lib.* 56. *pag.* 170., *& lib.* 57. *decret pag.* 1.

Rurſus in *Leyrien.* Capitulum Eccleſiæ Cathedralis petiit, ut vacationes, quæ trimeſtris tempus non excedebant, ad centum in quolibet anno dies extenderentur; cumque hujuſmodi Indultum denegatum fuerit in Congregatione diei 20. *Septembris* 1704., Canonici petitionis examen reſtaurare curarunt ſub Dubio = *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.* = die 24. *Januarij* 1705. eadem Sac. Congregatio reſcripſit, quod *Epiſcopus ſublatis quibuſcumque aliis vacationibus Capitulo indulgeat, ut ex gratia vacatione trium duntaxat menſium quolibet anno frui, & gaudere poſſit, & valeat. lib.* 15. *decret. pag.* 25.

In-

Inſpectio præſentis Cauſæ pendet a qualitate ſervitij, quod ſubire tenentur Canonici, & Manſionarij Cathedralis Arimini; Præ oculis quoque habendi ſunt Præbendarum reditus, & Eccleſiæ ſitus, ut inde definiri poſſit num petitum Indultum ſit concedendum; Hoc videbunt Eminentiſſimi PP., qui rogantur reſpondere Dubio

An, & quomodo Oratorum precibus ſit annuendum, in caſu &c.

Seſſ. 14. cap. 7. de Reform.

NEPESINA DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Subortis diſſidiis inter Sacerdotem Alexandrum de Angelis Oppidi Mazzani, & illius Conſanguineos, accurrit ad illa componenda Antonius Diotallevi; Verum Sacerdos de Angelis erumpens è cubiculo ubi clauſus detinebatur, arrepto gladio dictum Antonium Diotallevi læthaliter vulneravit, & hic ex vulnere poſt duas horas occubuit. Accidit id in menſe *Martij* anni 1780. Curia Epiſcopalis Sacerdotem homicidam ad Triremes damnavit, & illius bona pro medietate Fiſco addixit; ſed pœnam poſtea commutavit cum multa ſcut. 80., cum Exercitiis Spiritualibus per annum explendis in Cœnobio Patrum Carmelitarum Viterbii: deinde tempus Exercitiorum ad novem menſes contractus fuit, attenta Sacerdotis paupertate.

Expleto Exercitij tempore, & ſatisfacta Parte, & Fiſco, petiit dictus Sacerdos diſpenſationem ab irregularitate; ſed inſtantia fuit rejecta in Congregatione diei 3. *Auguſti* 1782. In alia verò Congregatione diei 29. *Novembris* anni elapſi renovata inſtantia, reſcriptum fuit *Expectet*. Nunc autem denuò ſupplicat, ut ad Altaris miniſterium reſtituatur.

Epiſcopus Civitatis Caſtellanæ refert, quod Orator duobus ab hinc annis munus Ludi Magiſtri in Oppido Ariani exercet, & toto tempore, quo illuc permanſit *bonum ſibi de ſe comparaverit teſtimonium, nedum ob laudabile ſervitium continuo præſtitum, verum etiam ob ejus vitæ, ac morum honeſtatem, ſpectabilem exemplaritatem, nam in Eccleſiaſticis functionibus ſingulis feſtivis diebus præſto eſt, frequenter ad Sacram Synaxim pro ſui commiſſi erroris reſipiſcentia devoto animo ſuſcipiendam accedit, ac aliis Chriſtianæ pietatis Operibus in ſignum ſuæ conſtantis pœnitentiæ, magna illius Cleri, Populique ædificatione dat operam: modo ipſemet Orator pro opportuna obtinenda diſpenſatione ſuper eadem Irregularitate contracta, ſupplex*

plex agit apud EE. VV. ut tandem poſt quadriennalem privationem, ad Altaris Sacroſancta Miniſteria peragenda poſſit admitti; quocirca juſſus ego ab EE. VV. ſuper hac re meam aperire ſententiam, in ſenſu eſſem ſibi indulgeri poſſe.

Epiſcopus Nepeſinus ait = *De ſignis autem conſtantis pœnitentiæ, de quibus me nunc referre jubent EE. VV., nihil profecto occurrit, quod de illo conquerar, imò ex authenticis documentis deprehendi ipſum pietatis operibus, & vitæ ſpectata probitate continenter adniti, quo contractam nomini maculam abſtergat; Cum ita res ſe habeat in eam propenderem Sententiam, ut diu efflagitatam Sacris operandi facultatem tandem EE. VV. Oratori miſero impertiant* =.

Hujuſmodi Cauſa deſcripta primum fuit in Folio Congregationis diei 13. *Julij* anni 1782., & deinde repetita in alio Folio diſtributo pro Congregatione diei 16. *Auguſti* anni elapſi, quæ Emi PP. reaſſumere non graventur, ut decernant.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

REGIEN. PERMUTATIONIS. Carolus, Laura, & Eleonora de Folianis anno 1673. Capellaniam ad nutum amovibilem inſtituerunt ad Altare S. Mariæ Magdalenæ in Parochiali Eccleſia Villæ de Regnano erectum; Capellano onus injunxerunt celebrandi Sacrum in dicto Altari quolibet die feſto, necnon celebrare faciendi ſex Miſſas in Feſto S. Titularis; Patronatum activum Fundatores, quoad vixerint ſibi reſervarunt, & poſt eorum obitum illum transferri voluerunt ad Archipresbyterum Eccleſiæ Cathedralis Regienſis; Pro Dote hujus Capellaniæ aſſignarunt quamdam Domum, & nonnulla alia Prædia ruralia ſita in Territorio dictæ Villæ Regnano; Hanc aſſignationem expleverunt ſub conditione, quod dicta bona = *mai poſſino eſſere permutati, alienati, ne contrattati in qualſivoglia modo, ne ſotto qualſivoglia preteſto, e che il Capellano ſia amminiſtratore dell' entrata de beni, e con l'obligo a detto Capellano d'abitare la maggior parte dell'anno la Caſa come ſopra donata, e ciò per maggior ſicurezza della celebrazione delle Meſſe* =. *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.*

Anno 1779. hodiernus Epiſcopus Mutinenſis ultimus ex præclara Familia Foliani donationis titulo ceſſit Comiti Franciſco Piazzi omnia bona ejuſdem Familiæ, quæ extant in Territorio præfatæ Villæ Regnano, comprehenſis etiam Prædiis, quæ ad Capellaniam perti-

nent. Cum autem bona in Dotem Capellaniæ assignata ita sint commixta cum aliis bonis ad Familiam Folianì spectantibus, ut dividi, & separari non possint absque gravi damno dicti Comitis Piazzi, hinc ipse duo postulat, nempe approbationem donationis quoad bona Capellaniæ, necnon facultatem subrogandi alia Prædia sita in dicta Villa, quæ sint ejusdem capitalis, & reditus.

Episcopus exposita in precibus confirmat, insuperque addit tam Episcopum Mutinensem, quam Archipresbyterum Cathedralis Regij permutationi bonorum assensum præbere, & se quoque permutationem probare.

Permittitur permutatio, prout etiam alienatio, ù aliqua concurrat justa, & rationabilis causa *Cap.* 1. *de reb. Eccles. non alienan. Clement. unica eod. tit.* sustinent *Amostaz. de Cauf. piis lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 12., *&* 18., *Piton de controver. Patron. allegat.* 30. *num.* 5., quod si hominis prohibitio superaccesserit, tunc difficilius alienandi facultas conceditur, quia juxta sententiam *Fagnan, in Cap. Dudum de electione num.* 28. decedentium voluntates, nonnisi raro, & quando magna Ecclesiæ utilitas, vel necessitas concurrat, sunt immutandæ; Verum quamcumque hominis prohibitionem spernendam esse existimat *Passarin de stat. homin. tom.* 1. *quæst.* 181. *num.* 509., si nulli honestæ, & laudabili causæ nitatur, cum Ecclesia non debeat esse deterioris conditionis, quam hæredes extranei, quibus permissum est prohibitionem despicere, quatenus tamen honestæ, & laudabili causæ non sit innixa. *Leg. Pater* 36. *§. Julius Agrippa ff. de Legat.*

Ponderandum, an difficultas separandi bona Patrimonialia Familiæ de Folianis a bonis dotalibus Capellaniæ tanti sit, ut justam præbeat causam indulgendæ permutationis contra expressam Fundatoris voluntatem; Videndum etiam est, quid utilitatis ex hac permutatione Capellaniæ obveniet.

Sac. Congregatio juxta varias rerum circumstantias, alienationes quandoque denegavit, ut in *Firmana venditionis horti* 2. *Augusti* 1749.; Aliquando fieri permisit, ut in *Theatina alienationis* 5. *Martij* 1735. *ad II. Dubium, &* in duriori casu *in Bononien. Beneplaciti* 28. *Martij* 1744., ubi prohibitioni Testatoris dissensus etiam accedebat hæredis substituti. Emi PP. assueta maturitate, & justitia dijudicent Dubium.

An sit locus incorporationi, & respective assignationi aliorum bonorum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 24. Julij 1784. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

HAbent Emi PP. in præſenti Folio tum Cauſas, quæ ex poſtrema Congregatione indeciſæ remanſerunt, tum alias de novo additas; Dignabuntur itaque Dubiis reſpondere.

ARIMINEN. SERVITII CHORI. *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.*

An, & quomodo Oratorum precibus ſit annuendum in caſu &c.

Dilata, & ad mentem: & mens eſt, quod ſcribatur Epiſcopo, qui exquirat votum Capituli legitimè congregati per ſecreta ſuffragia; referat de qualitate Servitii, de reditibus Canonicatuum, & Manſionariarum; ducto calculo per decennium, computatis Præbenda, diſtributionibus quotidianis, aliiſque omnibus obventionibus: & inſuper referat quo titulo, quovè jure fructus aſſignati pro fabrica Eccleſiæ, Sacris utenſilibus ſibi addicent Capitulares.

NEPESINA DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. *Seſſ. 14. cap. 7. de Reform.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis.

REGIEN. PERMUTATIONIS. *Seſs. 24. cap. 12. de Reform.*

An ſit locus incorporationi, & reſpectivè aſſignationi aliorum bonorum in caſu &c.

Negativè.

Sess 23. *cap.* 18. *de Reform.*

ROMANA TAXÆ SEMINARII. Post editum a Concilio Tridentino decretum de institutione Seminariorum pro institutione Clericorum, san. mem. Pius IV. illud in Urbe erigi curavit, Ut autem Seminarium pro Ministrorum manutentione, & Alumnorum alimonia certos haberet reditus, inhærens Concilij dispositioni, taxam imposuit super reditibus Ecclesiarum Patriarchalium, Collegiatarum, aliorumque Beneficiorum; Hanc taxam in meliorem formam redegit san. mem. Urbanus VIII. Motu proprio diei 19. *Augusti* 1636., in quo omnes recensuit, qui ad Taxæ solutionem tenentur, & summam ab unoquoque persolvendam præfinivit. Inter alia Beneficia, quæ taxam Seminario Romano rependere debent, in eodem Motu proprio descripta reperitur Capellania sub invocatione S. Nicolai erecta in Collegiata Ecclesia S. Marci, quæ taxata est pro annuis scutis quatuor. Hanc Capellaniam possidet Aloysius Franchi Clementini, qui contributionem Seminario Romano solvere detrectat, eo quod fuerit Cubicularius intimus sa. mem. Clementis XIV. Res juxta ejus Vota cessit per Sententiam Præfecti Sac. Palatii Apostolici; Verum ex decreto cl. mem. Card. Giraud Pro-Auditoris SSmi, Causæ decisio ad Sacram Congregationem delegata fuit, & ea hodie sub infrascripto dubio definienda proponitur.

Seminarii Œconomus inquit, jam alias a Sacra Congregatione fuisse decisum, neminem esse exemptum a solutione Taxæ Seminarij, etiamsi Familiaris Pontificis fuerit, nisi in privilegio fiat expressa derogatio dispositioni Concilij Tridentini; Idque fortius observari post editam constitutionem san. mem. Benedicti XIII., quæ incipit *Creditæ Nobis*, in qua ad solutionem hujusmodi taxæ adiguntur etiam omnes Familiares Pontificis; quare concludit Aloysium Franchi Clementini eximi a solutione non posse, nisi privilegium exhibeat dispositionis conciliaris derogatorium. Hanc autem derogationem ab ipso Franchi nunquam exhibitam fuisse, neque exhibere posse; Nam alii sunt, & quidem S. R. E. Cardinales, qui licet sint Pontificis Familiares, nihilominus taxam Seminario quotannis persolvunt.

Addit præterea privilegium nunquam prodesse, etiamsi contineret exemptionem a contributione taxæ Seminarij, quoties non contineat expressam derogationem dispositioni Concilij Tridentini, quæ omnino requiritur, ut Familiares Pontificis a solutione Taxæ Seminarij immunes eva-

evadant ; Nec sufficere clausulas præseferentes generales derogationes , cum specialis derogatio dispositioni Concilij omnino requisita , per æquipollens suppleri non possit , fortius in præsenti casu , quia Taxa pro Seminario Urbis præfinita , auctoritate Urbani VIII. fuit confirmata .

Ex alia vero parte Aloysius Franchi Clementini contendit nunc a Seminario excitari eamdem quæstionem , quæ anno 1724. mota fuit contra Alexandrum Bonaventura pariter San. Mem. Clementis XI. familiarem ; & sicuti nondum executioni demandatum est quid eo in casu Sac. Congregatio decrevit , hinc infert in præsenti Causa nihil decernendum quousque mens Sac. Congregationis executa non fuerit ; mentem Sac. Congregationis eam fuisse , ut consuleretur SSmo pro declaratione , ut ad solutionem taxæ tenerentur etiam Pontificis Familiares ; Hanc autem declarationem nunquam fuisse panditam , & propterea putat adhuc a solutione taxæ immunes esse Familiares Pontificis . Perperam vero objici dictam declarationem edidisse San. Mem. Benedictum XIII. per Constitutionem, cujus initij est = *Creditæ nobis* =,in qua Pontificis Familiares adegit ad solutionem Taxæ favore Seminarij; nam advertit dictam Constitutionem editam non fuisse per organum Sac. Congregationis , illamque postmodum derogasse San. Mem. Clementem XIV. , quando suis Familiaribus privilegia concessit , cum in Litteris Apostolicis ea de causa publicatis expresse exemptionem a solutione Taxæ indulserit ,

Emus Urbis Vicarius inquit = *Res jamdiu judicata videtur, & quidem ab hoc summo amplissimo Ordine , pro hujusmodi Urbis Seminario deposcente solutionem Taxæ ex Beneficiis etiam Papæ Familiarium ; Cui quidem optimo juri , tametsi posterioribus gestis non nihil infirmato , sed tamen providentia San. Mem. Benedicti XIII. restituto , additur , & vetus, & hodierna quoque consuetudo , qua Palatini omnes, qui Beneficiis utuntur eidem Taxæ subjectis , uno , ut ajunt,excepto D. Aloysio Franchi , suas quisque portiones ratas fideliter exsolvit .*

Demandata a Concilio Tridentino Seminarij erectione , in quo Clerici Ecclesiasticis disciplinis instruerentur, modus etiam præfinitus fuit, quo tam necessaria , & profi ua Institutio suam haberet firmitatem ; quare *Sess* 23. *cap.* 18. *de Reform.* ad instituendam Collegij Fabricam , ad mercedem Præceptorum , & Ministrorum , atque ad alendam

dam Juventutem, alioſque ſumptus perficiendos ſtatuit, ut ex reditibus Menſæ Epiſcopalis, Capitul: Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum, omniumque Beneficiorum, Locorumque piorum certa portio detraheretur, Seminario applicanda. Ad formam Concilij Seminarium in Urbe erexit San. Mem. Pius IV., & taxam quoque præfinivit, quæ a Clero foret ſolvenda pro illius manutentione; Eamque poſtea confirmavit San. Mem. Urbanus VIII.

Dubitatum olim fuit an ad taxam tenerentur, qui Familiares eſſent Romani Pontificis: res ad Sac. Congregationem delata eſt, quæ die 3. *Februarij* 1646., ſequens dedit reſponſum = *Sacra &c. citatis, & auditis intereſſe habentibus, cenſuit nullum eſſe exemptum a contributione Seminarij, niſi qui nominatim a Sac. Concilio Tridentino in cap.* 18. *Seſs.* 23. *de Reform. excipiuntur, etiamſi ſint Prælati Familiares Papæ, & S. R. E. Cardinales quamvis Camerales, nec eis ſuffragari privilegia exemptionis, niſi in dictis privilegiis fuerit facta ſpecialis, & individua derogatio Concilij Lateranenſis, nec non expreſſa mentio quaſi poſſeſſionis exigendi ante hujuſmodi privilegia contributionem pro Seminario ex Beneficiis, & penſionibus poſſeſſis. lib.*18. *decret. pag.*20. *tergo*.

Inſtaurata fuit hujuſmodi quæſtio a Præſule Alexandro Bonaventura, qui cum eſſet San. mem. Clementis XI. Familiaris, quoad vixit renuit Seminario perſolvere taxam pro Beneficio S. Cæciliæ erecto in Eccleſia S. Mariæ de Planctu, eoque defuncto, & appoſito ſequeſtro ſuper nonnullis pecuniis beneficij exiſtentibus penes Depoſitarium Spoliorum, ad examen revocatum fuit dubium: *An Familiares Papæ habentes indultum teneantur ſolvere taxam Seminario pro tempore, quo inſerviunt Summo Pontifici viventi*. Die 12. *Februarij* 1724. prodiit reſponſum. *Dilata, & ad mentem*, & mens fuit = *Ut ſupplicetur Sanctiſſimo pro declaratione, quod impoſterum Familiares Pontificum ſolvant taxam Seminarij Romani, & aliorum Seminariorum*.

Ignoratur, an in ſequelam hujus reſolutionis aliqua Summi Pontificis declaratio prodierit. Nullum enim de hoc reperitur monumentum, aut adnotatio; Verum San. me. Benedictus XIII. in Conſtitutione edita *Septimo Idus Maij anni* 1726., cujus initium eſt = *Creditæ nobis* = plura diſpoſuit de recta Seminariorum diſciplina, eorumque bonorum adminiſtratione, & præ cæteris hæc declaravit =

vit = *Taxæ* (ſcilicet Seminarij) *omnia , & ſingula Beneficia Sæcularia , & Regularia per quoſcumque etiam Venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales , necnon noſtros , & pro tempore exiſtentes Romani Pontificis Familiares , & Cameræ Apoſtolicæ Clericos , Miniſtros , ac Officiales quoſcumque præſentes , & futuros , obtenta , & impoſterum obtinenda , ac omnia inſuper Beneficia Sæcularia , Prioratibus , Commendis , vel Bajulivatibus Ordinis Fratrum S. Joannis Hieroſolymitani quomodocumque unita , aut de cætero unienda , nec non fructus , ac reditus Confraternitatum Laicorum ex certis fundis , & Capitalibus provenientibus , non autem summas pecuniarias, quæ a Confratribus quolibet Menſe , vel anno , vel per modum eleemosynæ . vel in vim Statutorum contribuuntur , ſubjici , & ad illius ſolutionem perpetuo teneri decernimus , ſtatuimus , & mandamus .*

Poſt editam Benedicti XIII. Conſtitutionem, a Sac. Congregatione, juſſu ejuſdem Pontificis, die 30. *Martii* 1726. datæ fuerunt litteræ Epiſcopis aliisque Locorum Ordinariis pro omnimoda illius obſervantia; Addita etiam inſtructione , quæ normam præberet conficiendi taxam . Particula inſtructionis , quæ ad rem pertinet , ita ſe habet §. 3. *num.* 12. = *Finalmente tutti, e ſingoli Benefizj , ò Secolari , ò Regolari , generalmente parlando ſono tenuti al pagamento della Taſſa , ancorchè ſiano poſſeduti dagli Eminentiſſimi Signori Cardinali , o dai famigliari dello ſteſſo Romano Pontefice , ò dai Chierici della Rev. Camera Apoſtolica , ò da qualſivoglia altro Miniſtro , ò Offiziale , e cio parlando dè Benefizj , che anno avuto fin ad ora , e che poſſono avere in avvenire , ò eſſi , ò gl'altri , che ne tempi futuri ſaranno promoſſi alle ſopradette dignità, uffizj ,ed impieghi , come chiaramente ſi ſtabiliſce nella Coſtituzione di Noſtro Signore §. cum itaque Seminarij = Lib.* 27. *Litt. Sac. Congregationis pag.* 33.

Ponderandum an per Conſtitutionem San. mem. Benedicti XIII. ſuppletum fuerit declarationi ,quam requiſivit Sac. Congregatio. Præ oculis habenda eſt ſeries privilegiorum , quæ ſuis familiaribus indulſit S. M. Clemens XIV. qui eorumdem Familiarium Beneficia a variis oneribus exempta eſſe voluit , & præſertim = *Ab omnibus quibuſcumque decimis . . . . . Inſtitutionis Seminarii Eccleſiaſtici , quamdiù ſervitiis noſtris inſtiterint dumtaxat* . Hinc videndum an per hujuſmodi privilegia derogatum ſit Conſtitutioni Benedictinæ ; Habenda quoque ratio eſt , de obſervantia , qua Seminarium aſſerit ſe exegiſſe taxam ab

aliis

aliis Papæ Familiaribus, & num illa revera probetur. Hæc omnibus perpensis definient EE. VV.

An sit locus solutioni taxæ Seminarij in casu &c.

Affirmativè, & amplius; [Et facta relatione SSmo Domino Nostro, Sanctitas Sua resolutionem Sacræ Congregationis approbavit, & inposterum observari mandavit.

Sess. 25. cap. 4. de R. form.

REGIEN. REDUCTIONIS. In Testamento quod anno 1688. condidit Hyppolitus Vicedomini binas edidit dispositiones; Primum quidem perpetuo Fideicommissi vinculo subjecit Palatium existens in Civitate Regii, Prædium situm in Territorio Montecchii, & quoddam Molendinum, quorum bonorum possessoribus injunxit onus assumendi nomen, & stemma Familiæ Vicedomini; De aliis vero bonis instituit Secundogenituram favore descendentium a secundogenito Comitis de Vissa, deinde favore Primogeniti Familiæ Valisnieri; Plurima tamen pia legata adimplenda perpetuo reliquit. Si quidem in Ecclesia PP. Servorum Beatæ Mariæ Virginis, præter celebrationem trium Missarum in qualibet hebdomada, jussit, ut in die obitus sui anniversaria quolibet anno celebrarentur quinquaginta Missæ lectæ, & una cum cantu musicali, nec non subministraretur cera pro omnibus Altaribus necessaria, & quatuor intorticia; insuperque alia duo intorticia librarum trium in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum accendi mandavit supra sepulchrum suæ Familiæ gentilitium.

Præterea in Ecclesia PP. Ordinis S. Augustini tres alias Missas pariter in qualibet hebdomada celebrari voluit, eisdemque PP. tradi mandavit oleum pro lampade ante Altare divi Nicolai, & decem candelas, quarum sex ponderis unciarum sex, quatuor vero pondus reliquit arbitrio hæredis. In alia vero Ecclesia PP. Carmelitarum Excalceatorum duas Missas in singulis hebdomadis celebrari voluit, & Religiosis tradi jussit quatuor sextaria frumenti; Plaustrum uvis, alterum lignis, alterum fasclbus sarmentariis onustum. Hisce omnibus oneribus adjecit etiam onus manutentionis Oratorij siti prope Tenimentum sui Feudi, & celebrationem in eodem Oratorio

torio sex Missarum, necnon distributionem panis qualibet hebdomada in certa quantitate, prout vivens consueverat, ac demum Executoribus Testamentariis, Vicario nempe Generali Episcopi, & Canonico Theologo Cathedralis præstationem non nullorum regalium tribui mandavit.

Ex bonis Testatoris Familia Valisnieri modo possidet Prædium in Territorio Regii, & in contrada Montecchii, ac domum in eadem Civitate sitam; Ex his bonis deductis oneribus, ac persolutis Legatis, vix supersunt annua sc. 38.; Advertens hinc Comes Hippolytus Valisnieri tam exiguo reditu suæ prænobilis Familiæ sustentationi prospicere minime posse, supplex adiit Sacram Congregationem, petiitque Legatorum reductionem, ita quidem ut per celebrationem unius Anniversarii, aut alicujus numeri Missarum ab adimplemento aliorum legatorum solvatur. Quid super hujusmodi instantia sentiendum sit, dijudicabunt hodie EE. PP.

Inquit enim plura in præsenti casu concurrere, quæ reductionem suadent, & onerum gravitatem, & tacitam Testatoris voluntatem; De onerum gravitate, & redituum insufficientia dubium nullum esse; nam ea satis resultant ex allatis documentis, & Episcopi relatione. Ad præsumptam Testatoris voluntatem quod attinet, notat ipsum de bonis suis Fideicommissum, & Primogenituram instituisse, ac hæredibus demandasse onus assumendi stemma, & cognomen suæ Familiæ, ex quibus patere ait præcipue voluisse conservationem Familiæ Vicedomini; cum autem Testatoris bona modo ita sint imminuta, ut ex illorum reditu supersint tantum annua sc. 38. impossibile esse, quod tam exiguo reditu Familiæ sustentationi consulere possit; Hinc idem Testator si prævidisset hæc omnia, ne descendentes ad mendicitatem videret redactos, onera imminueret. Hanc autem reductionem eo vel magis obtinere confidit, ne propter egestatem exponatur periculo inadimplementi Legatorum, & quia agitur de onere antiquo, quo casu semper præsumitur, quod pinguiores in institutione Legati fuissent reditus, & quod ob temporum vicissitudines postea decreverint.

Regulares, in quorum Ecclesiis Missæ sunt celebrandæ, & quibus intorticiorum oblationes præstari debent, onerum reductioni assensum præbent.

Epiſcopus refert quod = *Viſis attente documentis hæreditatem de qua agitur comprobantibus, examinatis etiam per viros Eccleſiaſticos valde verſatos hujuſce Civitatis computis redituum prædictæ hæreditatis, nec non oneribus, quibus gravata eſt in perpetuum annuatim, ponderataque hæreditate ipſa Vicedomini tranſmiſſa in Familiam Valliſneri, aſſerere poſſum ſincero, quo teneor obſequio, tenues admodum eſſe hæreditatis vires intuitu onerum in precibus deſcriptorum, quorum calculum una cum aliis documentis tranſmitto, ad hoc ut Emi iſti Patres dignoſcant, an alicui gratiæ locus habeatur.*

Præſentis Cauſæ reſolutio tota pendet a præſumpta Teſtatoris voluntate; Dubium non eſt, quod Hyppolitus Vicedomini hæredes ſuos plurium Legatorum præſtatione gravaverit, & æque certum eſt, quod Fideicommiſſum, & Primogenituram inſtituit, illorumque Poſſeſſoribus onus adjecit aſſumendi nomen, & inſignia ſuæ Familiæ; Cum autem ſollicitus fuerit Teſtator de conſervatione Familiæ, videndum an, præſumi poſſit voluiſſe in iſto caſu onerum reductionem, ut illius manutentioni proſpiciatur. Ponderandum etiam eſt, quod agitur de Legatis fere a ſæculo inſtitutis, & quod bona longo temporis decurſu in diverſos poſſeſſores diſtracta imminui, & etiam amitti potuerint; denique ponderandum an ſit locus Implemento omnium Legatorum, quoties totius hæreditatis reditus ſufficiant; Num autem ab hac regula recedendum ſit propter circumſtantias in præſenti caſu concurrentes, viderint Emi PP., a quibus quæritur,

An, & quomodo ſit locus reductioni in caſu &c.

Negativè.

Seſſ. 14. cap. 7. de Reform.

PAPIEN. DISPENSATIONIS. Sacerdos Alexander Pioli juſſit Joſepho Mariæ Peola, quem in famulum retinebat, ut cuſtodiam haberet Areæ, in qua non modicam frumenti quantitatem retinebat; Accidit ut idem Sacerdos circa horam quartam noctis die 30. *Auguſti* 1781.

ae

ad Aream accesserit, & custodem non invenerit; quare graviter commotus, de negligentia redarguit famulum, qui supervenerat; Jurgia, & diffidia hac de causa inter eos suborta sunt; sed Sacerdos Pioli advertens Peolam esse hominem fervidæ indolis, ad iram pronum, sclopo cultroque armatum, veritus ne ab eo occidi posset, sclopum ipse prius, quo ad venationem uti solebat in famulum explosit, eumque in brachio dextero, & in inguine graviter vulneravit, & ex vulnere nocte subsequenti famulus occubuit.

Dum a Curia Episcopali processus conficeretur, Sacerdos homicida sponte comparuit, & in judiciali examine ultro fassus est crimen, insuperque defensionibus renunciavit, & ad subeundam pœnam, & damnorum emendationem paratum se exhibuit; Attenta igitur spontanea Sacerdotis comparitione, & confessione, Vicarius Generalis illum ad peragenda per mensem exercitia spiritualia in aliqua Religiosa domo, & ad reficienda damna Familiæ defuncti damnavit; Mandatis Curiæ paruit Sacerdos Pioli, qui nunc supplex orat pro dispensatione ab irregularitate.

Archiepiscopus Episcopus confirmat facti seriem, & ait = *satisfecit Orator hæredibus defuncti, ut ex legitima eorum confessione mihi producta; Satisfecit Fisco; Commoratus est per mensem integrum in Cœnobio Fratrum Reformatorum S. Francisci oppidi Felizzani Casalensis Diœcesis, in eoque spiritualibus exercitiis operam dedit, se Religiosis ibi degentibus bonis moribus instructum demonstrans, constante attestatione Superioris ipsius Cœnobii. Vehementer dolet de crimine admisso, vitam ducit exemplarem, & probam, atque in iis, quæ ei in infelici ejus statu permissa sunt præsto est Sacramentorum, Sacræque Catechesis frequentiæ, aliisque Ecclesiasticis functionibus. A die commissi delicti usque in præsens se semper abstinuit, & abstinet, scilicet ferme trium annorum spatio, a Sacrosancto Missæ Sacrificio celebrando, cum spirituali ejus detrimento* =. Concludit propterea = *Animi itaque Sententiam aperiens, censerem posse EE. VV. cum eo Sacerdote Pioli benigne dispensare super irregularitate per eum sicut supra incursa.*

Ab Altaris ministerio arceri voluit Ecclesia eos, qui humanum sanguinem fuderint. In veteri Testamento *lib.* 1. *Paralipomenon cap.* 22. *num.* 8. Deus sic Davidi impera-

vit – *Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris ædificare domum nomini meo*; Et rursus ibidem *Cap.* 28. *nu.* 3. ait = *Non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator, & sanguinem fuderis*, & similiter legitur in *libro Exodi cap.* 2. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias ab Altari meo avellas eum*. Confirmatur id *ex cap.* 1. *de homicidio, & cap. De cætero eodem titulo*, in quo Alexander III. Lucensi Episcopo sic respondit = *De cætero noveris, quod Diaconus, qui homicidio causam dedisse videtur, non videtur ad Sacerdotium promovendus*: Hisce dispositionibus inhærens Concilium Tridentinum *Sess.* 14. *Cap.* 7. *de Reformatione* ita sancivit = *Cum etiam, qui per industriam occidit proximum suum, & per insidias ab Altari avelli debet*; *Qui sua voluntate homicidium perpetravit etiamsi crimen id nec ordine judiciario probato, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Beneficia Ecclesiastica, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni Ordine, ac Beneficio, & Officio Ecclesiastico perpetuo careat*.

Incurritur irregularitas quamvis homicidium in calore iracundiæ, & in rixa fuerit secutum, & homicida animum occidendi non habuerit: *In Cap. Quia te* 38. *dist.* 50. statutum est = *Si vero ira Presbyter commotus aliquem interfecerit, etsi animum occidendi non habuerit, perpetuo tamen depositus erit*, & ratio affertur *in cap. Studeat* 39. *d. dist.* 50. ibi = *Quoniam, etsi voluntatem occidendi non habuerit, furor tamen, & indignatio, ex quibus motio illa mortifera prodiit, in omnibus, & præcipue in Dei ministris multipliciter inhibetur, atque damnatur*.

In præsenti casu examinandæ sunt circumstantiæ, quæ homicidium, aut præcesserunt, aut comitatæ, aut sunt subsecutæ; Sane in facto asseritur quod Orator timens ne a Josepho Maria Peola interficeretur, sclopum in ipsum explosit; Videndum propterea, an homicidium ad propriam defensionem perpetratum dici possit; De hac re actum fuit in Causa *Mutinen. Dispensationis* descripta in Folio Congregationis *diei* 24. *Januarii currentis anni* quod precantur resumere, quia ex eo deprehenditur quando homicidium ad propriam defensionem patratum dici possit, ita ut occidens dispensationem mereatur.

Verum cum ex Episcopi relatione constet homicidium in

rixa

rixa fuisse commissum, & quod tempore rixæ Joseph Maria Peola sclopo, & cultro armatus reperlebatur, insuperque constaret eumdem Peola esse hominem *fervidæ indolis, animosum, & manibus expeditum*, hinc observandum, an concurrentibus hisce circumstantiis facilius sit indulgenda dispensatio. S. Hieronymus in Epistola ad Decensium dicit, quod iracundia = *Ab omni consilio, & mente deturbat, ut dum irascitur insanire credatur*. Advertit Fagnanus *in Cap. Henricus de Clerico pugn. in duello num.* 35., quod ad concedendam dispensationem ab irregularitate, præcipue considerari solet = *An homicidium commissum fuit per industriam, seu præmeditate, & per insidias, an vero calore iracundiæ, & in pura rixa, an occidens fuerit rixæ auctor, vel provocatus, an Orator esset bonæ conditionis, & famæ, & an post delictum semper laudabiliter vixerit*.

Sacra Congreg. quando actum est de homicidio voluntario fere semper dispensationem denegavit, ut in *Bisacen. Irregularitatis* 10. *Junii* 1741., *in Feretrana Irregularitatis* 22. *Januarii* 1757. *in Brixien. Irregularitatis* 19 *Jan.* 1765.; Verum in homicidio commisso non ex proposito, sed casu, vel etiam culpa, dispensationem concessisse sæpius videtur, ut in *Montis Falisci* 6. *Junij* 1739. *in Imolen.* 28. *Jan.* 1741., *& in Virdunen. Dispensationis ab Irregularitate*. Agebatur de Parocho, qui ex læthali vulnere in oculo Parochianum suum interfecerat, & Episcopus testatus fuerat non quidem ex industria, & occidendi animo percussisse: disputato propterea dubio = *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.* Die 2. *Augusti* 1760. prodiit resolutio = *Affirmativè post dimissam, vel permutatam Parochiam cum alio Beneficio non curato, & dummodo non celebret in loco commissi delicti*.

Rursus in *Agrien. Irregularitatis* alius Parochus impatiens moræ, qua Auriga currum instruebat, nodoso arrepto baculo ad stabulum accessit, & bis in capite, ac etiam in latere dextero percussit Aurigam, qui paucos post dies e vita migravit; quæsitum hinc fuit = *An sit locus dispensationi ab irregularitate in casu &c.* die 31. *Maij* 1770. responsum prodiit = *Consulendum SSmo pro dispensatione* =.

Præstat etiam animadvertere, quod Orator vix peracto homicidio sponte se constituit, & patratum crimen fassus

est

est, pœnam a Curia impositam subiit, parti offensæ satisfecit, ac resipiscentiæ signa dedit; Quare videndum, an prædictæ circumstantiæ magis proclives reddere possint ad gratiam Emos PP., a quibus decernendum est.

An sit locus dispensationi in casu &c.

Negativè.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

TUDERTINA REDUCTIONIS. Dum in Urbe degeret testamentum condidit Sebastianus Pervisani anno 1658., atque inter cætera mandavit, ut in Oppido Massæ Tudertinæ Diœcesis construeretur Ecclesia sub invocatione Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis cum Sacrario, & quatuor Mansionibus; Ad opus perficiendum voluit, ut ex asse suæ hæreditatis erogarentur scuta bis mille. Quatuor præterea instituit in dicta Ecclesia Capellanias, quarum tres in titulum perpetuum conferri permisit, earumque Patronatum possessoribus Primogenituræ Pervisani addixit; Quartam denique declaravit amovibilem ad nutum Consilij Decem-Virorum præfati Oppidi Massæ; Tribus Capellanis perpetuis onus injunxit celebrandi quotidie Sacrum, excepta tamen una die cujuslibet hebdomadæ; Alteri vero Capellano amovibili, præter celebrationem quinque Missarum in unaquaque hebdomada, injunxit onus exercendi munus Ludi-Magistri Communitatis, insuperque onus adjecit canendi cum Scholaribus quolibet die Sabbathi Litanias, & die Dominico de mane Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis, & de sero docendi pueros, puellasque rudimenta Fidei; Omnes vero Capellanos gravavit onere peragendi Festum Ecclesiæ Titularis, & celebrandi bina Anniversaria in unoquoque anno, cum majori, quo posset Missarum numero.

Tempus præterea indixit, quo Missæ forent celebrandæ; Voluit enim, ut diebus ferialibus saltem tres Capellani, omnes vero diebus festis in novaEcclesiaSacrum facerent, unus nempe in Aurora, reliqui tres circa Meridiem. Pro dote istarum Capellaniarum constituit summam scutorum octo millium, quæ investiri præcepit in tot Locis Montium

tium, vel in bonis ſtabilibus, quorum reditus pro rata ſcutorum triginta in unoquoque anno pro manutentione Eccleſiæ, & Sacrarij deſervirent, ſuperextantes vero reditus inter Capellanos æquis portionibus partirentur. Hæres Teſtatoris Eccleſiam ædificare curavit, & ſummam ſcutorum octo millium in emptionem ſeptuaginta duorum Locorum Montium erogavit; Tractu temporis hujuſmodi Loca Montium varias ſubierunt extractiones; quare evenit, ut illorum numerus ſit imminutus, & hodie extent tantum Loca ſexaginta; Reditus, qui ab iis percipiuntur impares eſſe putant Capellani pro adimplemento onerum; hinc reductionem efflagitant.

Advertunt Teſtatorem pro Capellaniarum inſtitutione dotem conſtituiſſe, cujus reditus ſufficiens erat ad omnia adimplenda onera ab ipſo demandata; Cum autem poſtmodum decreverit fructus Locorum Montium, eaque ad minorem numerum redacta fuerint, hinc evenit, ut imminuti ſint Capellaniarum reditus, & Capellani pro Miſſarum celebratione vix percipiant manualem eleemoſynam; Horum redituum decrementum accidiſſe abſque ipſorum culpa, & propterea Sacrorum reductionem promereri; Hanc autem reductionem ad ratam eleemoſynæ perpetuæ juxta decretum San. Mem. Benedicti XIII. relatum in Concilio Romano anni 1725. indulgendam eſſe, quia Miſſæ in determinata Eccleſia, & hora præfinita ad Populi commoditatem ſunt celebrandæ; Reductionem vero multo magis indulgendam Capellano, qui munere Ludi-Magiſtri fungitur, cum is majoribus ſit gravatus oneribus; Nec ad præſervandas Miſſas alia onera reduci poſſunt, nam ex teſtamenti contextu patere ajunt, Teſtatorem magis voluiſſe horum onerum adimplementum, quam Miſſarum celebrationem.

Contra vero, qui Capellaniarum patronatum habet, ſuſtinet reductioni Miſſarum locum non eſſe, quia etiamſi de redituum decremento dubium eſſe non poſſit, nihilominus præſtat alla prorſus onera, quam Miſſas imminui debere, pro quibus etiam ſufficere eleemoſynam manualem; Advertit inſuper, quod licet Locorum Montium fructus ſit imminutus, & eadem Loca Montium ob ſecutas extractiones decreverint, adhuc tamen ſolutis utenſilibus, & expenſis pro Anniverſariis, & Sacrario, obveniunt unicuique Capellano annua ſcuta 38. 27 ½, quæ ſuperant taxam eleemoſynæ manualis, & propterea concludit petitam reductionem eſſe denegandam. Nec reductionem me-

mereri quartum Capellanum, nam is propter munus Ludi-Magistri, quod exercet, minori Missarum numero gravatur, & ratione sui officij consuetum a Communitate percipit emolumentum.

Episcopus nonnulla refert, quæ ex relatione EE. VV. circumferenda videri poterunt, abstinet tamen a judicio ferendo, & causæ decisionem a Sac. Congregatione expectat.

Dubium non est, quod legatum institutum a Sebastiano Pervisani sit taxativum, & ob Locorum Montium extractiones illius reditus decreverint; Quare videndum an ita decreverint, ut onera sint reducenda. Ponderandum quomodo sit locus reductioni cum agatur de legato jam executo; Observandum pariter, num expediat Missas præservare, & Anniversaria potius reducere, quoties pro omnium onerum adimplemento sufficientes non habeantur reditus; Serio hac de causa ponderanda est testamentaria dispositio, ut dignosci possit, quid Testator magis optaverit. Dignabuntur EE. VV. definire.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Negativè, & ad mentem: & mens est, quod quatenus verè constet Capitalium scutorum octo millium defeciſſe scuta tercentum, quæ, ut asseritur, Carolus Pervisani in proprios usus convertit, Episcopus juris remediis cogat hæredes ad reintegrationem, & referat cur scuta viginti tantum solvantur Sacrario, cum ex voluntate Testatoris solvi debeant scuta triginta, & qua ex causa.

Sess. 14. cap. 12. de Reform.

SPOLETANA. Nicolaus, & Antonius Fratres Catani ære proprio anno 1768. in Oppido nuncupato = *le Prreci* = publicam Ecclesiam sub invocatione S. Annæ prope illorum domum cum Ordinarij facultate construxerunt; Nonnulla etiam assignarunt bona tam pro ejusdem Ecclesiæ manutentione, quam pro institutione Capellaniæ cum onere Missarum in ipsa celebrandarum. Joseph Telesphorus Catani Fundatoris filius SSmo Domino Nostro exposuit, hiberno tempore ob nivium copiam, & ventorum impetum è propria domo Ecclesiam adire non posse per viam publicam; hinc ad consulendum commoditati Matris viduæ, aliorumque de Familia, postulavit facultatem aperiendi januam in latere dextero ejusdem Ecclesiæ

cleſiæ ; qua ſibi, Matri, aliiſque familiaribus pateret aditus, ut Miſſæ Sacrificio, aliiſque Eccleſiaſticis functionibus intereſſe poſſint. Ablegatis precibus Sac. Congregationi rogantur Emi PP. judicium proferre.

Epiſcopus teſtatur, quæ de patronatu Eccleſiæ, & Capellaniæ expoſita ſunt: addit inſuper quod *in limine fundationis nullum apparet appoſitum pactum, ac conditio petitæ communicationis Eccleſiæ cum privata Fundatorum Domo, quæ diſtare refertur ab ingreſſu Eccleſiæ ſpatio pedum romanorum triginta, levioris quidem incommodi ſuapte natura, verum brumali tempore nivium quantitas, & frequentia, nec non æris inclementia incolis non parum gravis majorem excitat Oratoris commoditatem, & totius Familiæ Catani, quæ illius Loci more civilium vivit · A latere dextero magis contigua Eccleſiæ prædicta domus conſtituta manet, non diſſita ultra pedes octo, faciliſque aperitur aditus, ſive ingreſſus ad Chorum ſupra januam majorem confixum abſque ulla Eccleſiæ deformitate* = Deinde vero ſic concludit = *Patent Sacrorum Canonum ſtatuta, & Sacrarum Congregationum, ſignanter Immunitatis reſolutiones ſive decreta, Oratoris precibus adverſantia, ideo ſapientiſſimo EE. VV. oraculo libentius judicium pro merito inſtantiæ ſubmitto* = .

Servitutes in Eccleſiis imponere prohibent ipſamet jura civilia. In lege *Si prius* 17. *ff. de aqua, & pluvia arcenda* §. *ſed loco* hæc habentur = *Sed loco Sacro, vel religioſo, vel ſancto interveniente, quo fas non ſit uti, nulla eorum ſervitus imponi poterit* ; Preſſius tamen id vetant Sacri Canones, & Summorum Pontificum conſtitutiones. Sane Clemens V. in *Clementina* 1. *de ſent. excom. in* 6. præcipit Regularibus ne in eorum Eccleſiis feneſtras aperiant, ex qua Sæculares divina officia audire poſſent. Rurſus S. Pius V. anno 1566. conſtituit, ut in Urbe clauderentur omnes feneſtræ, quæ è Sæcularium domibus in Eccleſiis proſpectum haberent, & in executionem hujus Pontificiæ Conſtitutionis Card. Sabellius Urbis Vicarius edictum edidit, quod refertur a *Quaranta in Summ. Bullarum verſ. Reverentia divinorum*, in quo ſtatuitur, quod = *ſub ſimilibus pœnis debeant, & quilibet eorum debeat quaſcumque feneſtras domorum vicinarum, & contiguarum Eccleſiis ſupradictis etiam ipſorum introſpicientes dictas Eccleſias removiſſe obturaſſe, remuraſſe removerique obturari, remurarique feciſſe*.

Quamvis autem S. Pij V. diſpoſitio pro Urbe tantum edita fuerit, nihilominus factum inde eſt, quod hujuſmodi ſervitutes indiſtinctè in omnibus Eccleſiis etiam extra Urbem vetitæ fuerint. *Pignatellus Conſult.* 129. *num.* 3. *tom* 4. refert Sac. Cong. Epiſcoporum, & Regularium in quadam cauſa *Veronen.* ſequens edidiſſe decretum = *Non licere privatis perſonis habere, ac retinere feneſtras proſpicientes in Eccleſias contiguas habitationi*, & Barboſa *Juris Eccleſiaſtici univerſi lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 28. affirmat id ipſum fuiſſe confirmatum ab eadem Sac. Congregatione in cauſa *Florentina die* 11. *Septembris* 1615. Immo idem *Pignattellus dicta Conſult. num.* 4. ad tollendos abuſus hac de re inductos teſtatur, dictam Sac. Congreg. demandaſſe harum feneſtrarum clauſuram, uti accidit in cauſa *Calvenſi* die 26. *Septembris* 1653., in qua Epiſcopo injunctum fuit, ut mandet *claudi Feneſtram muro pleno non obſtantibus quibuſcumque inhibitionibus.* Et S. Congr. in Cauſa *Nullius Foripompilij* propoſito dubio = *An decretum Sac. Viſitationis de claudendo januam, & feneſtram domus laicorum de Zaulis, unde aditus, & proſpectus patet in contigua Eccleſia S. Mariæ ad Nives ſuſtineatur in caſu &c.* die 18. *Februarij* 1758. reſpondit = *Affirmativè* =

Hanc autem facultatem denegatam fuiſſe etiam Magnatibus aſſerit dictus *Pignatellus eadem conſult. n.* 6., & 7., quamvis eſſent domini alicujus Oppidi, ibique juriſdictionem temporalem exercerent, & rationem affert *conſult.* 129. *num.* 12. *tom.* 4. ibi = *Quia jus habendi feneſtras in Eccleſia non dicitur jus honorificum, ſed ſervitus Eccleſiæ, quæ tanquam in loco Sacro nequit abſque titulo legitimo acquiri, aut præſcribi; Et jus honorificum non verſatur in imponendo ſervitutem Eccleſiæ, ſed in præeminentiis, & prærogativis in Eccleſia circa locum, ac ſedem in ipſa, & in proceſſionibus, & circa ſalutationes, thurificationes, & in recipiendo alimenta in caſu paupertatis.*

Suſtinet nihilominus *Monacell. Formular. legal. part.* 1. *tit.* 6. *For.* 10. *num.* 18. quod Eccleſiarum Patronis, aut alicui inſigni Benefactori indultum conceditur aperiendi feneſtram, ſeu januam ut ex propria domo proſpectum, ſeu acceſſum habeant ad Eccleſiam dummodo tamen in actu fundationis hoc jus ſibi reſervaverint; & revera Sac. Congregatio hujuſmodi indultum denegavit Patrono, qui in actu fundationis Eccleſiæ jus prædictum ſibi

non

non reservaverat; patet id ex Causa *Reatina* relata inter supplices libellos. Marchio Joannes Vitelleschi Baro Oppidi Ricati, qui etiam patronatu fruebatur Ecclesiæ Parochialis ejusdem Oppidi, petiit facultatem aperiendi fenestram in muro divisorio propriæ domus, & Ecclesiæ, unde ipse, & alii de sua familia Missam commodius audire possent, & præcepto Ecclesiæ satisfacere. Petitioni assensum præbuit Episcopus, & Parochus, at nihilominus die 2. *Junij* 1731. rescriptum fuit = *Lectum* ✠ *lib.* 81. *decret. pag.* 298. ; Nec dissimilis fuit resolutio edita in *Regien.* 7. *Aprilis*, & 2. *Septembris ejusdem anni*, & *in Veronen.* 26. *Aprilis* 1732.

Ponderandum, quod Orator patronatum habet Ecclesiæ S. Annæ, & in ea defunctus Pater Capellaniam fundavit; Advertendum tamen, quod in actu fundationis Ecclesiæ, & erectionis Capellaniæ nullum jus reservatum fuit pro aperitione januæ. Videndum an saltem ejus Mater aliqua commiseratione digna sit, & an distantia domus ab Ecclesia præpedire possit accessum ad ipsam absque gravi incommodo. Emi PP. definire non graventur.

An sit concedendum indultum in casu &c.

Affirmativè quoad fenestram tantum ad vitam Oratoris, & ejus Matris cum solitis clausulis.

Sess. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

SENOGALLIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Jam alias in Sac. Congregatione actum est de pia dispositione Camilli de Lucatellis, deque secuta jussu sanme. Alexandri VII. illius voluntatis commutatione; Siquidem prævia reductione Canonicatuum, qui ex dispositione Testatoris erigendi erant in Cathedrali Ecclesia Senogalliæ, mandatum fuit, ut sex in eadem Ecclesia erigerentur Mansionariæ, constituta dote pro unaquaque Mansionaria, & præfinitis oneribus a Mansionariis adimplendis. Verum conquesti sunt Mansionarij de onerum gravitate, proindeque reductionem expostularunt in Congregatione diei 8. *Junij anni* 1782.. Nulla tunc capta fuit resolutio, sed rogatus Emus Ursi-

nus, ut nonnulla reductionum Indulta perpenderet, quæ annis 1689., & 1693. Canonicis ex fundatione Lucatellis concessa erant.

Non prætermisit laudatus Emus Cardinalis id exequi, assueta qua solet diligentia, cumque supervenerit ejus relatio, instantia repropositа fuit in Congregatione diei 27. *elapsi mensis Martij*, qua die dilata resolutione mandatum extitit, ut illa reproponererur citatis Canonicis ex fundatione Lucatelli; Reproponitur igitur Causa jura sua deducentibus tam Canonicis, quam Mansionariis; Non graventur EE. VV. resumere Folia dierum 11. *Maij* 1782., & 13. *Martij currentis Anni*, in quibus plura ad rem adnotata sunt, & definire.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Non proposita.

Die

Die Sabbathi 21. Augusti 1784. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

UNica tantum in Congregatione habita die 24. elapsi mensis indecisa superfuit Causa; Ea igitur Emis PP. definienda proponitur cum aliis octo, quæ in præsenti Folio describuntur,

SENOGALLIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.* *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Onus Missarum Mansionariis impositum reducendum esse ad medietatem: Missas verò a Canonicis celebrandas restituendas esse ad numerum biscentum octuaginta prò quolibet juxtà reductionem anni 1689.

BENEVENTANA. Vacavit anno 1755. Officium Pœnitentiarij in Ecclesia Metropolitana Beneventi; Archiepiscopus Pacca pro illius collatione concursum indixit, & inter concurrentes præelectus fuit Sacerdos Felix Sbordone; Electionem hanc impugnarunt Canonici contendentes, vel nullum habendum esse concursum, vel saltem illum coercendum esse inter solos Canonicos Metropolitanæ. Card. Millo tunc Pro-Datarius expediendas decrevit litteras Apostolicas favore Sacerdotis Sbordone, reservata Capitulo facultate deducendi jura sua in Sac. Congregatione. Canonici Causam proponi curarunt in Congregatione diei 22. *Maij currentis anni*, in qua propositis dubiis I. *An in electione Canonici Pœnitentiarij sit convocandus Concursus in casu &c.*, & quatenus Affirmativè II. *An ad concursum admitti debeant soli Canonici Ecclesiæ Metropolitanæ Beneventi, seù potius omnes de Clero Sæculari in casu &c.* sequens prodiit resolutio *ad I. Affirmativè. ad II. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam.* *Sess. 24. cap. 8. de Reform.*

Re-

Reproponitur hodie Causa ; dignabuntur Emi PP. resumere Folium dictæ Congregationis, in qua plura ad rem, de qua agitur, adnotata reperient ; In facto addere præstat, quod fan. mem. Benedictus XIII., dum adhuc erat Archiepiscopus Beneventanus, Pœnitentiariæ Officium contulit Sacerdoti Benedicto Mariella die 12. Augusti 1692., & in Bulla institutionis hæc legitur expressio = *Cum itaque hac eadem die in dicta nostra Metropolitana Ecclesia, servata forma Sacri Concilij Tridentini, per nos canonicè erectum fuerit Pœnitentiariæ Officium* ; Rursus in collatione ejusdem Officij ab eodem Pontifice facta quinto Kalendas Septembris anni 1727. leguntur pariter ista verba apposita in Bulla provisionis = *Cum itaque postmodum Officium Pœnitentiariæ nuncupatum majoris Ecclesiæ Beneventanæ per unum met eumdem ex dictæ Majoris Ecclesiæ Canonicis, etiam cum suis Canonicatu, & præbenda absque dispensatione Apostolica obtineri solitum . . . . . Nos volentes dilectum Filium Januarium Boraglia . . . . . in concursu super Officio hujusmodi ad formam Constitutionis nostræ, quæ incipit* = Pastoralis = *habito approbatum fuisse* = Ac demum in Bulla provisionis expedita diei 7. Martij anni 1746. favore Canonici Honuphrij Mariella cl. mem. Cardinalis Landi tunc Archiepiscopus Beneventanus concursum indixisse testatus est, ibi = *Nos indicto concursu* . Post hæc dignentur EE. VV. decernere.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum, & secundum dubium in casu &c.

Ad I. In decisis.

Ad II. Prævio recessu a decisis, negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam.

Sess. 25. cap. 17. de Reform.

TERRACINEN., ET SETINA : Cum Magistratus Civitatis-Setiæ quadraginta circiter ab hinc annis, Ecclesiæ Cathedrali calicem una vice donasset, verbalis conventio inter ipsum, & Capitulum inita fuit, ut adveniente ad Ecclesiam Magistratu pulsaretur campanula existens prope Sacrarium, qua datur signum Canonicis ad Chorum, & Sacerdotibus dum pergunt ad Altare, & quam pulsare solent Ostiarij in susceptione Ordinis. Accidit ut elapso anno in primis Vesperis Festivitatis S. Lidani Civitatis Patroni, Episcopus ad Ecclesiam acces-

cessisset ad peragenda Pontificalia, & Canonici Sacris essent vestibus induti. Supervenit Magistratus, & licet ad januam Ecclesiæ alter ex Canonicis adfuisset, ut aquam lustralem præberet, nihilominus pulsata non fuit campanula; quare Magistratus Missæ Pontificali sequentis diei interesse recusavit.

Id ipsum quoque accidit in pervigilio Festivitatis Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, qua die adstante jam Episcopo in Ecclesia, Vesperas solemniter celebraturo, Magistratus supervenit, & tunc denuo campanulæ pulsatio fuit omissa; unde Magistratus Processioni, & Missæ solemni diei Festi interesse noluit. Die autem Divo Rocho dicata, cum ex Populi voto publica Supplicatio peragatur, Magistratus ad Ecclesiam advenit, & quia aberat Episcopus, datum fuit campanulæ signum, insuperque Canonicus adstitit ad Ecclesiæ fores, ut aqua benedicta illum aspergeret; verum Magistratus de manu proprii famuli aquam lustralem excipere maluit.

Interim Canonici recursum habuerunt ad Sac. Congregationem, ut mos pulsandi campanulam penitus proscriberetur; Ast Magistratus in judicium coram A. C. vocavit tam Episcopum, quam Capitulum Cathedralis Setinæ, petiitque ut cum ad Cathedralem accederet, posset campanulam pulsare facere ab uno ex suis famulis, & audito signo, unus ex Canonicis obviam procederet Magistratui usque ad januam majorem Ecclesiæ, & aspersorium præberet. Decreto Emi Signaturæ Justitiæ Præfecti demandata est suspensio Causæ coram A. C. usque ad exitum Causæ in Sac. Congregatione; quare instante Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis, & Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, quæritur hodie, ut declaretur num campanula pulsari debeat, & quænam alia obsequia Capitulum præstare teneatur Magistratui dum ad Cathedralem accedit, vel ab ea recedit tàm absente, quam præsente Episcopo, & Pontificialia exercente: omnia sub infrascripto dubio EE. VV. definienda proponuntur.

Qui Promotoris Fiscalis Causam agit expendit Cæremoniale Episcoporum, & ait, quod dum Episcopus Pontificalia est celebraturus, debeat Magistratus ad Episcopalis Palatij aulam accedere, eumque ad Ecclesiam comitari, atque ad januam majorem ab eodem Episcopo immediate post Capitulum aqua lustrali aspergi; Si verò Episcopus ob aeris inclementiam, vel alia quacumque de causa per scalam interiorem Palatij ad Ecclesiam descenderet, tunc Magistratus tenetur statuta hora Episcopum jam Cappa in-

Indutum è ſcala deſcendentem excipere, aliaque omnia peragere quæ de ingreſſu per januam majorem dicta ſunt; At ſi Magiſtratus ad Eccleſiam ſupervenìat inchoato jam Officio, vel Miſſa, tunc nullam Cæremoniam adhibendam eſſe, ſed peracta oratione, & præſtitis conſuetis urbanitatis ſignis, proprium locum adire debet; Cum autem præter hæc nihil aliud in cæremoniali ſtatuatur, hinc contendit, injuria Magiſtratum, præſente in Eccleſia Epiſcopo, efflagitare, ut in illius acceſſu pulſetur campanula Sacrarij, & ad Eccleſiæ fores Canonicus aſperſorium cum aqua luſtrali præbeat.

Nec obeſſe, quod a quadraginta fere annis ex Canonicorum placito Magiſtratus eo honore, & obſequio potiatur; nam advertit verbaliter tantum id fuiſſe conceſſum, & ex ſola urbanitate, ac propterea nullam oriri obligationem, qua Canonici adigantur ad hujuſmodì obſequium præſtandum. Præterea addit præſumptam Capituli obligationem nullitatis vitio infectam eſſe, cum nulla præmiſſa fuerint Capitularia Comitia, nec Epiſcopi conſenſus, nec Apoſtolicæ Sedis beneplacitum requiſitum.

Canonici verò Eccleſiæ Cathedralis inhærentes diſpoſitioni Cæremonialis Epiſcoporum tuentur nihil aliud competere Magiſtratui in acceſſu ad Eccleſiam tam præſente quam abſente Epiſcopo, præter id quod Cæremoniale præſcribit; Sonitum campanulæ Sacrarij permittendum non eſſe, cum campanæ tantum pulſari debeant pro Divinis obeundis Officijs, vel quando excipiendus eſt Epiſcopus, vel alia Perſona in Eccleſiaſtica dignitate conſtituta, & campanarum pulſationem pluribus Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium decretis, & Synodalibus conſtitutionibus aliquarum Diæceſeum interdictam eſſe, quando Magnates, Loci Baro, aut Magiſtratus in aliquo Oppido publicè ingrediuntur. Spernendam vero eſſe dicunt conſuetudinem ex rationibus a Promotore Fiſcali deductis, & conſuetudinem hanc abuſum potius reputandum eſſe, cum Eccleſiaſticis legibus adverſetur.

Ex parte Magiſtratus nihil habuimus, licet illius Defenſor pluries monitus, & diù expectatus fuerit.

Epiſcopus ait = *Quoniam igitur de his EE. VV. meum dignantur exquirere ſenſum, ut veneratiſſimis veſtris paream mandatis, arbitrarer, reſcribendum, præſente Epiſcopo tam in acceſſu ad Eccleſiam, & in receſſu ab eadem, quam in Eccleſia ipſa tempore Sacrarum Functionum, ſervari Cæremoniale Epiſcoporum; Abſente vero Epiſcopo, proſcribi abuſum ſonitus campanulæ Magiſtratui nulla ratione com-*

competentis : *ubique tandem* , & *semper eidem Magistratui modum præscribi* , *ne ulterius in Divino cultu desit muneri suo* , *nec urbanitatem infringat* , *neque Populum concitet in offensionem* .

Plura sunt , quæ in præsenti Causa animadvertenda occurrunt ; Quæritur primo quomodo sit excipiendus Magistratus ad Ecclesiam accessurus , si in ea adsit Episcopus , & Pontificalia exerceat ; Hac in re scire præstat , quod Congregatio particularis a san. mem. Benedicto XIV. deputata pro institutione Cœremonialis servandi a Provinciarum Præsidibus , Gubernatoribus Prælatis, dum una cum Episcopo ad Ecclesiam conveniunt , *cap.* 10. statutum legitur = *Magistratus Sæcularis, quotiescumque legitimo impedimento detentus abfuerit Præses , vel Gubernator , non ad ostium Episcopi tantum , sed superius ascendere debebit in aulam , seu cubiculum ab Archiepiscopo , vel Episcopo ad hoc destinatum ; Atque ibi præstolari , ut eum,postquam fuerit opertus Cappa , progredientem ad Ecclesiam comitetur , & deducat ; Procedet autem immediate ante illum , sit quidem præsens , aut absens Gubernator, aut Præses* . Refertur hujusmodi Decretum in *Appendice tom.* 1. *Bullarii ejusdem Pontificis* , qui etiam illud confirmavit Constitutione , quæ incipit = *Quod Apostolus* = edita die 15. *Maij* 1741.

Id etiam confirmatur ex Cæremoniali Episcoporum *lib.* 3. *cap.* 10. , *& lib.* 1. *cap.* 15. §. 2. , *&* 3. ubi describens ordinem servandum , quando Episcopus ad Ecclesiam accedit,mandat , quod illius familiares , Magistratus , & alii Nobiles , & illustres Viri immediatè ante ipsum præire debeant , post ipsum verò sequantur Canonici juxta ordinem antianitatis ; inde subdit = *Eo ordine procedent usque ad portam primariam Ecclesiæ , ubi dignior ex Capitulo porriget Episcopo aspersorium . Episcopus aspergit primo seipsum detecto capite , deinde Canonicos , & alios circumstantes , incipiendo a digniori* = .

Post hæc prævidens casum , quod Episcopus ob aliquam rationabilem causam per scalam interiorem Palatii in Ecclesiam descendat , *lib.* 3. *cap.* 9. sic disponit = *Si ob aeris intemperiem , aut peragendarum functionum qualitatem, seu ob aliam quamcumque causam , aptiorem , commodioremque adjudicaret Antistes descensum in Metropolitanam, seu Cathedralem , tam obeundi gratia omnes illas sacras functiones a Cæremoniali circumscriptas, quam alias ab eo minime definitas per scalam interiorem Palatii in ipsammet*

Eccleſiam porrigentem ; Præſidis , aut Gubernatoris tum erit , præſtituta ſub hora una cum Magiſtratu ad eam accedere , & in illa Antiſtitem , jam Cappa indutum , deſcendentem officioſis verbis excipere , ac ſubinde comitari, prout fuſius explicatum eſt . Quæ quidem obviatio a ſolo etiam Magiſtratu erit explenda , Præſide , aut Gubernatore abſente .

Si autem contingerit , quod Magiſtratus ſupervenerit incæpta jam Miſſa , vel Officio , Cœremoniale prædictum *lib.2. cap.18. §.5.* præcepit obſervari id , quod de adventu Canonici in ſimili caſu mandatum eſt ; *De Canonico* autem *loco cit. § 4.* hæc habentur = *Si quiſpiam Canonicus ſuperveniat inchoato jam Officio , vel Miſſa , abſque eo , ut aliquos ſalutet , vel ab aliis ſalutetur , ſtatim genuflectit verſus Altare parumper orans , mox ſurgit , & facit reverentiam profundam Altari , & Epiſcopo , deinde ſalutat Canonicos , & alios de Choro circumſtantes , tunc , & non prius ei aſſurgentes , & eum reſultantes vadit ad locum ſuum .*

Ex his omnibus patet quid agendum ſit cum Magiſtratu , quando ad Eccleſiam accedit , & in ea præſens reperitur Epiſcopus , aut Pontificialia exercet ; Videndum modo eſt , quænam urbanitatis officia præſtari debeant Magiſtratui ad Eccleſiam venienti , ſi præſens non adeſt Epiſcopus . Cæremoniale prædictum *lib.1. cap. 15. n.4.* campanarum pulſationem fieri mandat , ſi S. R. E. Cardinalis Legatus , vel non Legatus ad Eccleſiam accedat ; Verum cum in præſens agatur de ſonitu campanulæ exiſtentis prope Sacrarium , hinc ponderandum , an pulſatio hujuſmodi permitti poſſit , quando agitur de perſonis in Eccleſiaſtica dignitate minime conſtitutis , & quando divina Officia in Choro a Canonicis peraguntur .

De præſtatione aſperſorij cum aqua luſtrali facienda ab altero ex Canonicis Magiſtratui ad januam Eccleſiæ majoris , animadvertere præſtat , quod *Ferrarius verbo Aſperſorium num.13.* refert reſolutionem Sacræ Congregationis Rituum editam *in Cauſa Æſina 7. Junij 1707.* , in qua deciſum fuit , quod Prælato Referendario , aut Gubernatori Civitatis accedenti ad Eccleſiam danda ſit aqua benedicta per contractum aſperſorij ab aliquo Miniſtro ſuperpelliceo induto ; quare advertendum num conveniens ſit idem ſervari in acceſſu Magiſtratus . Hiſce perpenſis , non graventur Emi PP. definire.

An , & quomodo ſe gerere debeat Capitulum in adventu Ma-

gi-

gistratus ad Ecclesiam Cathedralem, & in recessu ab eadem, tam absente, quam præsente Episcopo, vel Pontificalia exercente in casu &c.

Servetur Cæremoniale Episcoporum juxta votum Episcopi, & ad mentem.

PRÆNESTINA. Per actum inter vivos Nicolaus Cecconi de Castro Sancti Petri Prænestinæ Diœcesis anno 1623. nonnulla assignavit bona pro erectione Beneficij, seu Canonicatus in Ecclesia Parochiali ejusdem Castri. Ad possessionem dicti Canonicatus nominavit pro prima vice Joannem Cecconi ejus nepotem sub expressa declaratione, quod = *Non teneatur inservire, sed tantum Missas pro qualibet hebdomada tres celebrare* = deinde vero disponens de Patronatu tam activo, quam passivo, ac de oneribus a Canonico adimplendis, sic alt = *Che il jus præsentandi sempre, ed in perpetuo sia, e spetti alli più stretti della Casa, ed essendoci della Casa atti, se gli debba conferire, e non ad altri, ed essendoci figli di Messer Papinio, e suoi successori per l'avvenire; Che il successore di Messer Giovanni debba andare alla Chiesa di S. Pietro di Palestrina, e sia obbligato di dire la settimana cinque Messe, purche non sia Festa, e non volendo detto Messer Giovanni andare alla detta Chiesa, che sia obbligato far celebrare tre Messe la settimana non obbligando detto Messer Giovanni alla residenza, ma li successori di Messer Giovanni debbano risedere di persona, ne possano mettere persona alcuna.* Post hæc addidit. *Ed in evento, che il figlio di Messer Papirio veniße successore di detto Messer Giovanni, debba godere, ed avere il privilegio, che ha avuto, ed hà detto Messer Giovanni primo Canonico di non risedere; Che il successore di Messer Giovanni debba dire cinque Messe la settimana, e che non debba dette Messe tralasciarle le Feste, e non facendosi detto Messer Giovanni Prete, non vuole in quanto à lui abbia luogo, ma agli altri sì.* *Sess 25. cap. 5. de Reform.*

Testamentum postea condidit anno 1631., in quo hujus Beneficij dotem auxit, voluitque, ut *præsentatus pro*

tempore celebrare, seù celebrari facere debeat numerum Missarum prout in donatione, quem numerum ratificat, & emologat, & probat. Item vivente R. D. Joanne Cecconi ipsius Testatoris nepote, & ejus successore post ejus mortem, volens ipse Testator ipsis rem gratam facere, dictum numerum, & onus Missarum diminuit, moderavit, & reduxit, in contentatione, quod ipse R. D. Joannes, & ejus successor tantummodo teneatur celebrare, seú celebrari facere Missas quinquaginta pro quolibet anno, in reliquis confirmavit, & emologavit donationem factam cum onere in dicta donatione=. Obiit Testator, & Vicarius Generalis Prænestinus die 5. *Januarij* 1633. ad erectionem Beneficij, seu Canonicatus devenit, ejusque possessori injunxit adimplementum onerum, quæ in donationis instrumento fuerant exposita.

Qui patronatu activo hujusce Beneficij potitur, in vacatione anno elapso secuta, præsentavit Clericum Clementem Marini; Nominationem hanc impugnarunt Officiales, & Populus Castri S. Petri, precesque exhibuerunt SSmo Dño Nostro, quibus narrarunt ex lege fundationis teneri Beneficiatum Missas per seipsum celebrare, & in dicto Castro residere, id tamen exequi Clericum non posse; Exposuerunt insuper, Populum destitutum esse subsidio pro Sacramentorum administratione; nam Parochum senio confectum esse, nec posse coadjuvari a Ludi Magistro, qui unicus est, præter ipsum, Sacerdos in dicto Oppido, qui adprobationem ad Sacramentales Confessiones numquam ab Ordinario potuit obtinere; Hinc supplicarunt, ut adigeretur Patronus ad nominandum Sacerdotem, qui continuo resideat, Ecclesiæ serviat, & Parochum coadjuvet; Remissis precibus ad Sacram Congregationem, definienda proponuntur tria dubia in calce transcripta, totum quæstionis statum complectentia.

Defensores Officialium, & Populi Castri sustinent ad I. Nicolaum Cecconi in instrumento donationis exemptos tantum voluisse a residentia, & a personali Missarum celebratione Joannem nepotem, ejusque successorem, nec proinde exemptionem protrahi posse ad alios Beneficij possessores, quibus onus residentiæ injunxit, & expresse inhibuit ne alium substituere possent; Hanc autem Fundatoris voluntatem fortius deprehendi ex observantia, cum omnes, qui hujusmodi Beneficium obtinuerunt, & residentiæ legem observarunt, & Missarum onera per se ipsos adimplerunt. Perperam objici vetitam facultatem substituendi referri dumtaxat ad residentiam, nequaquam

vero

vero ad celebrationem Missarum ; Advertit enim in Beneficiis simplicibus , ideo residentiam injungi , ut Rectores adigantur ad onera per se ipsos adimplenda, alias enim residentiæ præceptum frustraneum redderetur , præsertim quando Beneficium in Ecclesia , quæ Collegiata non sit, erectum reperiatur.

Nec verum esse , quod onera , & leges appositæ in instrumento donationis anni 1623. sublatæ fuerint a Testatore in postremis ejus testamentariis tabulis ; Respondet enim Nicolaum Cecconi in testamento nequaquam loqui de Canonicatu jam instituto , sed de altera Capellania deinceps instituenda ; Et quamvis de Canonicatu sermonem habuisset , nihilominus haud potuisset fundationem Canonicatus invertere , quoties demandata extitit per actum inter vivos , qui de sui natura irrevocabilis est ,

Neque opponi posse quod donatio non fuerit acceptata , & proinde revocari potuisse , nam acceptatio non requiritur in donationibus factis favore Ecclesiæ . Nec etiam obesse , quod in facultate sit Fundatoris invertere fundationis legem accedente Episcopi consensu ; sustinent enim id locum sibi vindicare , quando justa , & rationabilis concurrat variandi causa , sed in præsenti casu penitus deesse ; Cæterum sustinent omnem prorsus difficultatem sublatam esse per decretum erectionis a Curia Episcopali latum , ex quo evincitur Ordinarium Canonicatus fundationem admisisse servata forma instrumenti donationis, ex quo inferunt nequaquam assensum præbuisse variationi quatenus in testamento fuisset demandata .

Constito itaque de injuncta residentia , & de onere celebrationis Missarum per se ipsum , tuentur ad II. dubium præsentationem Clerici Marini non sustineri , quia Missas per se ipsum celebrare non potest , nec dici posse , quod habita saltem sit idoneus , quia utpote constitutus in ætate annorum viginti , ad Sacerdotium intra annum promoveri non potest .

Ad III. contendunt possessorem Canonicatus ex præsumpta Fundatoris voluntate , & ex æquitate teneri coadjuvare Parochum in exercitio Curæ animarum in casu saltem necessitatis . Quod attinet ad præsumptam Fundatoris voluntatem , advertunt Nicolaum Cecconi inter cætera præcepisse residentiam , & Ecclesiæ servitium , quod quidem non potest aliter verificari , quam præstando auxilium Parocho; Quod verò spectat ad æquitatem, ait Archipresbyterum adeo esse ætate gravem , ut parochialia mu-

ne-

nera adimplere non posset, nec alium extare Presbyterum, qui ei adjumento sit. Impares esse Parochianos ad constituendum propriis expensis Sacerdotem coadjutorem, quia nimia laborant egestate, & in his circumstantiis sustinent, quemcumque Presbyterum onus habere coadjuvandi Parochum, multoque magis teneri Sacerdotem, qui Ecclesiastico Beneficio potitur, & ad hujusmodi onus subeundum compelli posse, etiam per subtractionem fructuum ejusdem Beneficii, præsertim si illud fundatum sit in Parochiali Ecclesia.

Contra vero Clericus Marini ad I. inquit, Beneficium nec esse Sacerdotale, nec onus habere residentiæ, aut personalis celebrationis Missarum; Idque desumi tum ex Fundatoris voluntate, tum etiam ex observantia. Sustinet enim Cecconlum in suo testamento demandasse institutionem Capellaniæ pro uno Sacerdote, & sub nomine Sacerdotis comprehendi etiam simplices Clericos, quandoMissarum celebratio per ipsum Beneficiatum adimplenda non sit; Hanc autem personalem Missarum celebrationem demandatam non fuisse ex testamento deprehendi, quia in eo impertita Beneficiato fuit facultas celebrandi per alium; Confirmari etiam ex observantia, cum a tempore fundationis Beneficii usque ad præsens duo dumtaxat Sacerdotes, quatuor verò Clerici præsentati fuerint, & ii, qui Beneficium obtinuerunt, nunquam inOppido Castri S. Petri residentiam præstiterint; Hujusmodi vero consuetudinem plurimi faciendam esse, cum ab ipso fundationis tempore originem habeat.

Nec sufficere, quod in litteris collationis Beneficij a Dataria Apostolica expeditis anno 1685., residentiæ onus enuntietur, idque etiam adjectum fuerit in aliis litteris collationis eiusdem Beneficij a Curia Episcopali datis; Ad primum advertit quod Apostolicæ litteræ dubitative de residentiæ onere loquuntur, & propterea nullam certam probationem constituunt; ad secundum vero ait Bullas institutionis Curiæ Episcopalis residentiam præcipere relative ad decretum erectionis Beneficii, at in hujusmodi decreto nullam mentionem fieri de residentia.

Pergit inde ad diluendas alias difficultates, & ait alienum a veritate esse, quod Nicolaus Cecconi in testamento erigi voluerit aliam Capellaniam diversam a Canonicatu, nam perspecta Testatoris voluntate satis constare ipsum unicam tantum erigi mandasse Capellaniam, & in testamento confirmasse ea, quæ de Canonicatu in donatione disposuerat, solumque auxisse illius dotem, & Beneficiatum

tum exemptum voluisse ab onere residentiæ, & personalis celebrationis Missarum, quam quidem exemptionem jure indulgere poterat, etiamsi prima Beneficij institutio per actum inter vivos expleta fuisset, quia Patronus facultatem habet novas imponendi leges, aliaque faciendi, quousque Ordinarius formali decreto ad Beneficii erectionem non devenerit.

Cum autem ex Fundatoris voluntate Beneficium institutum a Nicolao Cecconi onus non præseferat residentiæ, & celebrandi Missas per se ipsum, hinc infert Clericus Marini ad II. dubium præsentationem ad sui favorem factam sustineri, sibique institutionem denegari non posse.

Ad III. advertit non licere absque injuria voluntatis Fundatoris, addere Beneficiato onera, quæ in ipsa fundatione imposita non fuerunt, eo fortius quando Patronus expresse dissentit; Ad consulendum verò indigentiis Populi Castri S. Petri affirmat non deesse media a Concilio præscripta, absque eo quod Beneficium, quod de sui natura simplex est, convertatur in residentiale, & onus addatur coadjuvandi Parochum in administratione Sacramentorum.

Auditus fuit cl. mem. Cardinalis Spinola Episcopus Prænestinus, qui plura dixit in sua relatione de statu quæstionis ut videre est Inter monumenta Causæ. Censuit autem, quod injungi posset Beneficiato onus coadjuvandi Parochum, quando non est de descendentia a Testatore prædilecta.

Beneficia simplicia ex Ecclesiæ indulgentia residentiæ onus non præseferunt. *Fagn. in cap. Ut Abbates de ætat. & qualit. præficiendorum num.* 74. Advertunt tamen *Lotter. de re benef. lib. 2. quæst.* 35. *num.* 10. *Pignat. consult.* 4. *num.* 10. *tom.* 7. quod si in fundatione lex residentiæ indicta fuerit, aut onus Beneficiato injunctum celebrandi per se ipsum, tunc a residentia minime posset excusari. Cæterum sustinet *Ursaja discept.* 3. *par.* 11. *num.* 62. non ita rigide residentiæ onus intelligendum esse in Beneficiis simplicibus solo Missarum oneribus gravatis.

In una *Romana Capellaniarum* Testator Capellanis injunxerat = *Che siano tenuti a Celebrare ogni giorno in detta Capella la Messa, ed essendo impediti li detti Capellani di non potere celebrare dette Messe quotidiane, voglio, e mi contento, che possino far celebrare da altri Sacerdoti a loro arbitrio* Sac. Congregatio die 16. *Martii* 1709. censuit = *Capellanias esse residentiales* = *lib.* 59. *decret. pag.* 63. Rursus in *Salisburgen.* Promotor Fiscalis Curiæ Archiepiscopalis insteterat, ut declararetur an residen-

tiam

tiam servare deberet possessor Beneficii, cui a Fundatore demandata fuerat Missarum per se ipsum celebratio, & S. Congr. diebus 11. *Julij* 1712., & 4. *Februarij* 1713. respondit = *Beneficium esse residentiale* = *lib. decret.* 62. *pag.* 229., & 63. *pag.* 33.

Præ oculis habenda est Fundatoris voluntas, ut definiri possit an controversum Beneficium sit residentiale, & Beneficiatus onus habeat celebrandi per se ipsum; Serio perpendendus actus inter vivos expletus anno 1623. a Nicolao Cecconi. Et observandum num in testamento quadquam fuerit variatum. *Corad. in prax. benefic. lib.* 2. *Cap.* 10. *num.* 150. *Farg. in Commentar. ad can. de jur. patronat. part.* 2. *can.* 27. *cas.* 3. *num.* 39. tuentur, quod Fundator in limine fundationis potest sibi reservare facultatem variandi in totum vel in parte; idcirco potest ex intervallo tollere, & adjicere quascumque substitutiones sibi benevisas, cum reservatio sit tamquam prorogatio perfectionis fundationis; Imo *Lambertin. de jur. patronat. lib.* 1. *part.* 2. *quæst.* 2 *art.* 5., & 6. *num.* 9. *Tondut. quæst. Benefic. par.* 1. *Cap.* 91. *num.* 1. & *seq.* existimant Fundatorem potiri facultatte variandi fundationis leges quousque per Episcopi decretum erectio secuta non fuerit. Advertendum tamen, num hac eadem facultate uti possit Fundator, postquam fundationem per actum inter vivos explevit, vel saltem variatio sustineri possit, quando non infringitur actus substantia, sed solum moderantur onera a Beneficiato adimplenda. Observandum pariter est decretum erectionis, & habenda ratio de observantia. Quæritur hinc.

I. *An Rector Beneficii instituti a Nicolao Cecconi in Ecclesia Parochiali Castri S. Petri teneatur residere, & Missas per seipsum celebrare in casu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An sustineatur præsentatio in casu &c.*

III. *An Rectori ejusdem Beneficij sit addendum onus coadjuvandi Parochum in administratione Sacramentorum in casu &c.*

Quoad I., & II. Iterum proponatur.
Ad III. Negativè.
Reliquæ non propositæ.

MON

MONTIS FALISCI BENEFICIORVM. Testamentum condidit anno 1739. Liberatus Emilj, & hæredem universalem instituit Mariam Diamante ejus ex fratre neptem; Prævidens casum, quod hæres instituta sine filiis decederet, tunc voluit ut ex bonis suis erigerentur duo Beneficia ad Altare Animarum Purgantium Ecclesiæ Parochialis Oppidi Tessennani. Disponens de patronatu activo, & passivo, ac de oneribus a Beneficiatis adimplendis, jussit quod pro prima vice Beneficia prædicta consequi deberent Clerici Innocentius Paladini, & Petrus Calisti; deinde verò hanc methodum servari voluit = *La nomina poi delli detti Benefizj da me sopra fatti, quali dovranno essere perpetui seguita la mia morte, e delli detti da me nominati, lascio alli Signori Francesco Antonio Bizzi, e Gio. Battista Silvestrelli, quali dovranno nominare li Preti, ò Chierici di Tessennano quando vi siano, e quando non vi siano, nominino li Preti forastieri coll' obligo della residenza, e delle tre Messe la settimana per ciascheduno Sacerdote, e Benefiziato, e seguita la morte delli Signori Bizzi, e Silvestrelli, lascio la nomina delli sud. Benefizj alla Mensa Vescovile di Monte Fiascone da nominare li Benefiziati come sopra, qual nomina gli lascio perpetua.* *Sess. 25. cap. 5. de Reform.*

Paucos post dies codicillum exaravit, & de patronatu activo alterius ex dictis Beneficiis sic disposuit = *Lascio la nomina delli due Benefizj da me lasciati nel mio testamento al Signor Francesco Antonio Bizzi da Sorano da me nominato, che presentemente confermo, e lascio la facoltà al medesimo, e suoi in perpetuo di poter nominare in uno de Benefizij da me lasciati, e volendo eleggere uno di sua Casa, ò famiglia do facoltà al medesimo di poter nominare; e non volendo quello risedere in Tessennano, possa eleggere un Sacerdote, che debba risedere per sodisfare al legato fatto nel mio testamento.* Obiit absque filiis Maria Diamante hæres instituta, & die 30. Decembris anni 1744. instantibus Innocentio Paladini, & Petro Calisti a Testatore nominatis, ad Beneficiorum erectionem deventum est. Hæc autem erectio facta fuit ad formam testamenti, nulla habita ratione eorum, quæ in codicillo Testator disposuerat -

Vacavit unum ex dictis Beneficiis, & Franciscus Antonius Bizzi facultate sibi in codicillo tributa, præsentavit nepotem suum Clericum Josephum Bizzi, qui cum vix undecimum ætatis annum attingeret, dispensationem Apostolicam obtinuit super defectu ætatis; Executioni lit-

terarum Apostolicarum obstitit Vicarius Generalis, quia Clericus Bizzi originarius non est oppidi Tessennani: Existimans autem dictus Bizzi minus rectè factam erectionem contra formam codicilli, postulat, ut ad illius normam reformetur, & de hoc judicium EE. VV. exquiritur.

Indubiam esse, inquit, Testatoris voluntatem in codicillo panditam, ubi dispositia in testamento immutavit quoad patronatum tam activum, quam passivum, mandavitque, quod Antonius Bizzi, ejusque Descendentes præsentare possent ad unum ex Beneficiis, & præsentatus ex ejus familia residentiam servare non teneretur; Cum autem hanc voluntatem in erectione non servaverit Curia Episcopalis, solumque rationem habuerit testamenti, hinc contendit erectionem prædictam non sustineri, & esse reformandam servata forma in codicillo præscripta, ne sequatur absurdum, quod erectio contra expressam Testatoris voluntatem fiat.

Nec obesse, quod facta erectione Beneficii ad formam testamenti, reformari modo non possit, licet constet de contraria Testatoris voluntate; Nam advertit erectionem hujusmodi duplici nullitatis vitio laborare, primo quia interpellatus non fuit Franciscus Antonius Bizzi. Deinde quia, contra expressam Testatoris voluntatem facta dignoscitur, & Ordinarius facultatem non habet variandi Testatorum dispositiones; Addit instantiam pro reformanda erectione proponi tempore habili, in prima nempe Beneficii vacatione, unde neque executionem, neque observantiam posse allegari.

Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis, & alii interesse habentes, licet judicialiter requisiti, propria jura non deduxerunt.

Vicarius Generalis tuetur servandum esse fundationem ad formam testamenti, & ait = *Cum enim in actu erectionis Beneficiorum non fuerit memoratum codicillum productum, nec de illo, sed tantum de testamento ab Ordinario ratio habita fuerit, sequitur idem codicillum tanquam in limine fundationis, & erectionis non comprehensum, minime esse attendendum ad vulgata jura minime allegande, & propterea Clericum Josephum Bizzi tanquam incapacem, & non habentem requisita in erectione memorati Beneficii volita, nec dispensandum nec instituendum esse puto.*

Dispositia per actum ultimæ voluntatis variare licet; hinc quæ in testamento statuta sunt, excepta hæredis insti-

tu-

tutione, mutari possunt in codicillo. Hoc posito, in præsenti Causa animadvertendum est, quod Liberatus Emilii Beneficiorum fundator de patronatu activo, & passivo, ac de oneribus a Beneficiatis adimplendis, diversimode dispposuit in codicillo ab eo, quod in testamento dispposuerat. Videndum igitur an erectio facta ad formam Testamenti sustineatur.

Lambertinus *de jurepatronat. lib.* 1. *art.* 5. *quæst.* 2. *num.* 2. sustinet, quod concurrentibus pluribus fundationibus, sive dispositionibus, semper illa attendenda est, & præferenda, quæ munita dignoscitur Episcopi assensu. Verum *Fargn. in comm. ad canon- de jurepat. part.* 2. *can.* 1. & 2. *cas.* 7. *num.* 4. advertit quod Episcopi consensus sequi debet voluntatem Testatoris, & juxta illius mentem fieri debet reservatio patronatus, & *num.* 6. addit, quod Fundatores ante erectionem Beneficii perfectè secutam, possunt tollere, & adjicere quascumque substitutiones sibi benevisas. *Corrad. in prax. Beneficiorum lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 150. & *Piton. discept. Eccles.* 25. *numer.* 9. contendunt, quod sicuti Fundatores in Beneficiorum erectione apponere possunt onera, qualitates, conditiones, & leges sibi benevisas, ita pariter hisce omnibus supplerì debet post peractam, perfectamque erectionem, si neglectæ, vel omissæ ab Ordinario deprehendantur dum erectionis actum expletum est. Notandum, quod in actu erectionis nec requisitus, nec interpellatus fuit Franciscus Antonius Bizzi, qui etiam ex testamento jus acquisierat ad Beneficium. Decernant EE. PP.

An servanda sit erectio duplicis Beneficii facta ad formam testamenti quondam Liberati Emilii, seu potius reformanda, & exequenda ad formam codicilli in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

CAMERINEN. Paulus Ricci testamentum condidit anno 1701., quo Capellaniam ad nutum amovibilem instituit, & pro dote capitale scutorum mille assignavit. Capellanum adegit ad celebrationem tot Missarum, quæ ex reditibus dicti capitalis celebrari possent cum eleemosyna obulorum quindecim; Jus nominandi Capellanum detulit hæredi instituto, quo defuncto illud transtulit in Primogenitum lineæ Masculinæ suæ familiæ, & in istius defectum substituit Primogenitum lineæ Femininæ; Utraque vero linea deficiente, voluit, *che il jus predetto passi alla Linea della Signora Maria Madalena mia figlia Moglie del Signor Urbano Pararelli*. Hujusce Capellaniæ patronatum activum possidet modo Urbanus Pararelli dictæ Familiæ Primogenitus. Franciscus illius frater natu minor exposuit Sanctissimo Domino Nostro suam paupertatem tùm propter æs alienum a defuncto Patre contractum, tùm etiam propter alia infortunia subinde passa. Addidit gravatum se esse onere alendi tres filios masculos, & duas filias, quibus necessaria alimenta, summa ne quidem cum parsimonia, suppeditare posse; Supplicavit propterea, ut suspensa per annos saltem viginti quinque Missarum celebratione, applicarentur reditus in sui, suæque Familiæ sustentationem. Reditus ascendunt ad annua circiter scuta triginta. Pertinet ad EE. VV., quibus preces remissæ sunt, hujusmodi petitioni responsum reddere.

Episcopus confirmat facti seriem, & addit, quod licet Orator inter primarios Cives recenseatur, nihilominus in summa versatur rei familiaris angustia; Testatur ejus fratrem, qui Capellaniæ Patronatum retinet, petitioni assensum præbere, & modo vacantem esse Capellaniam; Deinde concludit = *Vestrum interim erit, Eminentissimi PP., decernere, & definire in ista re, supremumque de illa expectabitur judicium*.

Patrono pauperi alimenta ab Ecclesia submministranda sunt *Cap. Nobis* 25. *de jure patronat* ibi = *Pro fundatione quoque Ecclesiæ honor processionis fundatori servatur: Et si ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modeste succurritur; sicut est in Sacris Canonibus institutum*. Confirmatur etiam ex *Cap. Quicumque* 30. *caus.* 16. *quæst.* 7. in quo sic legitur = *Quicumque Fidelium propria devotione de facultatibus suis aliquid Ecclesiæ contulerint, si forte ipsi, aut filij eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Ecclesia suffragium vitæ pro temporis usu percipiant*. Et alimenta ex reditibus Ecclesiæ non solum Patrono pauperi,

ri, ſed ejus quoque uxori, & filiis ſubminiſtranda eſſe ſuſtinet *Barboſ. in collect. de jurepat. tom. 2. pag. 366. n. 7. Surd. de Aliment. tit. 4. quæſt. 28. num. 18. Lambertin. de jurepat. lib. 3. art. 6. n. 1.*

Cum autem in præſenti caſu agatur non de Patrono, ſed de ejus fratre, qui nullum jus habet ad patronatum, videndum an jus alimentorum ad ipſum quoque potrahi poſſit; Advertendum propterea eſt, quod juxta aliquorum ſententiam, nempe *Surd. de alimentis tit. 7. quæſt. 52. num. 14. Sanchez conſil. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 52. num. 1., & 2. Pax. Jordan. Lucubrat. tom. 2. lib. 10. tit. 7. num. 409.*, jus alimentorum communiter numeratur inter fructus patronatus, imò veluti præcipuus & inſeparabilis.

Ad aſſequenda alimenta requiritur paupertas; advertit *Fargnan. de jure part. 1. can. 3. caſ. 1. n. 8.* quod paupertas non debet eſſe extrema, ſed ſufficit talis ut Patronus vivere nequeat habito reſpectu ad ejus gradum, & conditionem. Verum idem auctor d. *part. 1. can. 3. caſ. 1. n. 1.* ſuſtinet, quod Patrono non debentur alimenta, ſi habeat fratrem divitem, vel ſalva honeſtate, poſſit ſibi victum ex induſtria quærere.

Petit Orator ſuſpenſionem onerum Capellaniæ; non abs re erit referre Sententiam *Lambertini de jurepat. lib. 3. quæſt. 2. art. 3. num. 1. 7. 8. Piring. lib. 3. decret. tit. 38. num. 37. Reiffenſtuel. ibidem num. 115. Barboſ. juris Eccleſ. univerſ. lib. 3. cap. 12. num. 217., & aliorum*, qui tenent alimenta Patrono præſtanda eſt ab Eccleſia, ſeù Beneficiato ſolum ex ſuperfluis, & propterea Eccleſiam, & Beneficiatum debere prius providere propriæ neceſſitati, & cultui Divino, & deinde si quid ſupererit, Patrono ſuccurrendum. Quid vero in præſenti caſu agendum ſit, definient EE. PP. a quibus quæritur.

An ſit locus ſuſpenſioni onerum Miſſarum ad effectum ſubminiſtrandi alimenta Oratori in caſu &c.

FOROLIVIEN. Ordo Servorum Beatæ Mariæ Virginis inter alios Sanctitate, & Miraculorum fama inſignes Viros numerat etiam Divum Peregrinum Latioſum, qui Civis eſt Forolivienſis, & cujus Exuviæ in Eccleſia ejuſdem Ordinis, in ea Civitate publicè Fidelium venerationi aſſer- *Seſſ. 22. cap. 9. de Reform.*

servantur. Ad augendam in terris hujus Sancti gloriam, & cultum, communi omnium tum Religiosorum, tum Civium studio, Beatificationis, & Canonizationis Causa instructa fuit; Deputata etiam de Episcopi consensu peculiari nonnullorum Forolivienſium Congregatione, cujus cura esset pias Fidelium oblationes excipere, illasque custodire pro necessariis in eam Causam sumptibus. Anno 1726. a san. mem. Benedicto XIII. Beatus Peregrinus in Sanctorum album relatus fuit. Peracto solemni Canonizationis Festo, compertum est contractum fuisse æs alienum cum Mensa nummularia S. Spiritus de Urbe in summa sc. 5223.. Ad illud dimittendum dissidia inter Communitatem, & Religiosos Ordinis Servorum suborta sunt, & ut illa dirimerentur, placuit eidem Pontifici particularem Congregationem deputare.

Habita fuit hujusmodi Congregatio die 15. Julij 1727., & definitum extitit *Religionem Servorum Beatæ Mariæ Virginis teneri ad summam deficientem pro complemento expensarum Canonizationis S. Peregrini, illique pro effectu hujusmodi competere optionem, vel solvendi totam summam deficientem, quæ est sc. 5223. reportata ad sui favorem cessione omnium, & singulorum capitalium Forolivii existentium tam pro ipsa Canonizatione, quam pro manutentione Altaris, & Capellæ destinatorum, eorumque fructuum decursorum, & decurrendorum, ac juris cogendi Administratores multiplici ad redditionem rationis prout de jure, vel solvendi tantummodo summam sc. 1200. relictis omnibus præfatis capitalibus, eorumque fructibus penes Forolivienses, ut ipsi ex illorum venditione reliquatum dictæ summæ deficientis teneantur ad Urbem transmittere pro complenda dictarum expensarum solutione, cum hoc tamen, quod utroque casu semper Religio in posterum teneatur ad manutentionem dicti Altaris, & Capellæ*; Et hæc resolutio auctoritate laudati Pontificis Benedicti XIII. fuit confirmata.

Placuit PP. Servitis secundam resolutionis partem eligere, & onus assumpserunt solvendi sc. 1200., & manutenendi Altare, & Capellam; Quare die 26. ejusdem mensis Junii aliud eadem Congregatio decretum edidit, quo declaravit ut = *Attenta hujusmodi electione, omnia, & singula capitalia tàm in Causa Canonizationis, quam in altera manutentionis Capellæ cantantia, eorumque fructus remaneant libere penes Dominos Administratores Forolivij, quorum ideo incumbentia est transmittendi quam citius ad Urbem reliquam summam scut. 4023., sicuti in vim præfatæ*

fatæ resolutionis, & respectivè electionis transmittere teneantur. Qui administrationi bonorum, & reditum tam Capellæ, & Altaris, quam capitalium Causæ Canonizationis præerant, nedum acceptarunt alteram resolutionis partem dimittendi nempe æs alienum in summa scutorum 4023., verum etiam pro eximia erga Divum Peregrinum devotione, obligationem emiserunt manutenendi Altare, & Capellam uti prius ab ipsis factum fuerat, idque probarunt etiam, ratumque habuerunt PP. Servitæ, atque idcirco eadem particularis Congregatio die 27. Septembris ejusdem anni 1727. decrevit = *Manutentionem Capellæ, & Altaris prædictorum, ut prius, in posterum stare ad onus præfatorum Administratorum, quibus propterea facultas quoque administrandi capitalia, & reditus memoratæ Capellæ, eo modo, quo huc usque praticatum fuit, & non alias, debebit pertinere.*

Cum autem Administratores prædicti pro dimissione debiti non aliam tunc haberent summam quam scutorum quingentorum, hinc Communitati Forolivij facultas ad eodem Pontifice impertita fuit vendendi tot Loca Montium Communitatis sub expressa lege, quod Communitas reintegraretur ex reditibus, & capitalibus ad Patrimonium Causæ canonizationis pertinentibus; Vendita fuerunt Loca Montium, & Administratores promiserunt indemnem servare Communitatem, & in casu extinctionis alicujus census ad illam Causam spectantis, sese obstrinxerunt summam ab hujusmodi extinctione retrahendam in dimissionem Locorum Montium erogare.

Anno 1774. Congregatio sub nomine Divi Peregrini Forolivij erecta, necnon Communitas ejusdem Civitatis in judicium coram A.C. vocarunt PP. Servitas, & manuteneri petierunt in possessione manutenendi, & ornandi Capellam, & Altare Divi Peregrini in Ecclesia eorumdem PP. erectam, ac custodiendi claves urnæ, in qua ejusdem Sancti Corpus asservatur; Insuperque illius Festivitatem celebrandi, & deputandi Oratorem sibi benevisum, qui die ejusdem Festivitatis panegiricam Orationem haberet hora a Civitatis Magistratu præfinienda; Præterea conquirendi tam intra, quam extra Civitatem eleemosynas, & oblationes, quæ a Fidelibus in honorem ejusdem Sancti exhiberentur, ac demum administrandi quoscumque reditus, bona, & capitalia ad eamdem Capellam spectantia, cum onere tamen reintegrandi Communitatem de summis ab ea erogatis in Causam Canoni-

za-

zationis. Petitiones hujusmodi a SSmo Domino Nostro ad Sac. Congregationem ablegatæ sunt, omnesque viginti dubijs dispartitæ, sapienti Judicio EE. VV. exhibentur. Partes propria jura deducunt in eorum Libellis hinc inde distribuendis: prætermissis iis, quæ ibi exposita sunt, præstat solum nonnulla ad singula dubia adnotare pro illorum dilucidatione.

Ad I. Dubium advertendum est, quod *Pignat. tom.* 10. *consult.* 59. *num.* 7. refert resolutionem Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium editam in Causa *Auximana* his verbis = *Claves Reliquiarum, quæ sunt in Ecclesiis Regularium non debent remanere apud Sæculares, licet Dominos Capellarum, ubi custodiuntur*; Notat tamen *Barbosa in Sum. Apostolic. decis. verb. Reliquiæ Sanctorum numer.* 9., quod Sac. Congregatio Rituum in *Litteren.* 8. *Maii* 1604. definivit unam ex clavibus Reliquiarum Sanctorum Patronorum concedi posse Magistratui Sæculari ejusdem Civitatis, & *Monacel formul. legal. tom.* 1. *tit.* 5. *for.* 1. *num.* 39. affirmat id fuisse etiam decisum a Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium in *Civitatis Castellanæ* 6. *Aprilis* 1696.; Verum sequenti *num.* 40. Ait prædicta locum habere, si Laici ex consuetudine, vel alio justo titulo, puta consensu Rectoris Ecclesiæ reperiantur in possessione retinendi clavem, nec non in casu quo Laici donare vellent Ecclesiæ Reliquiam aliquam insignem, aut Capellam ex integro pro custodiendis Reliquiis construere cum reservatione juris retinendi clavem; Cæterum si Laici in præteritum nunquam clavem retinuissent, sed illam consequi prætenderent, ex quo sint Ecclesiæ Benefactores, vel Patroni, nulla accedente jurium reservatione, vel quia agatur de Reliquia S. Protectoris Loci, & pro honorificentia Magistratus Laici, clavem peterent, tunc invito Rectore Ecclesiæ non possunt hanc prærogativam prætendere, quia in Ecclesijs servitutes imponendæ non sunt sine Apostolico Indulto.

Ad II. Dubium, quod attinet, statuit S. Carolus Borromæus *in Concilio Mediolanensi V. §. Quæ ad dies festos, & Sacra tempora pertinent*; quod = *Sicut in Anniversariis solemnitatum sanctioribus celebritatibus festivius canimus laudes, solemniusque Ecclesiastica celebrantes Officia modulamur organis, prætiosiorique vestium apparatu induimur: ita diligentes nos domus Dei decorem, & locum habitationis gloriæ ejus, curare debemus, ut quo spiritalis lætitiæ nostræ manifestiora signa demus, Divinorum beneficiorum, quæ iis potissimum solemnita-*

tatibus recolimus, memoria excitati templa etiam ornatiora, quam aliis diebus appareant, tum ad augustiorem cultum, tum ad Fidelium consolationem. Itaque die Natali Domini . . . . Festoque die S. Patroni Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum, Parochialium præsertim insignium curet Præfectus uniuscujusque Ecclesiæ, pro locorum ratione, proque facultatibus, ut januæ quemadmodum institutum est, usuque Romano comprobati, & a B. Hieronymo laudati frondibus etiam ornentur, prout tempora tulerint, tum parietes interiores, atque intercolomnia peristromatis, aulæis, tapetibus Sacrarumque Imaginum tabulis exornata sint. Quo in apparatu, ornatuque Sacræ Imagines, etiam in ipsis Foribus exhibeantur. Insignia vero, & alia profana absint. Acta Ecclesiæ Mediolanensis Editionis Patavinæ Part. 1. pag. 181. Colum. 1. = Videndum quid hac de re disponant Synodales Constitutiones Forolivienses, & quid hucusque servatum fuerit.

Quoad III., & IV. *Ursaj. discept. Ecclesiast. tom. 3. part. 2. discept. 13. num. 6., & 22.* sustinet quod si agatur de Functionibus, quæ peragi possunt in Altari absque ulla Ecclesiæ servitute, ut est Missarum celebratio sine cantu, & tunc Capellæ Patronus illas explere non prohibetur; Secus tamen si agatur de Functionibus publicis, quæ in tota Ecclesia servitutem inducunt, eo enim casu requitur consensus Rectoris Ecclesiæ.

Agitur in Dubiis V. VI. VII., & VIII. de Oratione Panegirica habenda die festo S. Peregrini, nempe qua hora, & cujus sumptibus sit habenda, & ad quem pertineat Concionatoris electio, & an semper esse debeat de Ordine Servorum Beatæ Mariæ Virginis. Plurimum sane convenit, ut die festivo alicujus Sancti de ejus laudibus Oratio habeatur; Electionem autem Concionatoris docet *Bos. de Sodalit. quæst. 20. num. 1.* ad eum pertinere, qui præmium ei solvit; verum advertit *Monacell. Formul. Legal. tom. 1. tit. 12. formul. 7. num. 12.*, quod si alius eligat Concionatorem, alius vero eleemosynam solvat, ab hac consuetudine non sit recedendum, nec eum qui præmium solvit assumere sibi posse jus nominationis. Advertit etiam *Fagnan. in Cap. Inter cætera de Offic. Ordin. num. 32.* servandam esse consuetudinem, quod in Ecclesiis Regularium deputantur Concionatores etiam alterius Ordinis; verum si Concionatores ejusdem Ordinis haberi possint, cæteris paribus sint præferendi. Demum quoad tempus, quo Concio haberi debet, in *Rubrica* Missa-

lis Romani *tit. Ritus celebrandi Missam* § 6. *num.* 6. hæc habentur = *Si autem sit prædicandum, Concionator finito Evangelio prædicet; & Sermone, sive Concione expleta, dicatur* Credo, *vel si non sit dicendum, cantetur* Offertorium =.

Quæstio est Dubiis IX. X. XI. XII. de jure colligendi eleemosynas, & oblationes; Animadvertere præstat, quod Altare, & Capella Divo Peregrino sacra manuteneri debent a Forolivienſibus juxta onus assumptum an. 1727.; Hinc videndum an ipsis competat jus colligendi, & administrandi eleemosynas independenter a Religiosis Servitis.

Quod respicit Dubium XIII. notanda sunt, quæ præcipit Concilium Tridentinum *Sess.* 22. *cap.* 9. *de Reform.*, quod nempe = *Administratores tàm Ecclesiastici, quàm Laici Fabricæ alicujus Ecclesiæ etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, Eleemosynæ, Montis Pietatis, & quorumcumque Locorum Piorum singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus, & privilegiis quibuscumque sublatis, nisi secus fortè in institutione talis Ecclesiæ, seù Fabricæ expressè cautum esset; Quod si ex consuetudine, aut privilegio, aut constitutione aliqua Loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius, & aliter factæ liberationes dictis Administratoribus minime suffragentur.*

Monet *Fagnan. in Cap. ad hæc de Religiosis Domibus num.* 31. & 32.; Quod Episcopus potest exigere ab Administratoribus Locorum Piorum redditiones rationis singulis annis non obstante contraria consuetudine etiam immemorabili. Synodus Forolivienſis habita ab Episcopo Piazza *cap* 24. ita statuit = *Rationum redditio singulis saltem trienniis omnimode expleatur, integrum tamen nobis erit illam sæpius, & pro libito exigere, quæ verò rationum redditio a nobis probata non fuerit, nulla sit, nullamque executionem mereatur*; Nec est prætereundum, quod cum nonnulli Cives Forolivienſes conquesti fuissent de minus recta administratione bonorum spectantium ad Capellam S. Peregrini, die 11. *Septembris* anni 1762. Sacra hæc Congregatio mandavit Episcopo = *ut juris remediis cogat, atque compellat Deputatos, & Administratores ad redditionem rationis Capellæ de qua agitur, præfixo ad hunc effectum competenti termino* = *lib.* 32 *Lit. Sac. Congregationis*. Videndum, an Administratores rationem reddiderint juxta formam a Concilio Tridentino, & Synodalibus constitutionibus præfinitam.

Ad

Ad Dubia XIV. , & XV. præ oculis habendæ sunt resolutiones Congregationis particularis anni 1727. ; Insuperque perpendendum est Chirographum San. Mem. Benedicti XIII. quo facultas tributa est Communitati Forolivij vendendi Loca Montium ad dimittendum æs alienum contractum pro Causa Canonizationis Divi Peregrini. Animadvertendum, an adimpletæ fuerint conditiones in eodem Chirographo adjectæ, & quid modo expediat .

Pro resolutione Dubii XVI. inquirendum est, an Patres Servitæ interesse habeant super bonis spectantibus ad Capellam Divi Peregrini , & idcirco videndum , quibus legibus administratio tributa fuerit Communitati .

Ad solutionem Dubiorum XVII. , & XVIII. observandum est Decretum Synodi Forolivii habitæ ab Episcopo Rasponi ita conceptum = *Qui in Administratores Locorum Piorum assumuntur . . . . singulis triennijs ab officio amoveantur , nec sine nostro consensu confirmentur* = . Idipsum quoque præcipitur in alia Synodo ab Episcopo Piazza his verbis = *Officiales quocumque nomine ii nuncupentur , ultra triennium munus exercere non præsumant , & absque peculiari nostra facultate ne confirmetur* . Sacra Congregatio in *Civitatis Plebis* ad Dubium V. = *An liberè possint Confratres Mortis juxta eorum Statutum confirmare veteres Officiales , seù de novo eos eligere , qui recenter fuerunt in officio absque licentia Ordinarii , ita ut sit locus moderationi edicti etiam in hac parte in casu &c.* Die 22. *Martij* 1760. plenis suffragiis respondit *Negative* .

Pro examine Dubij XIX. redeunt , quæ animadversa sunt in Dubio XIII. Demum ad Dubium *XX. Monacell. formular. legi tom. 1. tit. 6 for. 11. num. 24.* cum aliis ab eo allegatis sustinet , quod Officialium electio pertinet ad Confratres , confirmatio vero ad Episcopum , imo , & electio ad eumdem Episcopum spectat, si Confratres in sufficienti numero per triplex scrutinium non convenerint . Sacra Congregatio in *Senogallien. juris suffragandi , & deputandi Capellanos* proposito Dubio – *An temporalis deputatio Capellanorum in discordia Confratrum spectet ad Episcopum , vel potius ad Gubernatorem , & Officiales dictæ Confraternitatis in casu &c.* die 4. *Junij* 1701. decrevit = *Spectare ad Episcopum post tertium scrutinium . lib. 51. decret. pag.* 306.

Emi Patres , qua ornantur juris prudentia, dignabuntur respondere Dubiis .

I. *An claves aperientes Ribaltas exterius claudentes Urnam , in qua Sacrum Divi Peregrini Latiosi Corpus asservatur*

in Eccleſia Patrum Servorum B. M. V. Forolivii, retinendæ ſint ab iiſdem Patribus, ſeu potius Communitati competat jus retinendi alteram ex illis in caſu &c. ?

II. *An, & quomodo Solemnitas in honorem Divi Peregrini quotannis habenda die* 1. *Maii, in eadem Eccleſia celebrari quoad Eccleſiaſticas Functiones debeat in caſu &c.* ?

III. *An dictæ Communitati competat jus celebrandi in Capella Divi Peregrini alias Solemnitates, & Functiones in caſu &c.*

Et quatenus affirmativè.

IV. *An, quo tempore, quibus modis, & formis, quorum conſenſu, & facultatibus dictæ Functiones, & Solemnitates ſint celebrandæ in caſu &c.* ?

V. *An in die Feſto Divi Peregrini habendo die* 1. *Maij recitanda ſit Oratio Panegirica in caſu &c.*

Et quatenus affirmativè.

VI. *An, & cui competat jus eligendi Oratorem, quo præmio, & ex quibus bonis, ſeu reditibus ſit illud perſolvendum in caſu &c.*

Et quatenus affirmativè quoad Communitatem.

VII. *An ab eadem Communitate deputandus ſit pro eodem effectu Religioſus Ordinis Servorum B. M. V. in caſu &c.*

VIII. *An, qua die, quo tempore, & qua hora dicta Panegirica Oratio ſit recitanda in caſu &c.* ?

IX. *An, & cui, & quibus in locis competat jus colligendi quæſtuas, eleemosynas, atque oblationes in Sancti, ejuſque Altaris honorem, & venerationem a Fidelibus exhibitas, & exhibendas in caſu &c.* ?

X. *An, quando, quomodo, ſub quibus conditionibus, dependentiis, atque licentiis, eædem quæſtuæ, eleemosynæ, atque oblationes uſum tam certum, quam incertum habentes, ſint colligendæ, & reſpectivè erogandæ in caſu &c.* ?

XI. *An, & a quo retinenda ſit clavis capſulæ eleemoſynarum in honorem Divi Peregrini colligendarum, & in pariete ejuſdem Capellæ exiſtentis in caſu &c.* ?

XII. *An, & cui PP. Ordinis Servorum B. M. Virginis Conventus Forolivien. teneantur reddere rationem de quæſtuis, & eleemosynis oblatis in honorem, & cultum Divi Peregrini, ejuſque Altaris per eos collectis in caſu &c.* ?

XIII. *An, & cui, a quo tempore, & coram quibus ab Adminiſtratoribus Communitatis reddenda ſit ratio bonorum, capitalium, & redituum quomodolibet ſpectantium ad Altare, & Capellam Divi Peregrini in ſupradicta Eccleſia Patrum Servorum erect. in caſu &c* ?

XIV. *An poſt redditam rationem prædictam, Communitas rein-*

te-

tegrare se debeat de impensis factis in Canonizatione Divi Peregrini, juxta formam, ac tenorem Chirographi S. M. Benedicti XIII. signat. die 1. Octobris anni 1727., quomodo, & quo tempore in casu &c. ?

Et quatenus Affirmativè.

XV. *An Communitas teneatur extinguere Loca Montium, de quibus fit mentio in dicto Chirographo, & docere de adimplemento in Actis Sac. Congregationis in casu &c* ?

XVI. *An Priori, vel Procuratori dicti Conventus competat jus interessendi Congregationibus haberi solitis super negociis respicientibus Capellam, & Altare Divi Peregrini, illiusque bona, & reditus, itaut Communitas teneatur illos interpellare in casu &c.* ?

XVII. *An Communitati liceat deputare Administratorem eorumdem bonorum, ac redituum ultra triennium in casu &c.* ?

XVIII. *An, elapso triennio, liceat Communitati confirmare dictum Aliministratorem in Officio absque licentia Ordinarii, & non reddita prius ratione, ac reliquatu non persoluto in casu &c.* ?

XIX. *An Aliministratores pro tempore, si præsertim ab Ordinario fuerint requisiti, teneantur singulis etiam annis rationem reddere de supradictis bonis, atque reditibus in casu &c.* ?

XX. *An renuente, vel differente Communitate dictum Administratorem eligere, valeat Ordinarius illum eligere, & deputare ex Officio, atque independenter a Communitate in casu &c.* ?

NUCE-

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

NUCERINA CANONICATUS. Per obitum Sacerdotis Josephi Bravi secutum in mense Februarii anni 1782. vacavit in Ecclesia Collegiata Saxoferrati Canonicatus de jurepatronatus Vexilliferi ejusdem Oppidi. Cum autem eo tempore Antonius Agostini, & Benedictus Marini de hujusmodi Officio decertarent, quisque devenit ad præsentationem Canonici. Primus enim præsentavit Aloysium Cesauri, alter vero Odoardum Marini, qui a Dataria Apostolica petiit institutionem; Obstitit tamen Clericus Cesauri, & Emus Pro-Datarius quæstionis indaginem detulit ad Sacram Congregationem. Proposita Causa die 10. *Januarij currentis anni*, nulla tunc prodiit resolutio, mandatumque extitit, ut transmitteretur integra Canonicatus fundatio. Hanc exhibet modo Clericus Marini, qui denuo instat pro quæstionis definitione; Præstat resumere Folium distributum in Congregatione diei 29. *mensis Novembris* anni elapsi, in quo Causa descripta fuit, & decernere.

An, & cui sit danda institutio in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ÆSINA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Joannes Maria Ingegneri Sacerdos Oppidi Cupræ Montanæ vulgò *del Massaccio* in testamento, quod condidit anno 1760. hæredi injunxit = *Che ogni anno si debba fare un Bussolo di sei Zitelle povere, e abili a maritarsi, quale voglio, che debba farsi otto giorni prima della Festa della SSma Trinità alla presenza delli Signori Curati pro tempore di S. Lorenzo coll' intervento de miei Eredi, e Successori, se vi saranno, altrimenti intendo, che detto Bussolo debba farsi alla presenza delli Signori Priori della Communità di questa Terra, che regeranno in detto mese; Il giorno poi della SSma Trinità alla Messa solenne voglio, che se ne abbia a fare l'estrazione presenti li sudetti chiamati per l'assistenza, e quelle veranno estratte in occasione del loro accasamento, voglio gli si diano scudi dieci per ciascuna per pura limosina* =.

Obiit

Obiit Testator anno 1761., & ejus voluntas ad hæc usque tempora fuit adimpleta; Experientia tamen compertum est, quod quandoque Puellæ extractæ decedunt antequam matrimonium ineant; hinc dubium oritur, an dotalia subsidia, quæ per illarum obitum reincidunt, ad Testatoris hæredes liberè spectent, vel potius eadem subsidia conferri debeant aliis Puellis; Dubij solutionem postulat Margharita Grana Leoni, quæ Sacerdotis Ingegneri hæreditatem modo possidet.

Advertit præstationem demandatam fuisse in casu, quo Puellæ extractæ Matrimonium contrahant; hinc si decedant ante Matrimonium, non verificari conditionem a Testatore volitam; Urget insuper legatum, quod resolvitur ob conditionis inadimplementum liberè ad hæredem devolvi; quare existimat præfata subsidia dotalia, quæ revertuntur per obitum Puellarum ante Nuptias, ad liberam hæredis dispositionem pertinere; Nec teneri hæredem aliam Puellam substituere, ut adimpleat Testatoris voluntatem. Notat enim, quod si id Testator voluisset, demandasset utique, præsertim quia non rarò contingere solet, quod Puellæ innuptæ decedant. Ex silentio proinde Testatoris argumentum educit pro exclusione novæ collationis. Idque conforme esse consuetudini vigenti in Oppido Massacci, ubi subsidia dotalia, quæ revertuntur per decessum Puellarum ante Matrimonium aliis Puellis non conferuntur, sed ad Collatores pertinent.

Episcopus ait = *Perpensa Testatoris dispositione, comperi nullam legem, aut conditionem Testatorem expressisse in casu, quo una, vel altera Puella, cui contigisset ex sorte dos, decessisset antequam nuberet, altera sufficeretur* = Addit insuper quod = *In hac Civitate idem contingere solet; Etenim aliquæ Societates, quæ gravantur oneribus Puellis sorte eligendis, si aliqua ex hac vita migraverit, vel non nupserit, nullam aliam sorte eligendam Societas substituere tenetur, præcipue Societas Sanctæ Mariæ Mortis, quæ præter hujusmodi dotes, quas non nuptis, vel decessis, ex quo Institutores nihil expresse decreverint, alias Puellas non substituit, è contra verò duas dotes appellatas = le spallate = sorte conferendas cum hac conditione, quod infra sex menses nubere teneantur, & si hoc tempus præterierit, hujusmodi dote privantur juxta Institutoris voluntatem, & solum concurrere possunt cum aliis Puellis ab urna sorte extrahendis.* Votum aperiens concludit = *Quare cum in casu expositio Testator non expresserit, quod alia sufficeretur loco alterius, vel non nuptæ, vel si obierit ante nuptias*

nuptias , non teneri hæredes aliam subrogare , quare censerem annui posse petitis , quia quod voluit Testator expressit, quod non expressit, noluisse putatur .

Non semel in Rota quæstio orta est an dotalia subsidia , quæ redeunt ad Loca pia , ex quo Puellæ sorte extractæ innuptæ decedant , vel contracto Matrimonio sine filiis moriantur,aliis Puellis sint conferendæ . *Decis.* 500. *coram Buratt. num.* 5. firmat regulam , quod hujusmodi dotes sive post Matrimonium , sive ante nuptias quomodocumque restituendæ,erogandæ sint in dotandis aliis Puellis , idque ex verosimili mente Testatoris , qui in dotium institutione nullam peculiarem personam respexit , sed solum præ oculis habuit Causam piam . Verum *in Romana Electionis Puellarum* 27. *Novembris* 1624. *coram Pirovano* , quæ est impressa post *Constantinum Vot. decis. Vot.* 298. *numer.* 24. , & 25. unum ab altero casu distinguit ; ait enim quod si dotalia subsidia revertantur , ex quo Puellæ jam contracto Matrimonio sine filiis decedant , tunc cum effectus nominationis secutus jam fuerit,liberè redeunt adLoca pia ; Secus tamen si Puellæ innuptæ decedant,quia cum in eo casu per solam nominationem Testatoris voluntati non fuerit satisfactum , idcirco statuit ad alteriusPuellæ nominationem deveniendum .

Sac. Congregatio In *Romana Subsidiorum dotalium*,cumArchiconfraternitas SSmæ Annunciationis Urbis contenderet , quod Familia Ruspoli habens facultatem nominandi singulis annis duas Puellas ad bina subsidia dotalia non posset devenire ad nominationem alterius , ob decessum Puellæ secutum ante contractum Matrimonium, proposito dubio = *An in casibus decessus Puellarum nominatarum ante exactionem subsidij , de quo agitur , sit locus nominationi aliarum Puellarum favore Principis Ruspoli in casu &c.* Die 20. *Januarij* 1770. respondit = *Affirmativè* = Rursus in *Lucana* cum Pium Opus Collegiatæ SS. Paulini,&Donati petiisset facultatem erogandi in fabricam Ecclesiæ subsidia dotalia ab eo collata,quæque ob decessum Puellarum ante matrimonium reincidunt , præsertim quia Testator in hujusmodi casu de nominatione alterius Puellæ nihil edixerat : disputato dubio = *An* , *& quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.* Die 22. *elapsi mensis Maii* responsum fuit =*Negative*= Hisce prænotatis, decernendum erit .

An in casibus decessus Puellarum nominatarum ante Matrimonium sit locus extractioni aliarum Puellarum ,seu potius legatum cedat commodo hæredis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 11. *Septembris* 1784. *in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

QUatuor in præsenti Folio describuntur Causæ; reliquas vero habent Eminentissimi PP. in Folio postremæ Congregationis.

FOROLIVIEN.

I. *An claves aperientes Ribaltas exterius claudentes Urnam, in qua Sacrum Divi Peregrini Latiosi Corpus asservatur in Ecclesia Patrum Servorum B. M. V. Forolivii, retinendæ sint ab iisdem Patribus, seu potius Communitati competat jus retinendi alteram ex illis in casu &c.?* *Sess. 22. cap. 9. de Reform.*

II. *An, & quomodo Solemnitas in honorem Divi Peregrini quotannis habenda die 1. Maii, in eadem Ecclesia celebrari quoad Ecclesiasticas Functiones debeat in casu &c.?*

III. *An dictæ Communitati competat jus celebrandi in Capella Divi Peregrini alias Solemnitates, & Functiones in casu &c.*

Et quatenus affirmativè.

IV. *An, quo tempore, quibus modis, & formis; quorum consensu, & facultatibus dictæ Functiones, & Solemnitates sint celebrandæ in casu &c.?*

V. *An in die Festo Divi Peregrini habendo die 1. Maij recitanda sit Oratio Panegirica in casu &c.*

Et quatenus affirmativè.

VI. *An, & cui competat jus eligendi Oratorem, quo præmio, & ex quibus bonis, seu reditibus sit illud persolvendum in casu &c.*

Et quatenus affirmativè quoad Communitatem.

VII. *An ab eadem Communitate deputandus sit pro eodem effectu Religiosus Ordinis Servorum B. M. V. in casu &c.*

VIII. *An, qua die, quo tempore, & qua hora dicta Panegirica Oratio sit recitanda in casu &c.?*

IX. *An, & cui, & quibus in locis competat jus colligendi quæ-*

ſtuas, eleemosynas, atque oblationes in Sancti, ejuſque Altaris honorem, & venerationem a Fidelibus exhibitas, & exhibendas in caſu &c. ?

X. *An, quando, quomodo, ſub quibus conditionibus, dependentiis, atque licentiis, eædem quæſtuæ, eleemosynæ, atque oblationes uſum tam certum, quam incertum habentes, fint colligendæ, & reſpectivè erogandæ in caſu &c.* ?

XI. *An, & a quo retinenda ſit clavis capſulæ eleemoſynarum in honorem Divi Peregrini colligendarum, & in pariete ejuſdem Capellæ exiſtentis in caſu &c.* ?

XII. *An, & cui PP. Ordinis Servorum B. M. Virginis Conventus Forolivien. teneantur reddere rationem de quæſtuis, & eleemosynis oblatis in honorem, & cultum Divi Peregrini, ejuſque Altaris per eos collectis in caſu &c.*?

XIII. *An, & cui, a quo tempore, & coram quibus ab Adminiſtratoribus Communitatis reddenda ſit ratio bonorum, capitalium, & redituum quomodolibet ſpectantium ad Altare, & Capellam Divi Peregrini in ſupradicta Eccleſia Patrum Servorum erect. in caſu &c* ?

XIV. *An poſt redditam rationem prædictam, Communitas reintegrare ſe debeat de impensis factis in Canonizatione Divi Peregrini, juxta formam, ac tenorem Chirographi S. M. Benedicti XIII. ſignat. die 1. Octobris anni 1727., quomodo, & quo tempore in caſu &c.* ?

Et quatenus Affirmativè.

XV. *An Communitas teneatur extinguere Loca Montium, de quibus fit mentio in dicto Chirographo, & docere de adimplemento in Actis Sac. Congregationis in caſu &c.*?

XVI. *An Priori, vel Procuratori dicti Conventus competat jus intereſſendi Congregationibus haberi ſolitis ſuper negociis reſpicientibus Capellam, & Altare Divi Peregrini, illiuſque bona, & reditus, itaut Communitas teneatur illos interpellare in caſu &c.* ?

XVII. *An Communitati liceat deputare Adminiſtratorem eorumdem bonorum, ac redituum ultra triennium in caſu &c.* ?

XVIII. *An, elapſo triennio, liceat Communitati confirmare dictum Adminiſtratorem in Officio abſque licentia Ordinarii, & non reddita prius ratione, ac reliquatu non perſoluto in caſu &c.* ?

XIX. *An Adminiſtratores pro tempore, ſi præſertim ab Ordinario fuerint requiſiti, teneantur ſingulis etiam annis rationem reddere de ſupradictis bonis, atque redditibus in caſu &c.* ?

An

XX. *An renuente, vel differente Communitate dictum Administratorem eligere, valeat Ordinarius illum eligere, & deputare ex Officio, atque independenter a Communitate in casu &c.?*

Ad I. Negativè ad primam partem: Affirmativè ad secundam.

Ad II. Affirmative, servata forma decretorum S. Cong. Rituum, & Constitutionum Synodalium; & amplius.

Ad III., & IV. Affirmativè de consensu Religiosorum, & cum licentia Episcopi juxta modum, & formam ab eodem Episcopo præscribendam; & amplius.

Ad V. Arbitrio Episcopi; & amplius.

Ad VI. Jus eligendi Oratorem competere Administratoribus, & præmium Oratoris taxandum esse ab Episcopo persolvendum ex reditibus Capellæ.

Ad VII. Affirmative cæteris paribus.

Ad VIII. Arbitrio Episcopi; & amplius.

Ad IX. Jus colligendi eleemosinas intrà Ecclesiæ ambitum competere Religiosis: Extra Ecclesiam verò competere Administratoribus Capellæ de licentia Episcopi; & amplius.

Ad X. Eleemosinas ab Administratoribus Capellæ colligendas esse juxtà modum, & formam ab Episcopo præscribendam, & eas erogandas esse vel juxtà mentem Offerentium, vel juxta decretum anni 1727.: Quæ verò colliguntur a Religiosis in honorem S. Peregrini intrà ambitum Ecclesiæ, consignandas esse Depositario ejusdem Capellæ; & amplius.

Ad XI. Esse retinendam ab Administratoribus.

Ad XII. Teneri reddere rationem Episcopo; & amplius.

Ad XIII. Rationem reddendam esse Episcopo ab anno 1781. tantum; & amplius.

Ad XIV., & XV. Affirmativè, & doceat de adimplemento cor. Episcopo; & amplius.

Ad XVI. Negativè; & amplius.

Ad XVII. Negativè; & amplius.

Ad XVIII. Negativè; & amplius.

Ad XIX. Affirmativè; & amplius.

Ad XX. Affirmativè; & amplius.

Reliquæ non propositæ.

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

MONTIS FALISCI BENEFICIORUM.

An servanda sit erectio duplicis Beneficii facta ad formam testamenti quondam Liberati Emilii, seu potius reformanda ad formam codicilli in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

CAMERINEN.

An sit locus suspensioni onerum ad effectum submiaistrandi alimenta Oratori in casu &c.

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

NUCERINA CANONICATUS,

An, & cui sit danda institutio in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ÆSINA SUBSIDIORUM DOTALIUM.

An in casibus decessus Puellarum nominatarum ante Matrimonium sit locus extractioni aliarum Puellarum, seu potius legatum cedat commodo hæredis in casu &c.

VI.

VISEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Julius Emmanuel de Valle-Labo de Torre cum esset in minoribus Ordinibus constitutus Sæculari Militiæ nomen dedit, & in bello cum Idolatris dimicavit. inde vero resumpto Clericali habitu, ementitis sui Ordinarij litteris dimissorialibus, absque Patrimonij titulo, ac omissa ordinatione Subdiaconatus, & Diaconatus, Presbyteratum suscepit, & pluries Missam celebravit. Tandem inquisitus a Curia Ecclesiastica, crimina confessus est; quare ad solutionem mulctæ, & ad pœnam relegationis per quatuor annos damnatus fuit. Pœnam relegationis in Egittanensi Diœcesi explevit, mulctam vero ob paupertatem integre persolvere non potuit, eique illius pars remissa fuit; Nunc autem supplex orat pro dispensatione ab irregularitate, ut in Sacro Presbyteratus Ordine ministrare possit.

Sess. 14. *cap.* 2; & 7. *Sess.* 21. *cap.* 2. *Sess.* 23. *cap.* 14. *de Reform.*

Episcopus facti seriem confirmat, insuperquè testatur, Oratorem sibi = *jam constituisse Patrimonium, honestisque moribus vivere, assiduum in Sacra Eucharistia comitanda, & Gymnasio Theologiæ Moralis frequentando, dignumque reperiri, qui gratiam dispensationum requisitarum impetrare mereatur.*

Præstat recensere causas, ex quibus censeri potest, Oratorem incidisse in suspensionem, & irregularitatem. Pugnavit ipse in bello; Sed in bello dimicare Clericis interdictum est. In *Can.* 82., qui *Apostolici* nuncupantur, statutum legitur = *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, qui militiæ vacaverit, & simul utrumque retinere voluerit, tam Officium Romanum, quam functionem Sacerdotalem deponet, quæ enim Cæsaris sunt Cæsari, quæ Dei Deo*: & Clemens III. *In Cap. In audientia* 25. *de senten. excom.* mandat, quod Clerici Militiæ Sæculari adscripti, si = *a Prælatis suis tertio commoniti militaria noluerint arma deponere, de privilegio Clericorum subsidium aliquod habere non debent.*

Nec solum Clerici amittunt privilegia, si militiam sæcularem sequantur, sed etiam irregularitatem contrahunt, si in bello dimicaverint; Patet id *ex Cap. Petitio* 24. *de homic. volunt. vel casuali*, in qua Honorius III. Pelagio Presbytero sic respondit = *Petitio tua nobis exhibita, continebat, quod cum inimici Dominicæ Crucis, ac blasphemi nominis Christi Castrum quoddam, in quo morabaris graviter invasissent, exeuntibus inde habitatoribus, tam Clericis, quam Laicis contra eos, ac invicem confligentibus hinc inde occisi quamplurimi extiterunt; Unde cum*

pro

pro eo, quod aliquos percussisti, irregularitatem metuas incurrisse; Mandamus, quatenus si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet, a ministerio altaris abstineas reverenter: cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare.

Distinguunt tamen Doctores bellum justum ab injusto. *Covar. in Clem. Si furiosus part. 2. §. 3. num. 2., Majolus de irregularit. lib. 5. cap. 40. num. 5., Barbosa in lib. V. Decret. Cap. Petitio num. 2., Fagnan. ibidem num. 11. ad 13.* sustinent, quod Clerici ad bellum injustum progredientes, irregulares fiunt tam si aliquem occiderint, vel mutilaverint, quam si solo consilio, vel præsentia ad mortem, vel mutilationem alicujus causam dederint, licet mortis, vel mutilationis auctores non fuerint. Inde autem inferunt, quod Clerici irregulares erunt, si socios Milites ad bellum excitaverint, aut timorem adversariis incusserint, ut fugam arriperent, vel mors aut mutilatio sequuta fuerit, quia se defendere non potuerint, & rationem afferunt, quia nempe operam rei illicitæ dederint.

Si verò agatur de bello aggressivo *Card. Petra in commentar. ad Constitut. unic. Gregorij VII. num. 13.* cum aliis ab eo allegatis, contendit, Clericos non incurrere irregularitatem si bellum gesserint moraliter, & probabiliter justum, dummodo propria manu neminem occiderint, vel consilium dederint pro occisione alicujus, etsi simul cum aliis, & ex eadem causa occisio evenerit, secus autem censent si bellum sit injustum, quia cum omnes partem belli constituant, idcirco si mors, vel mutilatio licet aliorum opera sequatur, irregularitatem incurrunt. Advertit tamen, quod bellum diversimode considerari debet justum quoad Laicos, & quoad Clericos, nam Clerici, cum arceantur a militari actione, non possunt interesse bello etiam justo, nisi pro rebus spiritualibus, nempe prædicatione verbi Dei, & Sacramentorum administratione, & in id affert auctoritatem Divi Thomæ, qui *2. 2. quæst. 40. art. 2. ad 2.* ait = *dicendum est, quod Prælati, & Clerici ex auctoritate Superioris possint interesse bellis, non quidem ut ipsi propria manu pugnent, sed ut juste pugnantibus spiritualiter subveniant suis exhortationibus, & absolutionibus, sicuti etiam in veteri lege mandabatur Josue 6., quod Sacerdotes sacris Buccinis in bello clangerent, & ad hoc fuit concessum, quod Episcopi, vel Clerici ad bella procederent, quod autem aliqui propria manu pugnent, abusionis est* =.

Si

Si tamen bellum sit justum, & defensivum Doctores relati a Card. Petra *loco cit. num.* 5. tuentur, quod Clerici bello interessentes, assistentes, operam dantes, arma deferentes, atque aliis suadentes irregularitatem non incurrunt, quamvis plurimorum hostium interitus sequatur, dummodo propriis manibus non occidant, vel mutilent, aut specialiter occisionem, vel mutilationem mandent; Hoc autem Clericis tantum licere existimant, si non adsit sufficiens numerus Laicorum ad defensionem parandam, nam Ecclesiastici in subsidium tantum bello adstare possunt; Sed idem *Card. Petra eodem in loco n.* 7. ait, quod si Clerici in bello defensivo, & justo propriis manibus occidant, vel mutilent, etiamsi in subsidium præliati fuerint, semper irregulares fiunt.

Irregularitatem in bello justo defensivo contractam facilius dispensationem mereri docet idem *Card. Petra num.* 12., & 13. *dicti comment.*. *Thomassin. de nova, & veteri Ecclesiæ disciplina par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 75. *num.* 2. testatur Pius II. irregularitatis dispensationem indulsisse Monacis Presbyteris, & Clericis, qui anno 1459. bellum in Africa gesserant contra Mauros, & Lusitaniæ Regi Altaserram obsidenti adfuerant.

In *Zagabrien. Dispensationis super irregularitate* expositum fuit, quod Capitulum Ecclesiæ Zagabriensis, quod juxta leges Regni, si ageretur de bello pro Catholicæ fidei, & Patriæ defensione, mittebat Milites, quibus præerat aliquis de gremio Capituli; cum autem eam ob causam anno 1685. Capitulum Milites misisset, iisque præesset Archidiaconus, hic Vexilliferum Turcam necavit dum se ab Exercitu Croatio opprimi credebat; quare propositis dubiis I. *An Archidiaco nus ex causa præfata effectus fuerit irregularis in casu &c.* & quatenus affirmative II. *An cum eo sit dispensandum*. Die 17. *Novembris* 1685. Sacra Congregatio respondit ad utrumque = *Affirmativè* = *lib.* 35. *decret. pag.* 451. Rursus *in Salisburgen. Irregularitatis*. Sacerdos quidam sese vendidit Batavis pro servitio maritimo, inde vero egestate pressus arma sumpsit, & in Indiis militiam exercuit, quæsitum fuit I. *An Orator præmissis ex causis inciderit in irregularitatem* = & quatenus affirmativè = II. *An cum eo sit dispensandum* die 14. *Maij* 1689. prodiit resolutio = *Esse dispensandum* = *lib.* 39. *decret. pag.* 161.

Hæc quoad bellum. Nunc de Patrimonio, quo caruit Orator dum Presbyteratum susceperit. Clerici, qui vel absque sufficienti Patrimonio, vel sine ullo prorsus, autementito

ti-

titulo Ordines ſuſcipiunt juxta *Cap. Neminem*, & *Cap. Sanctorum diſtinction.* 70, ab exercitio Ordinum ſuſpenſi remanent, & ſi in Ordinibus miniſtraverint irregulares evadunt; Hanc veterum canonum ſeveritatem quodammodo temperavit Innocentius III. in *Cap. Cum ſecundùm* 16. *de Præbendis*, qui ita ſcripſit Epiſcopo Zamorenſi= *Licet autem Prædeceſſores noſtri Ordinationes eorum, quæ ſine certo titulo promoventur in injuriam Ordinantium, irritas eſſe voluerint, & inanes, Nos tamen benignius agere cupientes, tamdiu per Ordinatores, vel Succeſſores eorum provideri volumus Ordinatis, donec per eos Eccleſiaſtica Beneficia conſequantur*. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 21. *Cap.* 2. *de reform.* præcipit, quod *nullus ad Sacros Ordines promoveatur, niſi prius legitimè conſtet, eum Beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat, pacifice poſſidere..... Patrimonium verò, vel penſionem obtinentes ordinari poſt hac non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum, eo quoque prius perſpecto, patrimonium illud, vel penſionem verè ab eis obtineri, taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint, atque illa deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti, nullatenus poſſint, donec Beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliunde habeant unde vivere poſſint, antiquorum Canonum pœnas ſuper his innovando*.

Dubitatum olim fuit an verba illa Concilii Tridentini= *Antiquorum Canonum pœnas ſuper his innovando* = præferrent innovationem ſupradicti *Cap. Neminem*, & *Cap. Sanctorum diſt.* 70. quibus ſuſpenſionis pœna indicta eſt promotis ad Sacros Ordines cum titulo fictitio. De hac quæſtione fuſius egit *Fagnanus in Cap. Cum ſecundum de Præbendis num.* 63. cum pluribus ſequentibus, & concludit, per Concilium innovatas tantummodo fuiſſe pœnas contentas in Cap. *Cum ſecundum de Præbendis*, & addit fuiſſe per Sacram Congregationem declaratum, quod ſi quis fuerit promotus ad Ordines cum Patrimonio minus ſufficienti ad ſui congruam ſuſtentationem, tenetur Epiſcopus tandiù ex proprio ſupplere, donec promotus competens Beneficium fuerit aſſecutus. Cæterum *n.* 66. aſſerit, ſuſpenſionem adhuc vigere contra Clericos, qui in Ordinatione fraudem commiſerint, & cum ficto Beneficio, vel Patrimonio Ordinantem deceperint, & *n.* 69. refert reſolutionem Sac. Congregationis editam die 27. *Novembris* 1610. his verbis= *Sacra Congregatio Concilij pro-*

propoſito ſupraſcripto dubio omnium ſententiis cenſuit, hoc caſu pœnam ſuſpenſionis ante Concilium non eſſe correctam & hodie a Tridentino Concilio eſſe innovatam, & propterea hujuſmodi Clericum, qui adhibito dolo, confictoque titulo Ordinatores decepit, eſſe ipſo jure ſuſpenſum, carereque Ordinum executione. Et hanc Sac. Congregationis reſolutionem refert etiam San. mem. Benedictus XIV. *Inſt. 26. num. 16.* ubi ſententiam *Fagnani* quoad Clericos cum ficto titulo promotos amplectitur.

Progrediendum ad aliud Oratoris crimen, nempe ad ordinationem ſuſceptam ementitis litteris ſui Ordinarii. Præſtat de hoc animadvertere, quod San. mem. Pius II. in Conſtitutione = *Cum ex Sacrorum Ordinum* = sub datum 17. *Novembris* 1461. hæc ſtatuit = *Cum itaque nonnulli Clerici extra tempora a jure ſtatuta, quidam ante legitimam ætatem, alij vero ſine Dimiſſoriis contra Sanctiones Canonicas ſe faciunt ad Sacros Ordines promoveri; Nos eorumdem temeritatem tali caſtigatione reprimentes, ut aliis impoſterum committendi ſimilia aditus præcludatur, Auctoritate Apoſtolica hac conſtitutione perpetuo valitura ſtatuimus, & ordinamus, quod omnes, & ſinguli, qui abſque diſpenſatione Canonica, aut legitima licentia, ſive extra tempora a jure ſtatuta .... vel abſque dimiſſoriis litteris etiam citra montanis (præter quam ſi in hoc ultimo caſu per Cameram Apoſtolicam juxta illius ſtilum) ordinati fuerint ad aliquem ex Sacris Ordinibus promoveri ſe fecerint a ſuorum Ordinum executione ipſo jure ſuſpenſi ſint.* Pœnam quoque irregularitatis idem Pontifex infligit contra Clericos ſic promotos ſi in ſuſceptis Ordinibus miniſtraverint, nam addit = *Et ſi hujuſmodi ſuſpenſione durante in iis Ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant* = Et Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. Cap. 2. de reform.* præcipit, ut = *Taliter promotus* (id eſt ſine dimiſſorialibus litteris proprii Epiſcopi) *ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum, donec ſuo Prælato viſum fuerit, ipſo jure ſit ſuſpenſus.*

Quæ a Pio II. ſtatuta fuerant, confirmavit San. mem. Clem. VIII. in Conſtitutione = *Romanum Pontificem* = edita die 28. *Februarii* 1569, cujus hæc ſunt verba = *Alias ſanè emanarunt litteræ fel. recordat. Sixti PP. V. Prædeceſſoris noſtri contra Clericos male promotos ... quæ incipiunt* = *Sanctum, & ſalutare ..... Motu proprio, & certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione ſupradictas litteras ad terminos Sacrorum Canonum ac Conſtitutionis recolen-*

dæ memoriæ Pii PP. II. etiam Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit = Cum ex Sacrorum Ordinum = cujus tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, & ad diſpoſitionem decretorum Sac. Tridentini Concilii reſtringimus, ac reducimus, nec non cenſuras, & pœnas in iiſdem Sixti litteris contra quoſcumque &c. moderamur, & abolemus.

Cum autem Orator, ementitis proprrii Ordinarii dimiſſorialibus litteris Ordines ſuſceperit, gravius crimen perpetraſſe videtur. Sane Clericos falſificantes litteras Epiſcopi, vel Capituli ab officio ſuſpenſos eſſe decrevit Innocentius III. *in Cap. Tam litteris veſtris* 33. *de Teſt.*, *& atteſtat.*, ibi = *Archipresbyterum autem Lucanum, & G. Sacriſtam, qui contra prædictum Electum litteras nobis ſub nomine majoris partis Capituli deſtinarunt (cum conſtet per atteſtationes prædictas longe majorem partem Capituli non fuiſſe conſciam hujuſmodi litterarum) ab officio, & Beneficio denuncietis eſſe ſuſpenſos, donec mereantur noſtram indulgentiam obtinere.* Suſpenſionem, quam contrahunt promoti ad Ordines cum falſis dimiſſorijs Sedi Apoſtolicæ eſſe reſervatam, ſuſtinent *Barboſa de officio, & poteſtate Epiſcopi part. 2. allegat. 8. num. 6. Card. Petra in Commentar. ad conſt. 7. Pii. 11. Jeſt. unic. num. 29. Ferrari verb. Ordo ordinare art. 4. num. 25.* : Idque aſſerunt innixi Conſtitutioni Urbani VIII. diei 11. *Decembris* 1624. incipienti = *Secretis* = quæ Conſtitutio refertur a *Barboſa loco citato*.

Denique ſupereſt aliquid animadvertere de promotione ad Presbyteratum non præmiſſo Subdiaconatu, nec Diaconatu. Notat *Thomaſſinus de nova, & veteri Eccleſiæ diſciplina part. 1. lib. 2. cap. 35. per tot.* prioribus Eccleſiæ ſæculis tam apud Græcos, quam apud Latinos minorum Ordinum collationem quandoque fuiſſe prætermiſſam. Refert *num. 11.* exemplum S Hylarij Pictavienſis Epiſcopi, qui B. Martino poſtea Epiſcopo Turonenſi Exorciſtatum contulit, & poſtea prætermiſſis aliis inferioribus Ordinibus, Diaconum ordinavit. *D. Thomas quæſt. 35. Supplem. art. 5.*, id ipſum confirmat, nam aſſerit, in primitiva Eccleſia aliquos ordinatos fuiſſe Presbyteros = *qui prius inferiores Ordines non ſuſceperant* = Quidquid ſit quoad Ordines minores, illud tamen certum eſt, & pluribus Sanctorum Patrum teſtimoniis, & Conciliorum Decretis comprobatum juxta *Thomaſſinum loco cit. Cap. 36. num. 12. 13. 19.*, & 20. quod nullus Presbyter fuit ordinatus, niſi prius in ordine Diaco-

conatus conſtitutus fuiſſet, nec quiſpiam ad Epiſcopatum aſſumebatur, niſi prius eſſet Presbyter.

Attamen diverſimode ſubinde factum eſt; Conſtans enim in Eccleſia invaluit diſciplina, ut omnes ad Sacerdotium gradatim aſcenderent præmiſſis tùm minoribus, tum majoribus Ordinibus, qui gradus tamquam tyrocinium conſtituti ſunt, ne quiſquam temere, præpropere, & per ſaltum ad Presbyteratum aſcendat. Concilium Romanum ſub Nicolao II. celebratum anno 1059. Can. 13. ſtatuit = *Ut nullus Laicus ad quemlibet gradum Eccleſiaſticum repente promoveatur, niſi poſt mutatum habitum ſecularem, diuturna converſatione inter Clericos fuerit comprobatus*. Concilium Rothomagenſe *anni* 1072. *Can.* 10. decrevit *Alii cæteros Ordines non habentes, Diaconi, & Presbyteri conſecrantur, ii digni ſunt depoſitione* = *In Cap. Sollicitudo diſt.* 52. hæc habentur = *Sollicitudo dilectionis tuæ ſtuduit conſulere, utrum portitor iſtarum litterarum Diaconatus, & Presbyteratus officium idoneus ſit peragere, nec ne, cum ad id præpoſtero curſu Subdiaconatus Ordine poſtpoſito, negligentia potius, quam ſuperbia cognoſcatur aſcendiſſe. Unde nos conſulendo charitati tuæ mandamus, ut ab officio Sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum jejunio Subdiaconatus miniſterium ſibi rite imponas, & ſic deinceps ad majora officia eum redire concedas*.

Concilium Tridentinum *Seſſ.* 23. *cap.* 14. *de Reform.* decrevit quod, = *Cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare* = *Fagnanus in cap. Tuæ litteræ de Clerico per ſalt. prom. n.* 21. *ad* 23. ſuſtinet per hoc Concilii Decretum ſublatam fuiſſe quæſtionem, quæ olim inter Doctores vigebat, num ſcilicet promoti per ſaltum eſſent ipſo jure ſuſpenſi, nam advertit, quod cum Concilium permiſerit, ut Epiſcopi poſſint diſpenſare ſi in Ordine ſuſcepto non miniſtraverint, conſequens eſt, quod ſic promotus ipſo jure ſuſpenſus eſſe debeat ab exercitio Ordinum, & ſi Ordines exerceat, irregularitatem incurrat; Addit tamen *num.* 24., & 25. quod adhuc remanet dubium, an Epiſcopus, non obſtante Concilii diſpoſitione, diſpenſare valeat cum eo, qui non miniſtraverit, ſi ſcienter fuerit per ſaltum promotus; Fatetur quod non nulli Doctores affirmativam tuentur ſententiam, contrariam vero magis tutam eſſe teſtatur, quia Sac. Canones de ignoranter promotis per ſaltum tantum loquuntur, & licet Concilium Tridentinum non

distinguat inter Clericum ignoranter, vel scienter promotum, nihilominus ait, quod Decretum Concilij cum ea distinctione intelligendum est, quia lex nova disponens in re antiqua, recipit omnes interpretationes, & limitationes, quas res ipsa in antiquis legibus admittebat, idque procedit etiam si lex nova generaliter loquatur.

Pro indulgenda dispensatione adnotare juvat, quod in *Cap. unic. de Cleric. per salt. promot. Innocentius III. Bononiensi Episcopo* hæc scripsit: *Tuæ litteræ continebant, quod (sicut ex relatione quorumdam receperas) P. Diaconatus Ordine prætermisso se fecisse ad Sacerdotij Ordinem promoveri: Ipse tibi quoque secreto confessus est, se pro certo nescire si res taliter se haberet: Sed ex quo boni Viri hoc asserebant, inter quos fuerat conversatus, credebat assertioni eorum: Eo quod tempore, quo Ordines inferiores susceperat, infra annum discretionis fuerat constitutus, & infra. Mandamus quatenus condignam pœnitentiam pro hujusmodi negligentia injungas eidem: Qua peracta (quia non intelligitur iteratum quod factum esse nescitur) ipsum in Diaconum ordinare procures: Et sic de misericordia eumdem ministrare permittas in Ordine Sacerdotis.*

Hæc animadversione digna visa sunt; Emi PP. pro ea, qua pollent juris Ecclesiastici peritia definiant.

An sit locus dispensationi in casu &c.

Sess. 7. cap. 13. de Reform.

LAURETANA. Cum de mense Maij elapsi anni vacasset in Ecclesia Collegiata Oppidi Montis Cassiani unum ex Beneficiis, cui adnexum est onus Choro interessendi, Confratres SS. Jacobi, & Philippi, ad quos spectat patronatus activus, ad illud præsentarunt Clericum Gervasium Andreani; Is, recepta Sodalium præsentatione, institit in Curia Episcopali Laureti, ut ad Beneficium institueretur; verum Episcopus institutionem denegavit, quia in examine minus idoneum illum reperit; Ab hoc judicio appellavit Clericus ad Sac. Congregationem

nem, & disputato dubio = *An sit danda institutio, seu potius sit locus novo examini in casu &c.* = Die 24. *præteriti mensis Aprilis* prodiit resolutio = *Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam.*

Novum subiit examen Clericus Andreani, eoque peracto, Episcopus testatus est, quod = *Ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem per Examinatores a nobis constitutos Acolyto Gervasio Andreani de Oppido Montis Cassiani hujus nostræ Lauretanæ Diœcesis ritè examinato, eundem in spectantibus ad dictum Sacrum Ordinem laudabiliter instructum apud nos prædicti Examinatores renunciarunt* = Novas modo exhibet preces dictus Clericus pro Beneficij institutione obtinenda. Dignabuntur Emi PP. resumere Folium distributum pro Congregatione diei 24. *mensis Aprilis*, in quo fusius de meritis Causæ actum est, & respondere Dubio.

An quoad primam dubij partem sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

CIVITATIS PLEBIS ERECTIONIS CAPELLANIÆ. Sacerdos Franciscus Basilij testamentum condidit anno 1723., quo hæredes instituit Theresiam, & Angelam sorores. Post ipsarum obitum universam hæreditatem erogari mandavit in erectionem Capellaniæ ad Altare S. Josephi in Ecclesia Cathedrali Civitatis Plebis cum onere duarum Missarum in qualibet hebdomada. Patronatum activum reliquit Joanni Baptistæ, & Jo. Antonio Basilij ejusque descendentibus per lineam masculinam, iisque deficientibus, substituit descendentes masculos Thomæ Laurenti, quibus non extantibus, deferri voluit descendentibus masculis Jo. Philippi Orlandi Casella. De Patronatu vero passivo ita disposuit, ut præferri deberent descendentes ex linea tam masculina, quam fæmina dd. Jo. Baptistæ, & Jo. Antonij Basilij; In istorum defectu vocavit descendentes masculos a Thoma Laurenti; Nulloque extante ex dicta descendentia idoneo, jussit, quod nominatio fieret favore descendentium Jo. Philippi Orlandi Casella; Tandem omnibus ex dictis familiis deficientibus, eligi mandavit civem pauperiorem Civitatis Plebis. Ut autem post Testatoris obitum nulla quæstio oriretur quoad identitatem bonorum suæ hæreditatis, ea omnia in suo testamento descripsit. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Co-

Codicillum an. 1735. exaravit, & Capellaniam erigi juſſit in Eccleſia Monialium S. Luciæ d. Civitatis. Pro hujus Capellaniæ dote aſſignavit capitale sc. 845. in tot cenſibus. Ex his cenſibus nonnullos poſt exaratum teſtamentum acquiſierat, alios vero ante poſſidebat, & in eodem teſtamento deſcripti reperiebantur. Jus nominandi ad d. Capellaniam reliquit Abbatiſſæ, & Vicariæ ejusdem Monaſterii, & fundationem se facere declaravit = *Annullando, caſſando, e rivocando tutto quello, che in altra diſpoſizione, o teſtamento gia da me fatto anni ſono ſi trovaſſe mal contrario, e d'oſtacolo alla preſente diſpoſizione*. Poſt Teſtatoris obitum erecta fuit Capellania in Eccleſia Monialium S. Luciæ; Verum ad inſtitutionem alterius Capellaniæ in Eccleſia Cathedrali nunquam deventum eſt; Hujus Capellaniæ erectionem modo poſtulant Carolus, & Marianus Reattelli, & ipſis inſtantibus, quatuor infrascripta dubia hodie definienda proponuntur.

Ad I. inquiunt, Sacerdotem Baſilij in teſtamento uſumfructum hæreditatis Thereſiæ, & Angelæ Baſilij reliquiſſe, proprietatem vero poſt iſtarum obitum erogatam voluiſſe in erectionem Capellaniæ ad Altare S. Joſephi Eccleſiæ Cathedralis, apertam hinc eſſe Teſtatoris voluntatem, & propterea executioni omnino demandari debere: Hanc vero Capellaniæ erectionem retardari non poſſe, ex quo dictus Sacerdos Baſillij alteram Capellaniam in codicillo inſtituerat, cum in codicillis liceat nova legata addere, condita delere, vel alia onera hæredi injungere, hæredis vero inſtitutionem variare vetitum omnino ſit. Eoque fortius Capellaniam inſtituendam eſſe, quia in codicillis illius inſtitutio revocata non fuit, & in Teſtatoris hæreditate tot reperiuntur bona, quæ ad utriuſque Capellaniæ onera ſubeunda ſufficiunt. Perperam vero objici Capellaniam erigendam in Eccleſia Monialium S. Luciæ ſubrogatam fuiſſe alteri Capellaniæ, quæ inſtituenda erat in Eccleſia Cathedrali, nam de hujuſmodi ſubrogatione nihil Teſtator in codicillo edixit.

Contendunt ad II. pro dote Capellaniæ aſſignanda eſſe omnia bona in teſtamento deſcripta, de quibus non diſpoſuit Sacerdos Baſilij in codicillo, inſuperque eandem Capellaniam reintegrandam fore de aliis bonis, quæ adminiſtrator hæreditatis dicti Sacerdotis diſtraxerat, ad quorum reintegrationem teneri tam ipſum adminiſtratorem, quam ejus hæredes. Ad III. ajunt Capellaniam erigi

gi debuisse statim secuto obitu Testatoris, & propterea existimant fructuum restitutionem ab eo tempore faciendam esse, maxime quia dictorum bonorum detentor in mala fide constitutus fuit, & pluries a Curia Episcopali judicialiter monitus ut ad Capellaniæ erectionem deveniret. Demum ad IV. sustinent, eosdem fructus in augmentum dotis dictæ Capellaniæ erogandos esse, cum id magis sit conforme pij Testatoris voluntati.

Verum is qui bona retinet pertinentia ad hæreditatem Sacerdotis Basilij sustinet ad I. dictum Sacerdotem Capellaniam in testamento institutam in Ecclesia Cathedrali, transtuliisse in codicillo ad Ecclesiam Monialium, cumque hæc Capellania erecta sit, putat jam satisfactum fuisse ejus voluntati, & propterea locum non esse alterius Capellaniæ fundationi; Et hanc Testatoris voluntatem deprehendi ex verbis codicilli, insuperque ex conjecturis deduci; Dubium nec esse de potestate, quia ea, quæ in testamento demandata sunt in codicillo variare licet. Perperam objici quod pro erectione secundæ Capellaniæ assignata non fuerint omnia bona, quæ pro dote primæ Capellaniæ constituta erant; Respondet enim, in hoc casu unicè inspiciendam esse Testatoris voluntatem, præsertim quando nulla coactus necessitate a prima dispositione recessit. Ex his omnibus infert ad II., III., & IV., petitionem Caroli, & Mariani Reatelli rejiciendam esse.

Vicarius Generalis nonnulla ad rem advertit, quæ videri poterunt ex ejus relatione EE. VV. circumferenda.

Præ oculis in præsenti Causa habenda sunt testamentum, & codicillus Sacerdotis Francisci Basilij, ijsque mature perpensis, non graventur EE. VV. decernere.

I. *An sit locus erectioni Capellaniæ in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & ex quibus bonis sit assignanda dos dictæ Capellaniæ in casu &c.*

Et quatenus affirmativè quoad bona in testamento descripta.

III. *An, & a quo tempore sit locus restitutioni fructuum in casu &c.*

Et quatenus affirmativè.

IV. *An dicti fructus sint erogandi in emptionem capitalium pro augenda dote ejusdem Capellaniæ in casu &c.*

MA-

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

MAJORICEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Nonnullis ortis dissidiis inter Sacerdotem Joannem Myry Lebres, & Aloysiam Villaseras, res eo usque devenit, ut Sacerdos arrepto cultro Mulierem circa lumbos percusserit, & calcis ictu in terram projecerit. Exclamavit Mulier, quæ proxima mortem timuit, & revera paulo post occubuit ipso Sacerdote Myry adstante, & sacramentalem præbente absolutionem. Id accidit die 4. *Septembris* anni 1779. Fugam statim arripuit Sacerdos, & Neapolim primum, deinde ad Urbem venit, atque in Nosocomio S. Mariæ Montis Serrati se recepit; Post hæc preces exhibuit Sac. Congregationi pro dispensatione ab irregularitate, eamque modo supplex efflagitat.

Fatetur homicidium patrasse, sed ad propriam defensionem, quia Mulier furens, cultro armata in ipsum irruere tentabat; Hinc vel nullam incurrisse ait irregularitatem, vel solum ex eo contraxisse, quod moderamen inculpatæ tutelæ non servaverit. Addit nec defunctæ Aloysiæ Matrem, nec ejus Consanguineos unquam reclamasse, atque ex hoc infert omnibus satis perspectum fuisse, quod non ulciscendi animo, sed defensionis necessitate compulsus Aloysiam interfecerit. Demum exponit, se omnibus bonis expoliatum esse, & victum emendicare, & post homicidium resipiscentiæ signa dedisse, quæ omnia clementiam, & humanitatem Eminentissimorum PP. excitare posse, ut petitam dispensationem assequatur.

Episcopus in sua relatione hæc ait = *Non dubito, satisfactam esse partem, siquidem nullam interposuit accusationem; Facilis est Fisci satisfactio; Sunt etenim aliqua Oratoris immobilia bona; Nec mihi certo constat, inhonestam fuisse ejusdem cum Muliere conversationem, cæterum suspicione non caret; Ipsius autem emendationem exploratam habere nullatenus possum, quoniam post patratum homicidium, statim ex hac Insula recessit Orator, cujus preces remitto, Sac. Congregationis PP. Eïnos enixe deprecans, ut his benigne annuere dignentur, quod si fecerint, sacrosanctum Missæ Sacrificium Romæ celebrans Orator, Deo optimo maximo, pro suis peccatis satisfactionem, poterit exhibere.*

Putat Orator, fuisse a Muliere provocatum. In terminis prostant Folia Causarum *Mutinen. Dispensationis 24. Januarij currentis anni, & Papien. Dispensationis 24. præteriti mensis Julij.* Hæc Folia Eïmi PP. rogantur resumere, ut definiant.

An sit locus dispensationi in casu &c.

Die

Die Sabbathi 27. Novembris 1784. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda

UNica tantum in præsenti Folio describitur Causa; reliquæ octo adnotatæ fuerunt in Foliis præcedentis Congregationis, & alterius diei 21. præteriti mensis Augusti; Rogantur EE. VV. illa resumere, & singulis dubiis respondere.

MONTIS FALISCI BENEFICIORUM. *Sess. 25. cap. 9. de Reform.*

An servanda sit erectio duplicis Beneficii facta ad formam testamenti quondam Liberati Emilii, seu potius reformanda ad formam codicilli in casu &c.

Negativè ad primam partem; affirmativè ad secundam.

CAMERINEN. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

An sit locus suspensioni onerum Missarum ad effectum subministrandi alimenta Oratori in casu &c.

Negativè.

Seff. 25. cap. 9. de Reform.

NUCERINA CANONICATUS.

An, & cui fit danda inſtitutio in caſu &c.

Dilata; & expleto novo examine Odoardi Marini, Epiſcopus referat ſuper ejus idoneitate.

Seff. 22. cap. 6. de Reform.

ÆSINA SVBSIDIORVM DOTALIUM.

An in caſibus deceſſus Puellarum nominatarum ante Matrimonium ſit locus extractioni aliarum Puellarum, ſeu potius legatum cedat commodo hæredis in caſu &c.

Affirmative ad primam partem; negativè ad ſecundam.

VI-

VISEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. *Sess.* 14. *cap.* 2. & 7. *Sess.* 21. *cap.* 2. *Sess.* 23. *cap.* 14. *de Reform.*

An sit locus dispensationi in casu &c.

Negativè.

LAURETANA. *Sess.* 7. *cap.* 13. *de Reform.*

An quoad primam dubii partem sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.

Prævio recessu a decisis, dandam esse Institutionem Jervasio Andreani.

CIVITATIS PLEBIS ERECTIONIS CAPELLANIÆ. *Sess.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*

I. *An sit locus erectioni Capellaniæ in casu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An, & ex quibus bonis sit assignanda dos dictæ Capellaniæ in casu &c.*

Et quatenus affirmativè quoad bona in testamento descripta.

III. *An, & quo tempore pro locus restitutioni fructuum in casu &c.*

Et quatenus affirmativè.

IV. *An dicti fructus sint erogandi in emptionem Capitalium pro augenda dote ejusdem Capellaniæ in casu &c.*

Ad I. Affirmativè; & amplius. Ad II. Affirmativè, nempe assignanda esse omnia bona, & jura ad hæreditatem Francisci Basilii spectantia, exceptis assignatis in codicillis pro Capellania Monialium S. Luciæ; & amplius. Ad III. Affirmativè contra quos de jure a mense Januarii 1757.; & amplius. Ad IV. Affirmativè; & amplius.

Sess 14. cap.7. de Reform.

MAJORICEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.

An sit locus dispensationi in casu &c.

Negativè.

Sess. 23. cap .2. de Reform.

VRBEVETANA. Testamentum condidit Dominicus Ciuchi anno 1732., in quo cum consensu Ordinarii erigi jussit in rurali Ecclesia S. Mariæ *della Salute* Terræ Ficullis = *una Capellania, o sia Officiatura manuale di Messe* =, eamque a jurisdictione Ordinarij, & reservationibus Apostolicis exemptam voluit. Patronatum activum reliquit majori natu ex linea masculina Familiæ Gatti, qua deficiente, substituit lineam fœmininam; Sequuta vero utriusque lineæ extinctione, Patronatum deferri præcepit ad ejusdem Terræ Communitatem; Capellanum, quem ad nutum fecit amovibilem, etiam sine causa, gravavit onere trium Missarum qualibet hebdomada.

Eo-

Eodem anno 1732. Capellania, accedente Ordinarii auctoritate, fuit instituta, ejusque Patronatum activum modo possidet Thomas Gatti, qui mense Aprilis anni 1780. ad Capellaniam præsentavit Clericum Aloysium Brecialdi, & ad ejus vitam nominationem explevit; Verum advertentes tum Patronus, quam Clericus nominatus, vetitam esse ex Testatoris voluntate perpetuationem, unanimi consensu convenerunt, quod præsentatio nulla foret, quando alter ex filiis Thomæ Gatti ad legitimam ætatem perveniisset, qua Capellaniam assequi posset, vel impetrasset dispensationem super defectu ætatis a Sede Apostolica. Post hæc de mense Octobri anni 1781. Thomas Patronus a Capellaniæ possessione removit Clericum Brecialdi, & in illius locum suffecit proprium filium Franciscum Mariam in ætate tunc constitutum annorum duorum, & mensium quinque, insuperque supplex adiit SSmum Dominum Nostrum pro obtinenda ætatis dispensatione, & hujusmodi instantia ab Emo Pro-Datario Sac. Congregationi fuit ablegata.

Verum Clericus Brecialdi, ne a Capellaniæ possessione removeretur, Monitorium expedivit coram A. C. super manutentione in possessione Capellaniæ, antequam instantia pro ætatis dispensatione proponeretur; Hinc decreto Emi Signaturæ Justitiæ Præfecti mandatum fuit, ut causa super manutentione coram A. C. prius absolveretur; Res cessit favore Clerici Brecialdi; quare Thomas Gatti, emissa renunciatione judicio possessorio, reservavit sibi jus agendi in judicio petitorio pro immissione ad dictam Capellaniam; Censuit autem instantiam resumere pro dispensatione ætatis, & hæc est præsentis quæstionis indago.

Et primo quidem Thomas Gatti advertit, petitæ dispensationi impedimento non esse nominationem factam ad vitam Clerici Brecialdi, cum iste a dicta nominatione recesserit statim ac promisit Capellaniam dimittere, quando unus ex filiis dicti Thomæ ad legitimam ætatem perveniisset, vel dispensationem ab Apostolica Sede obtinuisset. Hanc autem dispensationem nequaquam juris dispositioni adversari, cum plurimi extent Doctores, qui asserunt, eam indulgeri posse, præsertim quando illam efflagitat filius Patroni; Idque confirmari exemplo similium dispensationum, quas Sac. Congregatio Pueris etiam quandoque censuit indulgendas. Eoque

for-

fortius petitam gratiam ejus filium promereri, quia agitur de simplici legato Missarum.

Ad demonstrandum autem, quod Capellania nullam Ecclesiastici Beneficii qualitatem præleferat, totam perpendit Testatoris dispositionem, & ait, Dominicum Ciuchi Capellaniam denominasse = *Officiatura manuale* = *Mero legato pio manuale* = Rursus prohibuisse ne unquam ab Ordinario conferri posset, & quod = *mai debba chiamarsi Beneficio Ecclesiastico, ne Capellania perpetua, o collativa*, eamque præterea a reservationibus Apostolicis exemptam voluisse, & Capellani electionem fieri mandasse coram Notario absque ulla Episcopi approbatione; Quæ omnia univoca signa esse contendit de institutione simplicis Legati Missarum, prout etiam ab observantia comprobatum dignoscitur.

Nec obesse, quod Testator voluerit erigi Capellaniam cum Episcopi auctoritate, quodque Capellani præsentatio fieri deberet intra quadrimestre a jure statutum; Respondet enim, demandatam erectionem intelligi nequaquam posse de vera Beneficii institutione, quoties contraria comperitur Testatoris voluntas; Tempus vero ad nominandum præfinitum censet, ne Patroni nominationem protraherent.

Clericus Brecialdi licet monitus, jura sua deducere minime curavit.

Emus Episcopus post quam plura retulit de statu præsentis quæstionis sic concludit = *An igitur Capellania, de qua res est, auctoritate Ordinarii etiam ex voluntate Testatoris erecta, & ex illius præcepto in vacationibus conferenda intra quadrimestre, Ecclesiastica, vel simplex laicalis dici debeat, seu merum legatum Missarum, & an etiam in hisce circumstantiis locus esse possit petitæ dispensationi ætatis in præjudicium Capellani, cui jus est legitime quæsitum, & consensum præstantis dumtaxat, in casu quo alter ex Oratoris filiis ad ætatem congruam pervenerit, non est insipientiæ meæ judicare, sed definiendum erit a longe superiori scientia EE. VV.*

Duo potissimum in hac Causa ponderanda occurrunt; Primum an Capellania instituta a Dominico Ciuchi sit simplex legatum Missarum; Alterum vero, an indulgeri possit, ut retineatur ab Oratoris filio, licet nondum ad legitimam ætatem pervento. Sentiunt *Navar. consil.* 5. *num.* 1. *Card. de Luc. de Benefic. disc.* 80. *num.* 18., quod

si in

si in fundatione Capellania ab omni Episcopi, vel alterius Superioris jurisdictione fuerit exempta, tunc mere laicalis est; Verum si auctoritate Episcopi erigatur, Ecclesiastica reputari debet, quia bona ex legitima dedicatione facta Deo per Episcopum a cæteris bonis separantur, & divini juris efficiuntur. *Cap. Ad hæc de relig. domib.* In Capellaniis mere laicalibus nullam spiritualitatem habentibus, quæ ad instar sunt legati Missarum, regula est, ut etiam a Clericis conjugatis, & Laicis retineri possint, nisi mens expressa, vel tacita Fundatoris resistat, quæ semper est servanda. Non repugnat tamen quod Capellania sit mere laicalis, & quoad personas nominandas Ecclesiastica.

In *Auximana Capellaniarum* agebatur de tribus Capellaniis, in quibus Capellani onus habebant *qualibet die celebrare, seu celebrari facere Missam unam pro qualibet Capellania*, insuperque Fundator jusserat = *quod in dictis Capellaniis nullo unquam tempore Superiores Ecclesiastici possint manus immittere sub quovis prætextu, & quæsito colore, & in eventum, in quem manus immittere vellent, dictæ Capellaniæ habeantur non factæ*. Proposito Dubio = *An dictæ Capellaniæ reputari debeant ad instar hæreditatis mere prophanæ, sintque ita laicales, ut ad illas nominari possint etiam Laici, Mulieres, & Pueri* Die 10. *Decembris* 1702. Sac. Congregatio respondit = *Affirmativè quoad primam partem, negativè quoad secundam. Lib.* 52. *Decret. pag.* 449.

In *Firmana Capellaniæ* = Testator sic disposuerat = *Instituisce un legato pio, o Capellania laicale di jus patronato della sua famiglia . . . . e chi averà detta Capellania, o legato pio, ed amministrazione debba celebrare se sarà Sacerdote, e far celebrare se non sarà Sacerdote, purche sia Chierico, tre Messe la settimana*. Quæsitum fuit = *An Clericus Jo. Baptista Rettinus in statu Clerici conjugati possit retinere Capellaniam, de qua agitur, in casu &c.* = Die 18. *Aprilis* 1711., responsum prodiit = *Negative* = *lib.* 61. *Decret. pag.* 176.; Et in *Romana*. Demandata fuerat institutio Capellaniæ cum expressa declaratione = *qual Capellania debba riputarsi, e essere mera pura laicale, e non benefizio Ecclesiastico*. Ad examen revocatum est Dubium = *An Capellania, de qua agitur, retineri possit in statu conjugali per Capellanum a Testatore nominatum in casu &c.* = Die 20. *Septembris* 1727. prodiit resolutio = *Negativè* = .

Ad

Ad dispensationem, quod attinet, quando agitur de passivè vocato advertunt *Corrad. in prax. dispens. lib.*4. *cap.* 2. *num.*8., *Piton. discept. Eccles.* 13. *num.*42., quod facilius indulgeri solet; Id ipsum quoque confirmatur ex pluribus Sac. Congregationis resolutionibus. In *Asculana Capellaniarum super dispensatione* 22. *Augusti* 1750. data fuit dispensatio Puero bimo. In *Neritonen. Abbatiæ* 22. *Novembris* 1760. Puero quadrienni, & in *Lucana Beneficij, seu Capellaniæ* 17. *Maij* 1749. Puero quinquenni; Hujusmodi vero dispensationes indultæ fuerunt, vel quia Orator unus erat ex Compatronis, vel de familia Fundatoris, vel de passivè vocatis, & Patronorum omnium, aliorumque interesse habentium intervenerat consensus. Hisce animadversis proponitur Dubium.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.

Non proposita.

Die

Die Sabbathi 11. *Decembris* 1784. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

EX Folio poſtremæ Congregationis habent Emi PP. Cauſam, quæ primo ordine adnotatur; Reliquæ octo in præſenti Folio deſcribuntur, & de omnibus judicium hodie ferendum eſt.

URBEVETANA.

An ſit conſulendum SSmo pro diſpenſatione in caſu &c.

Seſſ. 23. *cap.* 2. *de Reform.*

Affirmativè adimpletis oneribus; & ampliùs.

NULLIUS SANCTI LAURENTII IN CAMPO COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Cum Romæ degeret Sacerdos Andreas Nicoletti teſtamentum condidit anno 1686., in quo diſpoſuit de domo, & de bonis ſuis ſtabilibus, quæ poſſidebat in Territorio Sancti Laurentii in Campo, necnon de cenſibus favore Hoſpitalis ejuſdem Loci, quod quidem Hoſpitale a Communitatis Adminiſtratoribus regebatur. Horum omnium capitalium fructus præcepit, ut erogarentur in emptionem frumenti pauperibus per hyemem diſtribuendi. Quod ſi decurſu temporis aliquod Sanctimonialium Monaſterium in eo loco erectum fuiſſet, tunc omnia ſupradicta capitalia ad hoc Monaſterium deferri mandavit. Piam hanc diſpoſitionem fideliter per aliquod temporis ſpatium adimpleverunt Hoſpitalis Adminiſtri; Verum decurſu temporis nonnulli in diſtributione frumenti irrepſerunt abuſus, qui ut removerentur Patresfamilias putarunt, legatum prædictum in alium uſum Populo magis utilem convertendum; Hinc animadvertentes, quod in

Seſſ. 22. *cap.* 6. *de Reform.*

Oppido S. Laurentii in Campo non poſſit unus tantum Ludi Magiſter cum tenui emolumento ſc. 33. omnes Pueros tum in Fidei rudimentis, tum in Grammatica, & Humanioribus Litteris uſque ad Rhetoricam inſtituere, petierunt, quod legatum prædictum impendatur in ſtipendium alterius Præceptoris, quia hac methodo in magna Puerorum frequentia unus Fidei rudimenta, alter Grammaticam, Humaniores Litteras, & Rhetoricam docebit; Hæc inſtantia ſapienti EE. VV. judicio hodie ſubjicitur.

Aſſeritur, ex neceſſitate requiri auxilium alterius Ludi Magiſtri cum congruo ſtipendio, quod neque a Communitate ære alieno gravata, neque ab Incolis ſperare fas eſt; Attenta proinde neceſſitate, & deficiente quocumque alio medio, juſtam adeſſe cauſam commutationis tendentis in bonum publicum. Nec obeſſe ſubſtitutionem Monaſterii erigendi, quia difficilis admodum eſt nunc Monaſterii erectio, cum a die obitus Sacerdotis Nicoletti ſæculum jam effluxerit, & nemo unquam de hac erectione cogitaverit.

Abbas Commendatarius teſtatur Communitatem S. Laurentii perſolvere Ludi Magiſtro annua ſc. 33., nec ſtipendium augeri poſſe, quia ære alieno premitur. Addit, ex diſtributione frumenti juxta diſpoſitionem Sacerdotis Nicoletti tam gravia eveniſſe mala, ut ea damnoſa potius, quam utilis hodie comperiatur; Refert, Commutationi voluntati una, & altera vice conſenſum præſtitiſſe Communitatis Conſilium; quare, votum ſuum aperiens, petitioni annuendum eſſe cenſet,

Commutationem ultimarum voluntatum non niſi ex juſta, & neceſſaria cauſa fieri debere admonet Concilium Tridentinum *Seſſ.* 22. *cap.* 6. *de reform.*, & juxta hanc regulam Sac. Congregatio quandoque indulgendam, quandoque denegandam commutationem putavit. In præſenti Cauſa ponderandum, an pro petita commutatione juſtæ, & rationabiles cauſæ concurrant. Quæritur propterea,

An ſit locus commutationi voluntatis in caſu &c.

Negativè,

TU-

TUDERTINA REDUCTIONIS. Teſtamento exarato anno 1658. Sebaſtianus Perviſani quatuor erexit Capellanias in Eccleſia, quam proprio ære conſtrui juſſit ſub invocatione Aſſumptionis B. M. V. in Cælum aſſumptæ in Oppido Maſſæ Tudertinæ Diœceſis; Capellanis nonnulla Miſſarum onera, & Anniverſaria injunxit; Dotem præterea conſtituit iiſdem Capellanis in ſcutis octo millibus, quæ in tot Locis Montium, vel in bonis ſtabilibus inveſtiri præcepit. Cum autem tractu temporis Loca Montium varias ſubierint extractiones, hinc Capellani Miſſarum reductionem efflagitarunt; Eorum petitioni reſtitit Capellaniarum Patronus, quare diſputato dubio = *An, & quomodo ſit locus reductioni in caſu &c.* = Die 24. præteriti menſis *Julii* prodiit reſcriptum= *Negativè, & ad Mentem* =; Mens autem fuit, quod, quatenus vere conſtaret, ex capitali ſcutorum octo millium defuiſſe ſcuta tercentum, quæ aſſerebantur in proprios uſus a Carolo Perviſani fuiſſe converſa, Epiſcopus juris remediis cogeret hæredes ad reintegrationem, inſuperque referret, qua ex cauſa ſcuta viginti tantum ſolvantur Sacrario Eccleſiæ, cum ex voluntate Teſtatoris ſolvi deberent ſcuta triginta. *Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.*

Huic reſolutioni non aquieſcunt Capellani, & obtenta nova audientia, Cauſa hodie reproponitur. Præſtat reſumere Folium dictæ Congregationis, ubi Cauſæ ſtatus, & merita deſcripta ſunt, ut definiant.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Dilata, & expectetur relatio Epiſcopi.

TERRACINEN. SERVITII CHORI, ET MISSÆ CONVENTUALIS. In Oppido Arcis Siccæ extat Eccleſia Collegiata, quæ, juxta primævam erectionem, ex Archipresbytero, & quatuor tantum Canonicis conſtituebatur. Anno 1714. additi fuerunt alii quatuor Canonici, qui ſupranumerarii appellantur; Ex lege fundationis Canonici ſecundæ erectionis onus habent nonnullas infra annum celebrandi Miſſas, exercendi munus *Seſſ. 22. decret. de obſervan., & evitan. in celeb. Miſſ., & Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.*

Diaconi. & Subdiaconi in Missis Solemnioribus, ac demum Officium Divinum in Choro psallendi, & ea omnia peragendi, ad quæ veteres quatuor Canonici tenentur.

Dum anno 1776. hodiernus Episcopus Sacram perageret Visitationem in dicta Ecclesia, notavit, quod Canonici occasione Festivitatum, quæ in aliis Ecclesiis oppidi fieri solent, celebrationem Missæ Conventualis in Ecclesia Collegiata, ejusque applicationem pro Benefactoribus in genere omittebant, & huic oneri satisfacere opinabantur per celebrationem Missæ cum cantu in Ecclesiis, ubi Festivitates peragebantur, quamvis has Missas applicarent pro peculiaribus Benefactoribus, qui legata relinquerant. Ad hunc abusum removendum Episcopus hoc edidit decretum = *In Ecclesia Collegiata diebus Festis omnino Missam cantatam celebrari, & pro Benefactoribus applicari præcepit, excluso penitus abusu illam applicandi pro Anniversariis, seu in aliis Ecclesiis sub pœna unius auri solvenda, & Sacristiæ Ecclesiæ applicanda.*

In Relatione status Ecclesiæ, quam anno 1778. idem Episcopus ad Sac. Congregationem transmisit de hoc decreto Eminentissimos PP. certiores reddidit, insuperque addidit, quod Canonici diebus tantum Dominicis, & Festis de præcepto Choro interesse consueverant; quare sub die 14. *Novembris* ejusdem anni injunctum eidem fuit, ut Canonicos adigeret Sac. Congregationem adire, & ab ea declarationem petere, an ad quotidianum Chori servitium, & ad quotidianam Missæ pro Benefactoribus applicationem tenerentur. Supplices idcirco sunt Canonici apud Eminentissimos PP. pro declaratione, quod ipsi diebus tantum Dominicis, & Festis Choro interesse debeant, sin minus saltem ex rationabilibus causis id ipsis permittatur.

Inquiunt enim, quod, licet attenta juris dispositione tenerentur ad quotidianum Chori servitium, & ad applicationem Missæ Conventualis singulis diebus, nihilominus inspectis circumstantiis, reductionem ad solos dies Festos fore indulgendam, cum Præbendæ tenues ad modum sint, deductisque oneribus parum ipsis pro servitio Chori superfit. Id assequi confidunt ex benignitate Sac. Congregationis, quæ servitium Chori ob redituum tenuitatem sæpius reduxit, & conforme esse menti S. M. Benedicti XIV., qui in Constitutione *Cum semper oblatas* Missæ Conventualis reductionem impertiri decrevit, si Canonici hujusmodi onus subire non possent.

Episcopus singulos Archipresbyteri, & Canonicorum proven-

ventus distincte refert ; Subdit etiam , deesse monumentum erectionis Collegiatæ , & ex nonnullis documentis in Archivo dictæ Ecclesiæ existentibus deprehendi, quod de anno 1596. eadem Ecclesia ex Archipresbytero , & quatuor Canonicis constabat , & simplex Collegiata nuncupabatur , quodque Canonici Chori servitium diebus Festis tantum præstabant . Addit, relationes Status Ecclesiarum ad Sac. Congr. ab antecessoribus Episcopis transmissas discordes inveniri circa Chori servitium ; nam Episcopus Cæsar Vintimilia anno 1629. asseruit , quod Archipresbyter , & quatuor Canonici quotidie tunc Choro intererant , licet id antea non præstitissent . Anno 1712. clar. mem. Card. de Comitibus, dum eo tempore Terracinensem Ecclesiam regeret, testatus est, Archipresbyterum , & quatuor titulares Canonicos nuncupatos ad præcisam residentiam , & ad certum Chori servitium adstrictos fuisse, idque etiam confirmavit in altera relatione anni 1717.. Episcopus Palombella anno 1751., postquam retulit, Canonicos Collegiatæ Terræ Bassiani ad solas Vesperas , & Missam Conventualem singulis Festis, & quibusdam aliis diebus teneri , subdit , quod ita pariter servabatur ab Archipresbytero Arcis Siccæ cum quatuor Canonicis numerariis, totidemque supranumerariis . Demum simile quoque fuisse servitium recensuit anno 1761. Episcopus Odoardi .

Post hæc ait = *Sane quod ex memoria hominum eruere potui, illud subsistit, quod servitium Chori diebus tantum Festis de præcepto Antecessores præstarent . Hinc, quoniam EE. VV. meum dignantur exquirere sensum , arbitrarer , eosdem , attenta reditiuum tenuitate, ad servitium Chori , & applicationem Missæ cantatæ pro Benefactoribus , singulis tantum diebus Dominicis , aliisque de præcepto Festivis obligandos esse .*

Quæ in jure animadversione digna sunt, habent Eminentissimi PP. in Causa *Terracinen. , & Setina Servitii Chori , & Missæ Conventualis* descripta in Folio Congregationis 14. *Septembris* 1782. , quod publici juris est in *Thesauro Resol. Tom.* 51. ; In facto tamen adnotare præstat , quod Episcopi Terracinenses in Relationibus status suarum Ecclesiarum de Collegiata Arcis Siccæ locuti sunt .

Anno 1590. Episcopus tunc temporis ait = *La Chiesa di Rocca Secca mia Diocesi sotto il titolo di S. Maria hà un Arciprete , e quattro Canonici , ne giorni di Domenica , e Feste vi cantano il Matutino , l'Ore , Vespero , e Comple-*

ta,

ta, e ſi canta la Meſſa in ogni Domenica, e giorni di Feſta = In altera relatione anni 1597. hæc habentur = *Rocca Sicca itidem unicam habet Eccleſiam Parochialem, & Collegiatam, in qua cum Archipresbytero quatuor Canonici reſident* = In relatione exhibita anno 1610. refertur = *Rocca Sicca unicam etiam habet Parochialem, & Collegiatam Eccleſiam, in qua Archipresbyter, qui Curam Animarum habet, & quatuor Canonici inſerviunt* =. Item in Relatione anni 1624. Epiſcopus Vintimilius ita loquitur = *In Caſtro Arcis Siccæ Ædes S. Mariæ Collegiata, quæ pro Loci dignitate ſatis anguſta eſt, ſuo non caret Archipresbytero, qui Curam Animarum, & reditus habet aureorum quadraginta. Quatuor tantum Canonicos numerat, quibus viginti quinque aureorum reditus ſunt. Hi quotidie in Choro divinum Officium abſolvunt nunc, cum id antea non præſtarent.*

Anno 1712. clar. mem. Card. de Comitibus tunc Epiſcopus Terracinenſis ſuam relationem tranſmiſit, & ea quæ ad dictum Oppidum Arcis Siccæ, ſpectant, ita deſcribit = *Unica Parochialis Eccleſia ſub titulo Aſſumptionis B. Mariæ Virginis non ſine Sanctorum Reliquiis extat, ubi ultra Sacriſtiam ad nutum Titularium amovibilem reperiuntur Parochus nuncupatus Archipresbyter, & quatuor titulares nuncupati Canonici ad præciſam reſidentiam, & ad certum ſervitium in Choro præſtandum adſcripti, ſuntque omnes liberæ collationis, & Eccleſiam adminiſtrant.* Nec diſſimilis eſt relatio ab eodem Card. de Comitibus tranſmiſſa anno 1714. ſic enim inquit = *Rocca Sicca unicum tantum recognoſcit Parochum Archipresbyterum nuncupatum Curam Animarum exercentem, qui una cum quatuor Beneficiatis ſtatutis diebus reſidere, & Choro inſervire tenentur in Eccleſia ſub titulo Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, qui Beneficiati dicuntur Canonici, & ſunt liberæ Collationis* = Tandem ex relatione præfati Card. de Comitibus anni 1717. de eodem Oppido hæc habentur = *Rocca Sicca unicum tantum recognoſcit Parochum Archipresbyterum nuncupatum, qui una cum quatuor Beneficiatis, ſive Canonicis, ut vocant, in Eccleſia ſub titulo B. Mariæ Virginis Aſſumptæ quibuſdam diebus Choro inſervire tenentur, & ſunt liberæ Collationis, quibus ex diſpoſitione Canonici Papæ additæ fuerunt Ordinaria auctoritate quatuor Præbendæ pariter Canonicatus nuncupatæ.*

Omnibus igitur perpenſis, dignabuntur EE. VV. decernere.

I. *An*

I. *An Archipresbyter, & Canonici numerarij, ac supernumerarij Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ in Cœlum Assumptæ Terræ Arcis Siccæ teneantur quotidie Officium in Choro recitare, & Missam Conventualem pro Benefactoribus applicare in casu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An, & quomodo sit locus reductioni dictorum onerum in casu &c.*

Ad I. Negativè.
Ad II. Affirmativè juxtà votum Episcopi.

SENOGALLIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Conquesti sunt apud Sac. Congregationem Mansionarii instituti ex dispositione Camilli de Lucatellis in Ecclesia Cathedrali Senogalliæ de onerum gravitate. Quæ à Mansionariis deducebantur non satis certa visa sunt die 8. *Junij* 1782., & propterea rogatus fuit Emus Cardinalis Ursinus, ut nonnulla reductionum indulta perpenderet, quæ annis 1689., & 1693. consecuti fuerunt Canonici, quorum præbendæ ex eadem Lucatelli fundatione in dicta Cathedrali erectæ reperiebantur. Assueta sua diligentia omnia perlustravit laudatus Emus Ursinus, ejusque superventa relatione, de petitione Mansionariorum actum est in Congregatione diei 27. *elapsi mensis Martij*; Tunc Emi PP. jusserunt, ut Causa reproponeretur citatis Canonicis de fundatione Lucatelli; Actum id est in Congregatione habita die 21. *præteriti mensis Augusti*, in qua, utraque parte jura sua deducente, propositum fuit dubium = *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*, & dicta die responsum prodiit = *Onus Missarum Mansionariis impositum reducendum esse ad medietatem; Missas vero a Canonicis celebrandas, restituendas esse ad numerum bis centum octuaginta pro quolibet, juxta reductionem anni 1689.*

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

Sacræ Congregationis judicium non arrisit Canonicis ob adau-

adauctum ipsis onus Missarum, obtentaque facultate impugnandi resolutioonem, quæritur hodie.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Quoad Mansionarios in decisis; & amplius. Quo verò ad Canonicos, prævio recessu a decisis, servandam esse reductionem anni 1693.

Sess. 7. cap. 7. de Reform.

URBANIEN. Anno 1757. auctoritate san. mem. Benedicti XIV. erecta fuit in Collegiatam insignem Parochialis Ecclesia S. Joannis Baptistæ Oppidi Saxicorbarij. Plurima suppressa fuerunt Beneficia, & Capellaniæ pro constituendis Canonicorum præbendis; Inter alia Beneficia, suppressus fuit Archipresbyteratus Sanctæ Sophiæ, cui onus inhærebat administrandi Sacramenta Populo Villæ nuncupatæ di *Monte Locco*, quæ tertio fere lapide ab Oppido Saxicorbarii distat, & hoc onus translatum fuit in Canonicum, qui eam præbendam fuisset assequutus; sed propter servitium, quod dictæ Collegiatæ præstare debebat, ab onere residentiæ in Parochiæ districtu fuit exemptus.

Rebus ita compositis, Canonicus, qui dictam præbendam retinebat, accedere tantum consuevit ad Villam di *Monte Locco* tum diebus Festis, ut Parochiales functiones expleret, tum etiam, quando alicui decedenti Sacramenta, & extrema in agone subsidia ministrare debebat. Dum Pastoralem Visitationem perageret in dicta Villa hodiernus Episcopus, illius Incolæ conquesti sunt, quod propter Parochi absentiam spiritualia subsidia ipsis deerant, quodque etiam nonnulli absque Sacramentis, & Sacerdotis assistentia obierint; Addiderunt præterea, hyberno tempore ob asperitatem viarum, & nivium copiam difficile esse proprium Parochum ex oppido Saxicorbarij exquirere, ut inopinatis casibus præsto adesset.

Conquestiones Populi exposuit Episcopus in precibus datis SSmo Domino Nostro, in quibus etiam narravit, se Testium depositione veritatem comprobasse; Quare supplicavit pro facultate eligendi Vicarium perpetuum cum onere residentiæ intra fines Parochiæ, qui ad instar juris patronatus Ecclesiastici eligendus esset ad nominationem Canonici possessoris Præbendæ S. Sophiæ, & cum congrua ab eo præstanda, & ab Episcopo præfinienda, juxta

juxta morem regionis, habito respectu ad reditus d. Canonicatus, qui reditus non deductis oneribus pertingunt ad annua sc. 72. Preces Episcopi ablegatæ fuerunt Sac. Congregationi, cujus judicium hodie exquiritur.

Instantia hujusmodi proposita fuit in Comitiis Capitularibus habitis a Canonicis Saxicorbarii die 23. Junii 1783., ubi interfuerunt octo Capitulares, quos inter fuit Canonicus Franciscus Guidomei possessor Præbendæ S. Sophiæ: Is enim a suffragio ferendo se abstinuit, sed protestationem emisit = *Che non volendo pregiudicare al dritti de' suoi Successori, inerendo sempre alle Costituzioni dell' erezione della Collegiata, essere insussistenti i reclami dei Parochiani, poiche non è mai mancato in anni venticinque, ch' è aggregato al Coro, all' obligo suo tanto ne dì festivi, quanto nell' amministrazione de Sagramenti, ed ad altro, che si aspetti ad un Curato di Anime, ne avreòbe dato il suo consenso, quando avrebbe pensato, che li suoi Successori dovessero essere forzati a mettere, e mantenere in detta Chiesa un Vicario perpetuo colle rendite di detto Benefizio.* Reliqui vero septem Capitulares, uno excepto, modum ab Episcopo propositum probarunt.

Præfixus fuit terminus supradicto Canonico Guidomei, ut in Sac. Congregatione sua jura proponeret; Aŭ licet diù expectatus numquam comparuit.

Petitioni Episcopi obsistunt etiam nonnulli Parochiani Villæ *di Monte Locco*, sed ab eis nihil adhuc deductum est.

Similis fere instantia alias proposita fuit ab eodem Episcopo in Causa *Vaden.* in Congregatione diei 7. *Februarij currentis anni*; Agebatur de eligendo Vicario Curato perpetuo in Villa *Vallis Casolæ*, cujus Parochia suppressa fuerat, & onus translatum in alterum ex Canonicis Collegiatæ Mercatelli, qui ejusdem Parochiæ reditus possidebat; Proposito hinc Dubio = *An, & quomodo sit providendum in casu &c.* = Eadem die prodiit resolutio = *Affirmativè juxta Votum Episcopi* = Dignabuntur EE. VV. resumere Folium Congregationis diei 24. *præteriti mensis Januarij*, in quo dicta Causa adnotata est; & respondere Dubio.

An, & quomodo sit providendum in casu &c.

Affirmativè prò deputatione Vicarii Curati cùm congrua ab Episcopo taxanda, & a Canonico persolvenda; & ampliùs.

Sess. 25. cap. 3. de Reform.

PRÆNESTINA. Vacavit anno elapso Canonicatus, qui ex dispositione Nicolai Cecconi erectus est in Parochiali Ecclesia Castri S. Petri Prænestinæ Diœcesis. Patronus ad dictum Canonicatum nominavit Clericum Clementem Marini; Nominationem impugnavit Populus dicti Castri, quia ex lege fundationis Beneficiatus teneretur in eodem Castro residere, & Missas per seipsum celebrare; Maxime quia in eodem Castro ob Parochi senectutem, cura animarum negligebatur, & propterea necesse erat alium in eodem Castro Sacerdotem habere, qui Parocho auxilium præstaret; Hinc tria Dubia sic concepta proposita fuerunt. I. *An Rector Beneficij instituti a Nicolao Cecconi in Ecclesia Parochiali Castri S. Petri teneatur residere, & Missas per seipsum celebrare in casu &c.* Et quatenus affirmativè. II. *An sustineatur præsentatio in casu &c.* III. *An Rectori ejusdem Beneficij sit addendum onus coadjuvandi Parochum in administratione Sacramentorum in casu &c.* =.

Nulla in Congregatione diei 21. *elapsi mensis Augusti* ob suffragiorum scissuram capta fuit resolutio quoad I., & II. Dubia: verum quoad III. responsum prodiit =*Negativè*= Resolutionem pro tertij Dubij revocari postulat Populus; Et Clericus Marini non solum primi, & secundi Dubij resolutionem efflagitat, sed supplicat etiam, ut saltem ex gratia ei tribuatur Canonicatus. Emi PP. resumpto Folio dictæ Congregationis non graventur definire.

I. *An Rector Beneficii instituti a Nicolao Cecconi in Ecclesia Parochiali Castri S. Petri teneatur residere, & Missas per seipsum celebrare in casu &c.*

Et quatenus affirmativè;

II. *An sustineatur præsentatio in casu &c.*

Et quatenus negativè.

III. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.*

IV. *An sit standum, vel recedendum a decisis quoad III. dubium præteritæ propositionis in casu &c.*

Ad I., II., & III. Iterum proponatur.

Ad IV. In decisis; & amplius.

Reliquæ non propositæ.

BONO-

BONONIEN. Marchio Laurentius Centurioni nobilis Januensis Bononiæ domicilium constituit, & in ea Civitate Palatium emit. Huic Palatio finitimum est Oratorium, ad quod patet aditus tum per viam publicam, tum etiam per alias duas januas in interiori parte Palatii existentes. Extat in Oratorio circa fornicem Porticus vulgo *Loggia*, columnellis ornata, & duo Odæa, quorum utrumque Palatio adhæret, nec patet accessus nisi per Palatium. Per Litteras Apostolicas a San. Mem. Clemente XIV. datas anno 1774. impertita fuit facultas Laurentio Centurioni non solum retinendi apertas interiores Oratorij januas, sed etiam audiendi Sacrum ex Odæis. Defuncto Marchione Centurioni, Palatium translatum est per contractum emptionis in Carolum Ceneri Civem Bononiensem, qui una cum filio, aliisque de sua Familia Sanctissimum supplicavit pro perpetua concessione omnium privilegiorum, quibus Marchio Centurioni fruebatur. Remissis precibus ad Sac. Congregationem, quæritur hodie quid indulgendum sit. *Sess. 14. cap. 12. de Reform.*

Eminentissimus Archiepiscopus exposita in facto confirmat, & ait = *Non dubito di asserire, che l'Oratore Carlo Ceneri, e sua Famiglia può meritare li clementissimi riflessi di Nostro Signore, e di godere il commodo dell'interna communicazione nella Cappella publica, giacche questa famiglia, benche non nobile, vive con splendore però, ed hà asse da Nobile: inoltre è pia, da bene, e non lascia Carlo fare vistose limosine a Poveri di sua Parochia veramente abondantissima di miserabili. Il Paroco pure è contento di tutto.* Existimat tamen = *escludere dalla grazia due porte, che sono nella Sagrestia, e che mettono immediatamente in un appartamento condotto in affitto da altri, per le quali porte entrano gl' Abitanti di esso appartamento si in Sagrestia, che in Cappella, e alcune volte sentono Messa nelle proprie Camere colle sole porte aperte; con la riserva però agl'Oratori di poter godere di tali ingressi ogni qual volta non fosse affittato l'appartamento, ma si ritenesse da loro in proprio uso.*

Subdit præterea = *Tale proibizione è ancora di genio dell' Oratore Carlo, che non amerebbe, che li suoi Inquilini avessero il passaggio nella Capella, ma che non sà levare per non promuovere liti, e contrasti. Così pure parmi che dovesse essere ridotto l'uso de' due Coretti collocati lungo una scala, e una Loggia, in modo che non fosse lecito a certi altri Inquilini del Palazzo farne uso indipendentemente dagl' Oratori.*

Jam alias in Sac. Congregatione actum eſt de ſervitutibus Eccleſiis non imponendis; noviſſime tamen actum fuit in Cauſa *Spoletana*, quæ deſcripta reperitur in Folio diſtributo pro Congregatione *diei* 24. *præteriti menſis Julii*: ex eo namque Folio patebit, quid Summorum Pontificum decreta ſtatuant, quid etiam Sac. Congregatio hac de re decreverit; Eminentiſſimi PP. d. Folium reſumere deprecantur, ut decernant.

An ſit concedendum Indultum in Caſu &c.

Seſſ. 23. cap. 2. de Reform.

VERULANA. Silvius de Sanctis in teſtamento, quod condidit anno 1747. hæredem uſufructuariam ſcripſit Uxorem ſuam, cujus poſt obitum mandavit, ut univerſa ſua hæreditas impenderetur in erectionem duarum Capellaniarum rurali in Eccleſia S. Magni Civitatis Fruſinonis proprio ære extructa; Has vero Capellanias declaravit eſſe = *perpetue e non amovibili ..... mere laicali non volendo, che nell' elezioni di eſſe, per i Cappellani da nominarſi abbia ingerenza, o parte alcuna il Veſcovo, o ſia Ordinario del Luogo, o altroqualſivoglia Superiore eccleſiaſtico, o che ſù di eſſe entrar poſſa alcuna riſerva, ò affezione, o qualſivoglia deroga Apoſtolica* = easdemque Capellanias ad nominationem Patronorum libere conferri voluit = *eſcluſa affatto ogni qualſivoglia nota, e qualità eccleſiaſtica*. Capellanis celebrationem quarumdam Miſſarum, & onus nonnullas agendi Feſtivitates injunxit.

Patronatum unius ex dictis Capellaniis reliquit Flaviano Caſanova, alterius vero Nicolao Grappelli, & poſt iſtorum obitum ſubſtituit Primogenitum utriuſque Familiæ; Aſt de patronatu paſſivo ſic diſpoſuit = *In oltre voglio che i Padroni pro tempore nelle dette mie due Cappellanie nelle vacanze, che accaderanno, ove, che vi ſiano Sacerdoti, o Chierici della ſteſſa loro deſcendenza, e famiglia, in tal caſo ſiano tenuti frà lo ſpazio di quattro Meſi a die ſcientiæ vacationis Capellaniæ a dover fare la nomina di uno di eſſi coll'arbitrio trà li molti di gratificare quel ſoggetto.*

to, che ad essi in Domino sembrerà, che sia il migliore, colla necessità poi, ove, che non vi sia altro, che uno, di dover quello nominare, alias non nominandolo nel detto spazio di quattro mesi, si abbia come nominato da me Fondatore.

Per obitum Josephi Grappelli vacat modo Capellania, cujus patronatus ad dictam Familiam spectat; Jo. Baptista Grappelli, qui jus habet eligendi Capellanum exposuit Sacræ Congregationi, deesse in ejus Familia Sacerdotem, vel Clericum, qui Capellaniam consequi possit; hinc alterutrum, efflagitat, vel quod sibi tribuatur facultas nominandi Nicolaum filium suum quinquennem, vel saltem usquequo ad legitimam pervenerit ætatem, suspensa remaneat provisio Capellaniæ, & reditus, satisfactis oneribus, erogentur in meliorandis bonis, quæ reparatione indigent.

Id autem ut assequatur, advertit primo, quod, Inspecta Fundatoris voluntate, dubium non sit Capellaniam nullam ecclesiasticæ qualitatis notam præseferre, & sæpius juxta morem Sac. Congregationis indultam fuisse dispensationem super ætatis defectu, etiamsi ageretur de Beneficio ecclesiastico; multo igitur magis dispensationem indulgeri posse existimat in præsenti casu, cum agatur de Capellania mere laicali, & hanc dispensationem efflagitat Patronus filii nomine passivè a fundatore vocati: nec alius adsit legitima in ætate constitutus, qui illam consequi possit; Quatenus verò dispensatio deneganda foret, notat Capellaniæ bona, injuria temporum, deteriora evasisse, & hinc ut in pristinum statum, & fructum restituantur, opportunum esse Capellani nominationem suspendere, & Capellaniæ reditus, detractis oneribus, in bonorum restaurationem erogari.

Episcopus testatur, alium non extare ex passive vocatis præter Oratoris filium, & quoad dispensationem ait= *Equidem multa sunt rationum, & æquitatis momenta, quibus petitum dispensationis beneficium eidem deberi videtur. Primum occurrit præsumptiva Testatoris voluntas, qui cum efficaciter disponat, quod semper penes Familiam Grappelli collatio prædictæ Capellaniæ sequatur, ex eo liquide apparet, quod si præsentem eventum Testator prævidisset, ita sane edicere non renuisset; Accedit pariter, & alia potissima ratio ex parte personæ nominatæ, quæ licet actu recensita habilitatione destituta reperitur, habitu tamen habilis cum existat, dispositus habetur ad petitam dispensationem obtinendam.*

In

In Folio poſtremæ Congregationis deſcripta eſt Cauſa *Urbevetana* ; in ea namque Cauſa fuſius recenſetur quid in jure ſtatutum ſit , quidque potiſſimum requiratur , ut diſpenſatio ſuper defectu ætatis ad aſſequenda Beneficia indulgeri poſſit ; Hinc,ne actum agere videatur,rogantur Emi PP. pro dicti Folij reſumptione , & perpenſa diſpoſitione Silvii de Sanctis,definire,an petita diſpenſatio indulgenda ſit . Quod verò attinet ad alteram petitionis partem , ſcire præſtat.Sacram Congregationem conſueviſſe Capellaniæ , aut Beneficij nominationem ſuſpendere , ut reditus in meliorandis bonis erogarentur ; Verum hujuſmodi ſuſpenſio indulta ſemper fuit ea cum lege,quod prius adimpleantur onera Beneficio inhærentia , & bonorum adminiſtratio penes Eccleſiaſticam Perſonam reſideat. Ponderandum in præſenti caſu,an deteriorationes extent, & quatenus veræ ſint,an evenerint ex culpa præcedentium Capellanorum , quo caſu videndum , an iſtorum hæredes ad emendationem damnorum adigi poſſint. Quæritur.

I. *An ſit conſulendum SSmo pro diſpenſatione in caſu &c.*
Et quatenus negativè .

II. *An , & ad quod tempus ſit locus ſuſpenſioni nominationis Capellani ad effectum erogandi reditus Capellaniæ in meliorandis bonis in caſu &c.*

FINIS.

INDEX
RESOLUTIONUM

Quæ prodierunt in Cauſis in Sac. Congregatione Concilii propoſitis anno 1784.

A

Absolutio præteritarum omiſſionum committitur D. Secretario impetranda a Sanctiſſimo in *Faventina Reductionis ſervitii Chori, & Miſſarum 7. Februar. pag.44.*, in *Cornetana Suſpenſionis oneris Miſſarum 8. Maii pag.105.*, in *Derthonen. 22. Maii pag. 226., & ſeq.*, & in *Civitatis Plebis eiusdem 22. Maii pag.138., & ſeq.*

Denegatur in *Perufina Reductionis 3. Julii ad 1. dub. pag.162., & ſeq.*

Acquiſita per Religioſum de jure competunt Monaſterio, & ſunt ſub legitima Superioris diſpoſitione. *Bononien. 3. Julii pag. 152., & ſeq.*

Adminiſtratores. Vide *Communitas. Epiſcopus.*

Ætatis diſpenſatio conſulenda Sanctiſſimo favore filii Patroni pro obtinenda Capellania, adimpletis oneribus. *Urbevetana 13. Decemb. pag.241.*

Alimenta ut ſubminiſtrentur fratri Patroni, denegatur ſuſpenſio onerum Miſſarum. *Camerinen. 27. Novemb. pag.233.*

Animarum Curam gerentes omnino ſervare debent *cap.7. ſeſſ. 24.* Conc. Trid. *Fulginaten. 3. Julii pag.143., & ſeq.*

Applicatio Miſſæ Conventualis pro benefactoribus non debet fieri quotidie in Collegiata S. Mariæ in cœlum aſſumptæ Terræ Arcis Siccæ. *Terracinen. Servitii Chori, & Miſſæ Conventualis 11. Decemb. ad 1. dub. p.243., & ſeq.*

Aſſignationi aliorum bonorum pro dotalibus Capellaniæ non eſt locus in *Regien. Permutationis 24. Julii pag.171.*

Aſſociatio cadaverum. Vid. *Parochus.*

Attentata purganda ſunt per viam nullitatis cum reſtitutione fructuum. *Comen. Beneficii 7. Februar. ad II. dub. pag.43.*

Augmentum dotis Capellaniæ fieri debet ex fructibus reſtituendis a quibus de jure a menſe Januar. 1757. *Civitatis Plebis Erectionis Capellaniæ 27. Novemb. ad III., & IV. dub. pag.235., & ſeq.*

B

Beneficiato ab adminiſtratione amoto, & ad inopiam redacto, computata eleemoſina Miſſæ manualis, aſſignandum eſt ex fructibus Præbendæ quantum deerit ad complementum taxæ patrimonii Sacri. *Cornetana Suſpenſionis oneris Miſſarum 8. Maii p. 105.*

Et ſi neglexerit vel reſidentiam, vel alia munera Beneficio annexa, detrahendæ ſunt punctaturæ ex fructibus dicti aſſignamenti. *ibid.*

Ad meliorem frugem reducendus eſt juris remediis. *ibid.*

Non eſt imponendum onus coadjuvandi Parochum in adminiſtratione Sacramentorum. *Præneſtina 21. Auguſti ad III. dub. pag.195., & ſeq.*

Statur in deciſis in *eadem 11. Decemb. ad IV. dub. pag. 250.*

Bona dotalia Capellaniæ non ſunt permutanda. *Regien. Permutationis 24. Julii pag.171.*

C

Cæremoniale Epiſcoporum ſervandum eſt juxta votum Epiſcopi in adventu Magiſtratus ad Eccleſiam Cathedralem, & in receſſu ab eadem. *Terracinen., & Setina 21. Auguſti pag.190., & ſeq.*

Campanæ Regularium Sabbatho Sancto pulſandæ ſunt, cum primum pulſantur campanæ Eccleſiæ matricis. *Senogallien. Præeminentiarum 27. Martii ad II. dub. pag.76., & ſeq., & eiusdem ad V. dub. pag.79., & ſeq.*

Feria V. majoris hebdomadæ non ſunt pulſandæ poſt ſilentium campanarum ejusdem Eccleſiæ matricis. *ibid. ad IV. dub.*

Campanulæ ſonitus in adventu Magiſtratus ad Eccleſiam Cathedralem proſcriptus in *Terracinen., & Setina 21. Auguſti pag. 190., & ſeq.*

Canonicus Pœnitentiarius. Vid. *Concurſus.*

Theologus lectiones peragere debet juxta tradita a *Benedicto XIV. de Synod. lib. 13. cap.9.*

cap. 9. §. 17. Fulginaten. 3. Julii pag. 143., & seq.

Capellæ Rectori debetur legatum Missarum Capellæ relictum a die omissæ solutionis. *Beneventana 24. Januar. tit. II. dub. pag. 75.*

Capellania adjudicanda est passive vocato, præfixo termino duorum mensium ad residendum, adimpletis interim oneribus per alium. *Sabinen. Capellanix ad II. dub. pag. 75.*

In testamento instituta, & pretensive in codicillo revocata per fundationem alterius, erigenda est cum assignatione pro illius dote omnium bonorum hæreditariorum, exceptis assignatis in codicillo pro altera Capellania. *Civitatis Plebis 27. Novemb. ad I., & II. dub. pag 235., & seq.*

Et pro augenda dote ejusdem Capellaniæ, omnes fructus restituendi a quibus de jure a mense Januar. 1757., erogandi sunt in emptionem capitalium. *ibid. ad III., & IV. dub.*

Capellanus, peracta restauratione bonorum, tenetur ad omnia onera juxta voluntatem Testatoris. *Derthonen. 22. Maii pag. 126., & seq.*

Capituli consensus in erectione Parochiæ reportandus est per actum Capitularem. *Verulana Erectionis Parochiæ 22. Maii pag. 123.*

Celebratio Solemnitatis. Vid. *Solemnitas.*

Chori servitium. Vid. *Servitium Chori.*

Clavis retentio. Vid. *Communitas.*

Clerus universus Sæcularis admittendus est ad concursum Canonicatus Pœnitentiarii. *Beneventana 21. Aug. ad II. dub. pag. 189., & seq.*

Clericus infra annum ad Presbyteratum promovendus nominari potest, etiam in concursu Sacerdotis, ad Canonicatum Collegiatæ S. Blasii. *Maceraten. Canonicatus 24. April. ad I. dub. pag. 96., & seq.*

Statur in decisis in eadem 3. Julii pag. 143.

Communitati competit jus retinendi alteram ex clavibus aperientibus ribaltas exterius claudentes urnam S. Peregrini. *Forolivien. 21. Septemb. ad I. dub. pag. 217., & seq.*

Celebrandi Solemnitatem D. Peregrini in die ejus Festo, servata forma decretorum S.C.R., & constitutionum Synodalium. *ibid. ad II. dub.*

Necnon alias solemnitates, & functiones in Capella ejusdem Sancti de consensu Religiosorum, & cum licentia Episcopi juxta modum, & formam ab eodem Episcopo præscribendam. *ibid. ad III., & IV. dub.*

Eligendi per suos Administratores Oratorem, cæteris paribus, ex Ordine PP. Servitarum pro recitanda oratione panegyrica D. Peregrini, ad taxam Episcopi persolvenda ex reditibus Capellæ. *ibid. ad VI., & VII. dub.*

Colligendi extra Ecclesiam, de licentia Episcopi, & juxta modum, & formam ab eodem præscribendam, quæstuas, eleemosynas, & oblationes in honorem D. Peregrini exhibendas, erogandas vel juxta mentem offerentium, vel juxta decretum anni 1727. *ibid. ad IX., & X. dub.*

Retinendi clavem capsulæ eleemosinarum. *ibid. ad XI. dub.*

Reddendi dumtaxat Episcopo rationem earumdem. *ibid. ad XII. dub.*

Necnon bonorum, capitalium, & reditum Capellæ ab anno 1781. tantum. *ibid. ad XIII. dub.*

Sese reintegrandi, reddita prædicta ratione, de impensis factis in canonizatione D. Peregrini juxta formam, & tenorem chirographi Pontificii, cum obligatione extinguendi Loca Montium, de quibus fit mentio in dicto chirographo, docendo de adimplemento coram Episcopo. *ibid. ad XIV., & XV. dub.*

Non incumbit onus interpellandi Priorem, vel Procuratorem Conventus ad congregationes haberi solitas super negotiis respicientibus Capellam, & altare D. Peregrini, illiusque bona, & reditus. *ibid. ad XVI. dub.*

Non licet deputare Administratorem earumdem bonorum ultra triennium, nec eo elapso, eundem confirmare in officio absque licentia Ordinarii, & non reddita prius ratione, ac reliquatu non persoluto. *ibid. ad XVII., & XVIII. dub.*

Ejus pro tempore Administratores, si ab Ordinario fuerint requisiti, tenentur singulis etiam annis rationem reddere. *ibid. ad XIX. dub.*

Renuente, vel differente Communitate Administratorem eligere, potest ab Episcopo eligi independenter ab eadem. *ibid. ad XX. dub.*

Commutatio voluntatis Testatoris binas Capellanias erigi mandantis in rurali Ecclesia construenda indulgetur, facto verbo cum Sanctissimo, ut ex iisdem erigantur in Ecclesia Collegiata quatuor Mansionariæ cum onere celebrandi Sacra ab eodem Testatore præscripta, & interessendi Choro. *Arimin., seu Feretrana 24. April. pag. 92., & seq.*

Denegatur, ut, loco distributionis frumenti per hiemem Pauperibus faciendæ, constituatur stipendium alteri Ludimagistro. *Nullius S. Laurentii in Campo Commutationis voluntatis 11. Decemb. pag. 241., & seq.*

Pariter denegatur, ut legatum a Monasterio Monialium persolvendum Hospitali, eidem Monasterio ob paupertatem applicetur. *Tuscanina 8. Maii ad II. dub. pag. 114., & seq.*

Concionator. Vid. *Oratio panegyrica.*

Concursus convocandus in electione Canonici Pœnitentiarii. *Beneventana 22. Maii ad I. dub. pag. 128., & seq., & 21. Aug. ad idem dub. pag. 189., & seq.*

Ad

Ad quem, recedendo a decisis, admittendi sunt non soli Canonici Ecclesiæ Metropolitanæ, sed omnes de Clero Sæculari. *ibid. ad II. dub. pag.*189., *& seq.*

Confinia Parochiarum. Vid. *Decretum Episcopi*.

Congrua ab Episcopo taxanda, a Canonico persolvenda est Vicario Curato deputando in Parochia Canonicatui unita. *Urbanen.* 11. *Decemb. pag.*248., *& seq.*

Consanguineæ Testatoris, attenta paupertate, assignantur annua scuta decem & octo ex subsidiis Dotalibus, facto verbo cum Sanctissimo. *Urbinaten., seu Ariminen.* 1. *Februar. pag.*43.

Conventualis Missæ applicatio. Vid. *Applicatio.* Reductio. Vid. *Reductio*.

Cultus Divinus detrimentum si patiatur, revocari potest ad servitium Canonicus jubilatus *Præneſtina Jubilationis* 24. *April. p.*85.

D

Decimas deberi ab incolentibus domos Fratrum Stola existentes in Parochia Castri Franchi a die decreti Episcopi secundò rescribitur in *Reatina Dismembrationis*, *& juris decimandi* 10. *Januar. pag.* 1.

Decretum Episcopi præfiniens confinia Parochiarum, & a S.Congr. approbatum, ab eadem tertiò approbatur. *ibid.*

Prælationem ad Beneficium tribuens non sustinetur. *Comen. Beneficii* 7. *Februar. ad I. dub. pag.*43.

Deletio oneris Missarum Canonicatibus annexi, priusquam ob eorum tenuitatem decernatur, & earumdem Missarum loco, Missa Conventualis quotidie applicanda substituatur, scribendum est Episcopo juxta instructionem. *Nucerina Reductionis* 13. *Martii pag.*56., *& seq.* Vid. etiam *Reductio*.

Residui suppressæ jam Capellaniæ indulgetur facto verbo cum Sanctissimo, ut fructus æqualiter distribuantur inter alios Capellanos, cum onere deserviendi Ecclesiæ juxta votum Episcopi. *S. Miniatis* 8. *Maii pag.*106.

Pro parte conceditur juxta votum Episcopi. *Civitatis Plebis* 22. *Maii pag.* 138., *& seq.*

Legati a Monasterio Monialium præstandi Hospitali denegatur. *Tudertina* 8. *Maii ad I. dub. pag.* 114., *& seq.*

Deputatio Administratoris ultrà triennium Communitati prohibita. *Forolivien.* 11. *Septemb. ad* XVII. *dub. pag.*217., *& seq.*

Et Ordinario ex officio permissa independenter a Communitate, quatenus eadem eligere renuat, vel differat. *ibid. ad* XX. *dub.*

Vicarii perpetui. Vid. *Vicarius perpetuus.*

Dispensatio ab irregularitate denegatur Presbytero, qui famulum inter jurgia sclopo occidit. *Papien. Dispensationis* 24. *Julii p.*178., *& seq.*

Necnon alteri, qui mulierem cultro interfecit. *Maioricen. Dispensationis ab irregularitate* 27. *Novemb. pag.*236.

Prout promoto ad S.Ordines cum falsis, prætensivè veris, dimissoriis, qui pluries celebravit. *S. Severinæ Irregularitatis* 24. *Januar. ad II. dub. pag.*25.

Sed postea ex gratia speciali consulitur SSmo, constito de sufficienti patrimonio. 8. *Maii pag.*105.

Pariter denegatur promoto per saltum ad Presbyteratum cùm fallis dimissoriis, absque patrimonio, & dispensatione ab irregularitate ex bello contracta. *Visen.* 27. *Novemb. pag.*235.

Prò Clerico, qui aggressorem extra rixam gladiolo occidit, differtur. *Mutinen. Dispensationis* 7. *Februar. pag.*44.

Prò altero, qui in rixa ictu sclopi oculum eruit, suspensa remanet. *Nullius S. Laurentii in Campo Dispensationis* 8. *Maii p.*116., *& seq.*

Uti prò Presbytero, qui pariter in rixa homicidium gladio commisit. *Nepesina Dispensationis ab irregularitate* 2. *Julii pag.*171.

Indulgetur Vice-Parocho, qui Matrimonio illicito voluntariè adstitit, & sequenti die Missam celebravit. *Arboren. Dispensationis* 13. *Martii pag.*53., *& seq.*

Ad cautelam concedenda Ordinando, qui novennis cùm aliis pueris per jocum lapides in alios projecit, unde ex ignoto ictu puer sexennis percussus, paucos post dies occubuit. *Tridentina Irregularitatis* 27. *Martii pag.*76.

Ætatis. Vid. *Ætatis dispensatio*.

Dispositioni legitimæ Superioris subsunt acquisita per Religiosum. *Bononien.* 3. *Julii pag.*152., *& seq.*

Dos Capellaniæ in Cathedrali erigendæ, constituenda est ex omnibus bonis hæreditariis, exceptis assignatis in Codicillo pro dote alterius Capellaniæ. *Civitatis Plebis Erectionis Capellaniæ* 27. *Novemb. ad II. dub. p.*235., *& seq.*

Et prò augenda eadem dote, omnes fructus restituendi a quibus de jure a mense Januar. 1757., erogandi sunt in emptionem capitalium. *ibid. ad III.*, *& IV. dub.*

Dotalia subsidia per obitum Puellarum innuptarum reversa, non sunt eroganda in fabricam Ecclesiæ. *Lucana* 22. *Maii pag.*134., *& seq.*

Sed forte aliis conferenda. *Æsina Subsidiorum dotalium* 22. *Novemb. p.*234.

Non enim cedunt commodo hæredis. *ibid.*

Prò controverso fieri debet nova electio; & quatenùs Parochus, & Confraternitates non conveniant, conferendum relinquitur

arbitrio Episcopi. *Spoletana Subsidii dotalis* 22. *Maii p.*136., *& seq.*

Bona Capellaniæ non sunt permutanda. *Regten. Permutationis* 24. *Julii p.*171.

E

Ecclesiæ fabrica ùt perficiatur, providendum est juxta votum Emi Relatoris; & ad mentem. *Viterbien. 7. Februar. pag.*44., *& seq.*

Matricitas. Vid. *Matricitas.*

Prænominatio. Vid. *Prænominatio.*

Electio nova peragenda pro collatione subsidii dotalis. *Spoletana Subsidii dotalis* 22. *Maii pag.*136., *& seq.*

Electionis nullitas ex capite Simoniæ prius quam dijudicetur, impinguandus est processus juxtà institutionem D. Secretarii. *Bononien. Nullitatis electionis* 24. *Januar. p.*26., *& seq.*

Eleemosinæ. Vid. *Quæstuæ.*

Emphyteusis instrumentum stipulandum est favore unius ex filiis majoris oblatoris ad tertiam generationem masculinam tantùm. *Auximana Emphyteusis* 10. *Januar. p.*1.

Nec non favore Caroli Antonii Ferraris patris, & filiorum usque ad ipsius Caroli Antonii pronepotes inclusivè. *Lauretana Emphyteusis* 13. *Martii pag.*53.

Episcopus curare debet ùt ad meliorem frugem reducatur Beneficiatus juris remediis. *Cornetana Suspensionis oneris Missarum* 8. *Maii pag.*105.

Ut diffamatus Beneficio Curato renuntiet, reservata tantum congrua juxtà taxam Synodalem. *Camerinen., seù Fabrianen.* 8. *Maii p.*110., *& seq.*

Ut Capellaniæ bona restaurentur. *Derthonen.* 22. *Maii p.*126., *& seq.*

Cogere debet juris remediis hæredes ad reintegrationem summæ alienatæ. *Tuderti na Reductionis* 24. *Julii p.*182., *& seq.*

Ejus arbitrio remittitur collatio subsidii dotalis, quatenùs Parochus, & Confraternitates in nova electione non conveniant. *Spoletana Subsidii dotalis* 22. *Maii p.*136., *& seq.*

Necnon recitatio orationis panegyricæ in die Festo D. Peregrini tempore, hora, & præmio ab eodem præscribendis. *Forolivien.* 21. *Septemb. ad V., VI., & VIII. dub. p.*217., *& seq.*

Ipsius decretum præfiniens confinia Parochiarum tertiò adprobatur. *Reatina Dismembrationis. & juris decimandi* 10. *Januarii pag.*1.

De ejus licentia, & juxtà modum, & formam ab ipso præscribendam, quæstuæ, eleemosinæ, & oblationes in honorem D. Peregrini colligendæ sunt extrà Ecclesiam ab Administratoribus Capellæ. *Forolivien.* 11. *Septemb. ad IX., & X. dub. pag.* 217., *& seq.*

Et earumdem ratio, necnon bonorum ad Capellam D. Peregrini spectantium ipsi reddenda est ab iisdem Administratoribus. *ibid. ad XII, & XIII. dub.*

Etiam quotannis, si ab ipso fuerint requisiti. *ibid. ad XIX. dub.*

Absque ejus licentia non potest a Communitate confirmari Administrator in officio elapso triennio. *ibid. ad XVIII. dub.*

Sed, si Communitas renuat, vel differat novum eligere, potest ab ipso cogi, & deputari ex officio, & independenter ab eadem Communitate. *ibid. ad XX. dub.*

Erectio novæ Parochiæ permittitur juxtà votum Episcopi, non obstante dissensu Beneficiati, cujus Beneficium, unà cum alio, dum eorum vacatio contigerit, uniri petitur erigendæ Parochiæ. *Veralana Erectionis Parochiæ* 22. *Maii p.*123.

Prabendæ Theologalis in Ecclesia Collegiata non est facienda ex reditibus Parochiæ, cujus unio alteri Parochiæ denegatur. *Firmana Unionis Parochiarum, & erectionis Prebendæ Theologalis* 3. *Julii pag.* 157., *& seq.*

Duplicis Beneficii facta ad formam testamenti non est servanda, sed reformanda ad formam codicilli. *Montis Falisci Beneficiorum* 27. *Novem. pag.*233.

Fieri debet Capellaniæ in testamento demandatæ, & præsentivè in codicillo revocatæ per fundationem alterius. *Civitatis Flebis* 27. *Novemb. ad I. dub. pag.* 235., *& seq.*

Prò ejusdem dote assignanda sunt omnia bona hæreditaria, exceptis assignatis in codicillo prò altera Capellania. *ibid. ad II. dub.*

Et fructus restituendi sunt a quibus de jure a mense Januar. 1757., ut erogentur in emptionem capitalium prò augenda dote ejusdem Capellaniæ. *ibid. ad III., & IV. dub.*

Examine novo præsentati ad Canonicatum expleto, Episcopus referre debet super ejus idoneitate. *Nucerina Canonicatus* 27. *Novemb. p.*234.

Examini novo locus est prò obtinenda Beneficii institutione, denegata ab Episcopo ex capite inidoneitatis. *Lauretana* 24. *April. p.*90., *& seq.*

Executio litterarum Apostolicarum de provisione Canonicatus juxtà decretum vacantis denegatur, cum locus sit regressui. *Fanen.* 10. *Januarii ad IV. dub. pag.*2., *& seq.*

Et statur in decisis in *eadem* 24. *April. pag.*85.

Extranei nominatio ad Capellaniam reprobatur, extantibus passivè vocatis. *Sabinen. Capellaniæ* 27. *Martii ad I. dub. pag.*71

F

FAbrica Ecclesiæ ut perficiatur, providendum est juxta votum Emi Relatoris; & ad mentem. *Viterbien. 7. Februar. pag. 44., & seq.*

Familiares Papæ tenentur ad solutionem taxæ Seminarii. *Romana Taxæ Seminarii 24 Julii p.172., & seq.*

Fenestram tantum prò Sacris audiendis aperiri indulgetur ad vitam Oratoris, & eius matris cùm solitis clausulis. *Spoletana 24. Julii pag.184., & seq.*

Festis diebus præstervari semper debet servitium omnium Canonicorum. *Lucana Servitii Chori 10. Januar. p.12., & seq.*

Fructus attentatæ possessionis per viam nullitatis purgandæ, restituendi sunt. *Comen. Beneficii 7. Februar. ad II. dub. p.43.*

Functiones celebrandi in Capella D. Peregrini jus competit Communitati de consensu Religiosorum, & cum licentia Episcopi juxta modum, & formam ab eodem præscribendam. *Forolivien. 11. Septemb. ad III., & IV. dub. p.217., & seq.*

Funerum tempore Parochus S. Mariæ de Platea retinere potest crucem elevatam in Ecclesia PP. Reformatorum S. Crucis. *Senogallien. Præeminentiarum 27. Martii ad II. dub. p.79., & seq.*

I

IDoneitas præsentati ad Canonicatum, prævio novo examine, referenda est ab Episcopo. *Nucerina Canonicatus 27. Novemb. pag.234.*

Imminutio redituum. Vid. *Reductio.*

Immutatio servitii Chori. Vid. *Servitium Chori.*

Impetratio Archidiaconatus reprobatur, cùm illius provisio ad aliud sexennium suspensa declaretur. *Fanen. 10. Januar. ad II. dub. p.2., & seq.*

Canonicatus juxtà decretum vacantis non sustinetur, cum locus sit regressui. *ibid. ad IV. dub.*

Et statur in decisis in *eadem 24. April. pag.85.*

Indultum fenestram tantum aperiendi prò Sacris audiendis, conceditur ad vitam Oratoris, & ejus matris cùm solitis clausulis. *Spoletana 24. Junii pag.184., & seq.*

Jubilationis. Vid. infrà *Jubilatio.*

Institutio præsentati a Patrono in possessione existente sustinetur. *Beneventana 24. Januar. ad I. dub. pag.25.*

Ex capite inidoneitatis denegata adprobatur, & novo examini locus datur. *Laurentana 24. April. pag.90., & seq.*

Et idoneo reperto, institutio, prævio recessu a decisis, adjudicatur. *in eadem 27. Novemb. p.235.*

Instituto debetur præstatio annui legati Missarum Capellæ relicti a die omissæ solutionis. *Beneventana 24 Januar. ad II. dub p.25.*

Interessentia Choro. Vid. *Servitium Chori.*

Irregularitas declaratur Presbyteri, qui cum falsis, prætensive veris, dimissoriis S. Ordines suscepit, & pluries celebravit. *S.S. Serinæ Irregularitatis 24. Januar. ad I. dub. p.25.* Vid. etiam *Dispensatio.*

Jubilatio conceditur non obstante dissensu Capituli, & exiguo numero Canonicorum inservientium, cum facultate tamen revocandi ad servitium, quatenùs divinus cultus detrimentum patiatur. *Prænestina Jubilationis 24. April. p.85.*

Jus colligendi quæstuas, eleemosinas, & oblationes. Vid. *Communitas. Religiosi.*

Interessendi congregationibus a Communitate haberi solitis non competit Priori, vel Procuratori Conventus. *Forolivien. 11. Septemb. ad XI. dub. p.217., & seq.*

Retinendi clavem. Vid. *Communitas.*

L

LEgatum annuum Missarum Capellæ relictum, præstandum est ejus Rectori a die omissæ solutionis. *Beneventana 24. Januar. ad II. dub. p.25.*

Oblatum, juxtà votum Ordinarii, nempè cum reductione Missarum, acceptari præscribitur. *Civitatis Plebis 22. Maii. pag. 138., & seq.*

Legati commutatio. Vid. *Commutatio.*

Deletio. Vid. *Deletio.*

Litteræ Apostolicæ provisionis Canonicatus juxta decretum vacantis, non sunt exequendæ, cùm locus sit regressui. *Fanen. 10. Januar. ad I. dub. p.2., & seq.*

Locatio fieri debet omnium bonorum oblatori annui reditus scutorum centum, nisi per affixionem edictorum melior oblatio sperari possit. *Derthonen. 22. Maii p.126. & seq.*

M

MAgistratus in adventu ad Ecclesiam Cathedralem, & in recessu ab eadem tam absente, quam præsente Episcopo, vel Pontificalia exercente, servandum est cæremoniale Episcoporum juxta votum Episcopi. *Terracinen., & Setina 21. Augusti p.190., & seq.*

Matricitas Ecclesiæ declaratur quoad actus præeminentiales tantùm. *Senogallien. Præeminentiarum 27. Martii ad I. dub. p.76., &*

seq.; *& eiusdem ad I. dub. p.79., & seq.*
Missæ a Canonicis celebrandæ, restituendæ sunt ad numerum 280. prò quolibet juxtà reductionem anni 1689. *Senogallien. Reductionis Missarum 21. Augusti p.189.*
Sed ab hoc decreto recedit ur 11. *Decemb. p.247., & seq.*
Missarum deletio. Vid. *Deletio.*
Reductio Vid, *Reductio*,
Reportatio. Vid. *Reportatio.*
Subrogatio. Vid, *Subrogatio.*
Translatio. Vid. *Translatio.*
Monasterio de jure competunt acquisita per Religiosum, & subsunt legitimæ Superioris dispositioni. *Bononien. 3. Julii p.152., & seq.*

N

NOminatio extranei ad Capellaniam, extantibus passivè vocatis, rejicitur. *Sabinen. Capellaniæ 27. Martii ad I. dub. pag.75.*
Clerici infrà annum ad Presbyteratum promovendi permissa Communitati, etiam in concursu Sacerdotis, *Maceraten. Canonicatus 24. April. ad I. dub. p.96. & seq.*
Subdiaconi proindè sustinetur. *ibid. ad II. dub.*
Et statur in decisis *in eadem 3. Julii pag.143.*
Nullitatis electionis ex capite Simoniæ judicium differtur, & impinguandus est processus juxta instructionem D Secretarii. *Bononien. Nullitatis electionis 24. Januar. p.26., & seq.*

O

OBlationes. Vid. *Quæstiones.*
OEconomi appositio firma remanere debet in *Camerinen., seù Fabrianen. 8. Maii p.110., & seq.*
Omissionum absolutio. Vid. *Absolutio.*
Onus non est imponendum Beneficiato coadjuvandi Parochum in administratione Sacramentorum. *Præneftina 21. Augusti ad III. dub. p.195., & seq.*
Statur in decisis *in eadem 11. Decemb. ad IV. dub. p.250.*
Oratio panegyrica arbitrio Episcopi recitanda est in die Festo D. Peregrini. *Forolivien. 11. Septemb. ad V. dub. p.217., & seq.*
Tempore, & hora ab eodem Episcopo præscribendis. *ibid. ad VIII. dub.*
Per Oratorem ab Administratoribus deputandum, cæteris paribus, ex Ordine Servorum B. M. V., & ex reditibus Capellæ ad taxam Episcopi persolvendum. *ibid. ad VI., & VII. dub.*
Ordinarius. Vid. *Episcopus.*

P

POEnitentiarius Canonicus. Vid. *Concursus.*
Panegyrica oratio. Vid. *Oratio.*
Parochus S. Mariæ de Platea, occasione associationis cadaverum, ingredi potest Ecclesiam PP. Retormatorum S.Crucis cùm stola, & Cruce elevata, eamque sic retinere tempore tunctum. *Senogallien. Præeminentiarum 27. Martii ad II. dub. p.79., & seq.*
Parochiæ erectioni locus est juxta votum Episcopi, reportato tamen consensu Capituli per actum Capitularem, *Verulana Erectionis Parochiæ 22. Maii p.123.*
Parochialis Ecclesiæ restauratio. Vid. *Restauratio.*
Parochiarum divisio. Vid, *Decretum Episcopi.*
Unio. Vid. *Unio.*
Passivè vocato adjudicanda est Capellania, præfixo termino duorum mensium ad residendum. *Sabinen. Capellaniæ 27. Martii ad II. dub. p.75.*
Patroni in possessione existentis nominatio sustinetur, *Beneventana 24. Januar. ad I. dub. pag.25.*
Permutatio bonorum dotalium Capellaniæ denegatur. *Regien. Permutationis 24. Julii pag.171.*
Præbenda Theologalis. Vid. *Theologalis Præbenda.*
Præcedentia, & præeminentia competit Cruci Ecclesiæ S. Mariæ de Platea. *Senogallien. Præeminentiarum 27. Martii ad III. dub. p.79., & seq.*
Præeminentiales quoad actus tantum declaratur matricitas Ecclesiæ in *Senogallien. Præeminentiarum 27. Martii ad I. dub. p.76., & seq.*
Prælatio competit qualificato juxtà legem fundationis, & decretum Episcopi eamdem alteri tribuens non sustinetur. *Comen. Beneficii 7. Februar. ad I. dub. p.43.*
Prænominationem competere Ecclesiæ in qua residebit Episcopus; si verò extra utramque resideat, competere Ecclesiæ Viterbien. denuò referibitur. *Viterbien., seù Tuscanen. 27. Martii p.76.*
Privationi priusquam resolvatur an sit locus, scribendum est Episcopo, ut curet quod Parochus renuntiet Beneficio Parochiali, reservata tantum congrua juxtà taxam Synodalem: quatenus verò recuset, transmittat procellum anni 1766. *Camerinen., seu Fabrianen. 8. Maii p.110., & seq.*
Promovendus infrà annum ad Presbyteratum nominari potest a Communitate, etiam in concursu Sacerdotis, ad Canonicatum Collegiatæ S.Blasii. *Maceraten. Canonicatus 24. April. ad I. dub. p.96., & seq.*

Prorogatio præcedentis indulti ſuſpenſionis Miſſæ quotidianæ conceditur ad annum. *Faventina Reductionis ſervitii Chori, & Miſſarum 7. Februar. p.44.*

Pulſatio Campanarum. Vid. *Campanæ.*

Q

QUæſtuæ in honorem D. Peregrini intrà ambitum Eccleſiæ colligendæ ſunt a Religioſis. *Foroliv. 11. Septemb. ad IX. dub. p.217., & ſeq.*

Extrà Eccleſiam verò ab Adminiſtratoribus Capellæ de licentia Epiſcopi. *ibid.*

Juxtà modum, & formam ab eodem Epiſcopo præſcribendam *ibid. ad X. dub.*

Erogandæ ſunt, vel juxtà mentem offerentium, vel juxtà decretum anni 1727. *ibid.*

A Religioſis collectæ, conſignandæ ſunt Depoſitario Capellæ *ibid.*

Earumdem ratio reddenda eſt Epiſcopo *ibid. ad XII. dub.*

R

REctori Capellæ debetur præſtatio annui legati Miſſarum eidem Capellæ relicti a die omiſſæ ſolutionis. *Beneventana 24. Januar. ad II. dub. p.25.*

Redditio rationis. Vid. *Communitas. Epiſcopus.*

Reductio Miſſæ Conventualis conceditur ad dies Dominicos, & Feſtos de præcepto ob tenuitatem redituum. *Recineten. Reductionis Miſſæ Conventualis 24. Januar. p.26.*

Miſſarum denegatur Capellano, qui imminutis reditibus Capellaniæ, cujus titulo ordinatus fuerat, hujuſmodi reductionem efflagitabat deducta patrimonii taxa ex ſuperextantibus reditibus. *Ariminen. Reductionis 13. Martii p.58., & ſeq.*

Pariter denegatur in *Perugina Reductionis 3. Julii ad II. dub. p. 162., & ſeq.* in *Regien. Reductionis 24. Julii p.176., & ſeq.* & in *Tudertina Reductionis ejuſdem 24. Julii p.182., & ſeq.*

Manſionariis incumbentium fieri debet ad medietatem. *Senogalliens. Reductionis Miſſarum 21. Auguſti p.189.*

Statur in decliſis *in eadem 11. Decemb. p.247., & ſeq.*

Anni 1693. ſervanda eſt a Canonicis, recedendo a deciſis. *ibid.*

Arbitrio Epiſcopi remittitur, habita ratione ad reditus, & onera unicuique Canonicatui impoſita, dummodò tamen reductio prò unoquoque Canonicatu non excedat medietatem onerum. *Nucerina Reductionis 8. Maii p.106., & ſeq.*

Reductio facta a Vicario onerum per contractum acceptatorum non ſuſtinetur. *Vallisoletana 22. Maii p.123., & ſeq.*

Trium Capellaniarum a Fundatore demandatarum ad unam dumtaxat erectam, cum aſſignatione omnium bonorum, non improbatur ob tenuitatem reditnum; ſed tenetur Capellanus, poſtquam bona fuerint reſtaurata, ad omnia onera juxta voluntatem Teſtatoris. *Derthonen. 22. Maii pag. 126., & ſeq.*

Reductioni onerum locus eſt juxtà votum Vicarii Generalis *in Viterbien. Reductionis oner. rum 8. Maii p.108. & ſeq.*

Necnon ſervitii Chori, & Miſſæ Conventualis in *Terracinen. Servitii Chori, & Miſſæ Conventualis 11. Decemb. pag. 243., & ſeq.*

Reformari debet ad formam codicilli erectio duplicis Beneficii facta ad formam teſtamenti. *Montis Faliſci Beneficiorum 27. Novemb. pag.233.*

Regreſſui Canonicatus juxtà decretum vacantis locus eſt, cùm impetratio Archidiaconatus non ſuſtineatur. *Fanen. 10. Januar. ad III. dub. p.2., & ſeq.*

Statur in deciſis *in eadem 24. April. p.85.*

Regulares quoad jus pulſandi campanas in hebdomada majori. Vid. *Campanæ.*

Religioſi diſpoſitio ad pias cauſas non adprobatur; ſed referibitur bona, & reditus de jure competere Monaſterio, & eſſe ſub legitima Superioris diſpoſitione; & ad mentem. *Bononien. 3. Julii p.152., & ſeq.*

Reportatio oneris Miſſarum fieri debet ab Eccleſia Monialium ad Eccleſiam Fundatoris, prout fuit in primo loco deciſum. *Firmana Reportationis oneris Miſſarum 27. Martii pag.80.*

Reſtaurationem Eccleſiæ Parochialis incumbere Populo, & poſſidentibus in diſtrictu Parochiæ per æs, & libram denuò referibitur. *Imolen. Reſtaurationis Eccleſiæ Parochialis 10. Januar. p.12.*

Bonorum Capellaniæ curare debet Epiſcopus. *Derthonen. 22. Maii pag. 126., & ſeq.*

Domorum Beneficii faciendam eſſe præſcribitur ex ſuperextantibus reditibus provenientibus ex ſuſpenſione Miſſarum ad ſexennium. *Cornetana Suſpenſionis oneris Miſſarum 8. Maii p.105.*

Reſtitutio fructuum fieri debet a quibus de jure a menſe Januar. 1757., ut erogentur in emptionem capitalium prò augenda dote Capellaniæ. *Civitatis Pl. bis 27. Novemb. ad III., & IV. dub. pag.235., & ſeq.*

S

SCripturæ Sacræ lectiones per Canonicum Theologum peragendæ ſunt juxta tradita a *Benedicto XIV. de Synod. lib.13. cap.9. §.17. Fulginaten. 3. Julii p.143., & ſeq.*

Seminarii taxam ſolvere tenentur Familiares Pa-

Papæ. *Romana Taxæ Seminarii* 24. *Julii p.* 172., *& seq.*

Servitii Chori circa petitam immutationem scribendam est Archiepiscopo, qui proponat alia media ad sublevandum onus Capituli, præservato tamen semper servitio omnium Canonicorum in diebus Festis. *Luana Servitii Chori* 10. *Januar. p.*12., *& seq.*

Præstatio, etiam tempore Adventus, & Quadragesimæ, & in octava Corporis Christi, aliisque octavis privilegiatis fieri debet a Capitulo Cathedralis Altari juxta decretum in Causa Ferentina diei 3. *Augusti* 1782. *Lucerna Servitii Chori* 24. *April. pag.*85., *& seq.*

Ad illud revocari potest Canonicus jubilatus, si Divinus cultus detrimentum patiatur. *Prænestina Jubilationis* 24. *April. pag.* 85.

Servitium quotidianum ut in Ecclesia Cathedrali præstent Capellani Salviati, deletur onus Missarum suppressæ jam Capellaniæ, quod per eosdem remanebat adimplendum. *Sancti Minutii* 8. *Julii pag.*106.

Non est præstandum in Collegiata S. Mariæ in cælum assumpæ Terræ Arcis Siccæ. *Terracinen. Servitii Chori, & Missæ Conventualis* 11. *Decemb. ad* 1. *dub. pag.*243., *& seq.*

Solemnitas in honorem D. Peregrini celebranda est per Communitatem, servata forma decretorum S. C. R., & constitutionum Synodalium. *Forolivien.* 11. *Septemb. ad II. dub. pag.*217., *& seq.*

Solemnitates, & functiones aliæ celebrari etiam possunt per eamdem in Capella D. Peregrini de consensu Religiosorum, & cum licentia Episcopi juxta modum, & formam ab eodem præscribendam. *ibid. ad III., & IV. dub.*

Subrogatio Missæ Conventualis quotidie applicandæ loco Missarum juxta modum reducendarum, indulgetur. *Nucerina Reductionis* 8. *Maii pag.*106., *& seq.*

Aliorum bonorum bonis dotalibus Capellaniæ denegatur. *Regien. Permutationis* 24. *Julii pag.*171.

Subsidia dotalia. Vid. *Dotalia Subsidia.*

Superioris legitimæ dispositioni subsunt acquisita per Religiosum. *Bononien.* 3. *Julii pag.* 152., *& seq.*

Suspensio provisionis Archidiaconatus, ad dimittendum ex fructibus æs alienum, prorogata sustinetur ad sexennium, licet novus non accesserit consensus Communitatis, quæ suspensioni ad annos duodecim petitæ, & ad septem indultæ consenserat. *Famen.* 10. *Januar. ad I. dub. pag.*2., *& seq.*

Statur in decisis in *eadem* 24. *April. p.*85.

Missarum, celebrata una quolibet mense, indulgetur ad sexennium. *Cornetana Suspensionis oneris Missarum* 8. *Maii pag.* 105.

Onerum, ad dimittendum hæreditatis debitum, remittitur ad D. Secretarium cum Episcopo juxta mentem. *Ariminen. Suspensionis onerum* 13. *Martii pag.*62., *& seq.*

Onerum Missarum, ad effectum subministrandi alimenta fratri Patroni abnegatur. *Camerinen.* 27. *Novemb. pag.*233.

T

Taxa Seminarii a Familiaribus Papæ persolvenda. *Romana Taxæ Seminarii* 24. *Julii pag.*172., *& seq.*

Terminus duorum mensium præfigendus est ad residendum. *Sabinen. Capellaniæ* 27. *Martii ad II. dub. pag.*75.

Testatoris Consanguineæ. Vid. *Consanguineæ Testatoris.*

Theologalis Præbenda non est erigenda ex reditibus Parochiæ, cujus unio alteri denegatur. *Firmana Unionis Paræciarum, & erectionis Præbendæ Theologalis* 3. *Julii ad II. dub. pag.*157., *& seq.*

Theologus Canonicus. Vid. *Canonicus Theologus.*

Translatio oneris Missarum ad Ecclesiam Monialium non sustinetur, sed reportatio fieri debet ad Ecclesiam Fundatoris, prout fuit in primo loco decisum. *Firmana Reportationis oneris Missarum* 27. *Martii pag.*80.

Duarum Capellaniarum erigendarum in rurali Ecclesia construenda, ad Collegiatam juxta preces conceditur, facto verbo cum Sanctissimo. *Ariminen., seu Feretrana* 24. *April. pag.*92., *& seq.*

V

Vacatio trium mensium an sit concedenda? resolutio differtur usque ad novam informationem. *Ariminen. Servitii Chori* 24. *Julii pag.*171.

Vicarius perpetuus loco amovibilis constituendus est in Parochia S. Andreæ juxta votum Episcopi. *Vaden.* 7. *Februar. pag.*42.

Curatus deputandus cum congrua ab Episcopo taxanda, & a Canonico persolvenda in *Urbanien.* 11. *Decemb. pag.*248., *& seq.*

Unio Paræciarum, ut ex reditibus unius erigatur Præbenda Theologalis in Ecclesia Collegiata, abnegatur. *Firmana Unionis Paræciarum, & erectionis Præbendæ Theologalis* 3. *Julii ad I. dub. pag.*157., *& seq.*

Voluntatis commutatio. Vid. *Commutatio voluntatis.*

FINIS

INDEX
CONCLUSIONUM,

Quæ adnotatæ fuerunt in foliis Cauſarum anni 1784.

A

A Beſſendi indultum per tres menſes Capitulis Cathedralium, & Collegiatarum quandonam conceditur, aut denegatur? *pag.*166. §. *Advertit. & ſeq.*

Abſentia enim trium menſium omnibus non eſt a S.Conc. Trident. conceſſa. *ibid.*

Sed longior ex Statutis aut conſuetudinibus ad tres tantum menſes coercita eſt. *ibid.*

Præfervatæ quippe fuerunt conſtitutiones longius ſervitii tempus requirentes. *ibid.*

Cauſa ſtudiorum non computanda in ſpatio 40.annorum ad effectum Jubilationis obtinendæ, *pag.*82. §. *In Nepeſina*.

Secus cauſa infirmitatis cum debitis licentiis, vel pro Eccleſiæ ſervitio, vel cum indultis abeſſendi pro diebus, & horis ratione munerum. *ibid.*

Abſolutio a ſuſpenſione indulta fuit Promoto ad Presbyteratum cum falſis dimiſſoriis, prohibitione tamen adjecta celebrandi in propria Diœceſi. *pag.*20. §. *Pœnam*.

Adminiſtratores tam Eccleſiaſtici quam Laici quorumcumque Locorum piorum tenentur quotannis rationem reddere Ordinario, *pag.*210. §. *Quoad*.

Niſi ſecus in fundatione expreſſe cautum fuerit. *ibid.*

Rationem tamen reddendo aliis ad id deputatis, illum adhibere debent. *ibid.*

Aeris inclementia præbet cauſam reductionis ſervitii aſſidui Chori. *pag.* 15. §. *Pluries*.

Ætatis defectus an homicidam ab irregularitate immunem reddat? *pag.* 72. §. *Quamvis*, & *ſeq.*

Diſpenſatio facilius indulgeri ſolet paſſive vocato, Comparrono, aut Conſanguineo Fundatoris, accedente conſenſu Patronorum, & intereſſe habentium. *pag.* 240. §. *Ad diſpenſationem*.

Et indulta fuit Pueris duorum, quatuor, & quinque annorum. *ibid.*

Alienatio bonorum Eccleſiæ vetita. *pag.* 11. §. *Dubium*.

Inferioribus Prælatis, & Beneficiatis ſub pœna privationis ipſo facto Beneficiorum, quorum bona alienarunt. *ibid.*

Permittitur concurrente juſta, & rationabili cauſa. *pag.*170. §. *Permittitur*.

Difficilius tamen, ſi adſit prohibitio hominis. *ibid.*

Quæ ſperuenda eſt, ſi nulli honeſtæ, & laudabili cauſæ nitatur. *ibid.*

Non obſtante prohibitione Teſtatoris, & diſſenſu hæredis permiſſa in *Bononien.* §. *Sacra*.

Alimenta nedum Patrono pauperi ſubminiſtranda ſunt *pag.*204. §. *Patrono*.

Sed ejus quoque uxori, & filiis. *ibid.*

Ex ſuperfluis neceſſitati Beneficiati, & cultus divini. *pag.*205. §. *Petit*.

Alimentorum jus numeratur inter fructus Patronatus. §. *Cum autem*.

Pro eorumdem conſecutione requiritur paupertas non tamen extrema, ſed reſpectiva. §. *Ad aſſequenda*.

Vid. etiam *Patronus*.

Alternativa, Vid. *Servitium*.

Applicatio Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus quotidie facienda, ob tenuitatem redituum ad Feſtos tantum dies reducenda. *pag.*24. §. *Quamvis*,

Et ſæpe a Sac. Cong. reducta conſtito de redituum inſufficientia. §. *Sacra*.

Aqua benedicta ſingulis Dominicis ante Miſſam ſolemnem renovanda. *pag.*16. §. *Ponderandum*.

Et de eadem aſpergendus Populus. *ibid.*

Prælato Referendario, aut Gubernatori per contactum aſperſorii danda a Miniſtro ſuperpellicco induto. *pag.*194. §. *De præſtatione*.

Aſperſorium Epiſcopo ad januam Eccleſiæ porrigendum a digniore ex Capitulo, ut primo ſeipſum aſpergat, dein Canonicos, & alios circumſtantes. *pag.*193. §. *Id etiam*.

Bellum,

B

BEllum Clericis interdictum. *pag.* 221. §. *Præterea*. Vid. *Clerici*.

Beneficia simplicia de jure residentiam non requirunt. *pag.* 199. §. *Beneficia*.

Nisi in fundatione præscribatur. *ibid.*

Aut Beneficiato injungatur onus celebrandi per se ipsum. *ibid.*

Residentia'e propterea declaratum fuit Beneficium in Saliburgen. §. *In una*.

Obtenturi scientia saltem congrua debent esse instructi *pag.* 91. §. *Videndum*.

Beneficii institutio debetur legitime præsentato a Patrono. *pag.* 23. §. *Regula*.

In erectione possunt Fundatores apponere onera, qualitates, conditiones, & leges sibi benevisas. *pag.* 203. §. *Lambertinus*.

Necnon ante actum erectionis tollere, & adjicere quascumque substitutiones pariter sibi benevisas. *ibid.*

Et si in illo actu erectionis neglectæ, vel omissæ ab Ordinario fuerint, iis postea supplendum est. *ibid.*

Privatio inducitur ipso facto ob alienationem bonorum ejusdem. *pag.* 11. §. *Dubium*.

Et de illo libere provideri potest per Locorum Ordinarios, vel alios ad quos collatio spectat, persona idonea, excepta illa, quæ propter alienationem privata existit. *ibid.*

C

CAmpanæ Sabbatho Sancto non sunt pulsandæ, nisi pulsatis campanis Cathedralis, seu Matricis; aut dignioris Ecclesiæ. *pag.* 77. §. *Cum*, & *seq.*

Pulsandæ sunt in accessu S.R.E. Cardinalis ad Ecclesiam. *pag.* 194. §. *Ex his*.

Canonici Cathedralium, & Collegiatarum de jure tenentur quotidie Choro interesse. *pag.* 165. §. *In rure*.

Nec possunt ultra tres menses abesse vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis. *ibid.*

Salvis tamen constitutionibus longius servitii tempus requirentibus. *ibid.*

Canonicus Pœnitentiarius ex præscripto Sac. Conc. Trident. in omnibus Cathedralibus instituendus. *pag.* 132. §. *Hujusmodi*.

Qui Magister sit, vel Doctor, aut Licentiatus in S. Theologia, vel jure Canonico, & annorum 40., seu alias, qui aptior pro Loci qualitate reperiatur. *ibid.*

Præsens in Choro censetur, dum confessiones in Ecclesia excipit. *ibid.*

Per concursum eligendus, uti Canonicus Theologus. *pag.* 133. §. *Constabilita*.

Scholasticus. Vid. *Scholasticus*.

Capellania quomodo dignoscatur an sit Ecclesiastica, an mere Laicalis; ita ut a Clericis conjugatis, & Laicis retineri possit? *pag.* 238. §. *Duo*, & *seq.*

Capituli consensus requiritur pro uniendis Beneficiis simplicibus, vel supprimendis nonnullis Præbendis ad consulendum earum tenuitati. *pag.* 58. §. *Ad consulendum*.

Censura Ecclesiastica irretiti, si in officio ministrent, irregulares evadunt. *pag.* 20. §. *Panam*, *pag.* 55. §. *Bonifacius*, & *pag.* 223. §. *Hæc quoad*.

Vid. etiam *Dispensatio*.

Multiplicari potest, non autem irregularitas. *pag.* 74. §. *Illud*.

Chori servitium. Vid. *Servitium Chori*.

Claves Reliquiarum quandonam retineri possunt a Laicis. *pag.* 208. §. *Ad* 1.

Clerici licite ludentes, & homicidium, Inspectis omnibus circumstantiis, casuale committentes, non fiunt irregulares. *pag.* 74. §. *Cum*.

Incontinentes juxta Canonicas Sanctiones puniendi *pag.* 113. §. *In Capite*.

Incorrigibiles, præmissa trina monitione, excommunicari, & Beneficiis privari possunt. §. *De Parochis*, & *seq.*

Militiæ Sæculari adscripti, si a Prælatis tertio moniti, arma non deponant, privilegia amittunt. *pag.* 221. §. *Præstat*.

Ac irregulares fiunt, si dimicaverint. §. *Nec solum*.

Et bello injusto interfuerint, etiam si non occiderint, vel mutilaverint, sed solo consilio, vel præsentia morti, vel mutilationi causam dederint. *pag.* 222. §. *Distinguunt*.

Irregulares autem non fiunt, si bello justo defensivo ex necessitate interfuerint, dummodo neminem propriis manibus occiderint, vel mutilaverint. *pag.* 223. §. *Si tamen*.

Alias irregularitatem contrahunt, etiam si in subsidium præliati fuerint. *ibid.*

Sed ab illa irregularitate dispensationem facilius merentur. §. *Irregularitatem*.

Et sæpius fuit indulta. *ibid.*, & *seq.*

Codicillo mutari possunt disposita in testamento, excepta hæredis institutione. *pag.* 202. §. *Dispositæ*.

Collator ordinarius potest libere conferre Beneficium vacans ipso facto ob alienationem factam a Beneficiato illius bonorum. *pag.* 11. §. *Dubium*.

Non tamen eidem privato. *ibid.*

Commutatio voluntatis. Vid. *Voluntatis commutatio*.

Concio habenda finito Evangelio. *pag.* 209. §. *Agitur*.

Concionator eligendus a solvente præmium. *ibid.*

Nisi contraria adsit consuetudo. *ibid.*

Pro Ecclesiis Regularium, cæteris paribus, ex eorum Ordine. *ibid.*

Concursus idem habendus pro Præbenda Theologali, ac pro Parochialibus. *pag.* 132. §. *Ut autem*.

Ad

Ad concursum Parochialium nedum Diœcesani, sed etiam exteri invitandi sunt. *pag.* 134. §. *Quatenus*.

Nisi speciale adsit privilegium electionem coercens ad certum, & circumscriptum genus personarum. *ibid.*

Confirmatio electionis Officialium Confraternitatis spectat ad Episcopum. *pag.* 211. §. *Pro*.

Veterum fieri nequit a Confratribus absque licentia Episcopi. §. *Ad solutionem*.

Congrua non debet esse major centum, nec minor quinquaginta scutorum. *pag.* 36. §. *Concilium*.

Consanguinei pauperes ex præsumpta Testatoris voluntate exteris debent præferri. *pag.* 34. §. *Dum agitur*.

Consensus in actu prorogationis gratiæ an denuo exquirendus? *pag.* 10. *De Communitatis*.

Rectoris Ecclesiæ exquiri debet pro peragendis per Patronum Capellæ functionibus servitutem in tota Ecclesia inducentibus. *pag.* 209. §. *Quoad*.

Nequaquam tamen pro aliis, uti est Missarum celebratio fine cantu. *ibid.*

Consuetudo servanda, quod in Ecclesia Regularium deputetur Concionator alterius Ordinis. *pag.* 209. §. *Agitur*.

Necnon quod alius eligat Concionatorem, alius vero eleemosinam solvat. *ibid.*

Conventualis Missæ applicatio. Vid. *Applicatio*.

D

Deletioni onerum locus est, si omnia bona perierint, & nullus teneatur ad supplendum. *pag.* 115. §. *Juxta*.

Deputatio Vicarii perpetui. Vid. *Vicarius perpetuus*.

Dismembratio Parochiæ. Vid. *Parochiæ nova erectio*.

Dispensatio ab irregularitate ex defectu difficilius conceditur, quam ex violatione censurarum. *pag.* 55. §. *Bonifacius*.

Ex violatione censurarum ut concedatur, requiruntur boni mores, resipiscentiæ signa, ac congruum tempus effluxum a die delicti. *ibid.*

Promoto facilius indulgetur, quam promovendo. *pag.* 42. §. *Necnon*, & *pag.* 55. §. *Bonifacius*.

Arbitrio Episcopi fuit remissa. *pag.* 56. §. *In Allinganen.*

Ex homicidio quandonam ex præscripto S. Conc. Trident. concedenda, aut abneganda? *pag.* 40. §. *Statutum*.

Ad illam concedendam quænam præcipue consideranda? *pag.* 180. §. *Verum*.

Ex homicidio voluntario fere semper denegata. *pag.* 181. §. *Sacra*.

Ex casuali autem, & etiam culpabili sæpius concessa *ibid.*

Ex conflictu in bello justo defensivo facilius indulgenda. *pag.* 223. §. *Irregularitatem*.

Et Clericis, ac Presbyteris fuit indulta. *ibid.*, & *seq.*

Ad cautelam concessa fuit Diacono, qui in ætate novem annorum jussu matris venenum emerat viro porrectum. *pag.* 73. §. *In Alexanien.*

Ætatis. Vid. *Ætatis dispensatio*.

Distributiones quotidianæ, ubi cum Præbendis tenues sunt, augeri permittuntur per unionem Beneficiorum simplicium, aut suppressionem aliquot Præbendarum. *pag.* 58. §. *Ad consulendum*.

Ut augerentur, nonnulla Missarum onera fuerunt reducta. *ibid.*

Distributio legatorum piorum fieri debet juxta voluntatem Testatoris, & respective ad qualitates concurrentium. *pag.* 34. §. *Dum agitur*.

Dotalia subsidia nuptarum sine filiis decedentium reversa, subsunt liberæ dispositioni Locorum piorum. *pag.* 135. §. *Duplici*, & *pag.* 216. §. *Non semel*.

Innuptarum vero subjacent novæ nominationi aliarum puellarum. *ibid.*

Uti respondit Sac. Cong. in *Romana* Subsidiorum. *pag.* 216. §. *Sacra*.

Et denegavit in *Lucana* facultatem eadem erogandi in fabricam Ecclesiæ. *ibid.*

Eorum suspensio ad restaurandam Ecclesiam indulta fuit juxta votum Episcopi *Aquilana pag.* 135. §. *Duplici*.

E

Ecclesia non debet esse deterioris conditionis, quam hæredes extranei. *pag.* 170 §. *Permittitur*.

Quandonam, & ex quibus bonis alimenta præstare debeat Patrono pauperi? *pag.* 204. §. *Patrono*, & *seq.*

Ecclesiis non sunt imponendæ servitutes *pag.* 185. §. *Servitutes*.

Ecclesiæ novæ ædificatio, & in eadem Sacerdotis institutio ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ matricis, ubi exigit necessitas, Episcopis permissa. *pag.* 119. §. *Notissima*, & *seq.*

Etiam invito Rectore. *pag.* 120. §. *Concilium*.

Cum assignatione congruæ ex fructibus ad Ecclesiam matricem pertinentibus. *ibid.*

Et si necesse fuerit, a Populo præstandæ. *ibid.*

Electio Concionatoris. Vid. *Concionator*.

Officialium Confraternitatis pertinet ad Confratres; confirmatio ad Episcopum. *pag.* 211. §. *Pro examine*.

Devolvitur ad Episcopum post tertium scrutinium. *ibid.*

Fieri denuo nequit eorum, qui officio exeunt, absque licentia Ordinarii. §. *Ad solutionem*.

Emphyteusis bonorum Ecclesiasticorum non conceditur ultra tertiam generationem masculinam. *pag.*51. §. *Card. Petra.*

Aliquando extenditur ad tertiam generationem fœmininam. *ibid.*

Aliquando indulgetur, ut incipiat a nominato ab oblatore. *ibid.*

Præsertim quando agitur de cælibe, vel quædam adest utilitas. *ibid.*

Episcopus tenetur singulis annis visitare quæcumque Beneficia Curata unita. *pag.* 36. §. *Concilium.*

Et sollicite procurare, ut Animarum Cura laudabiliter exerceatur per idoneos Vicarios, ejus arbitrio etiam perpetuos. *ibid.*, & *seq.*

Potest unire cum consensu Capituli Beneficia simplicia ad confulendum tenuitati Præbendarum; imo nonnullas supprimere. *pag.* 58. §. *Ad confulendum.*

Potest, exigente necessitate, ædificare novas Ecclesias Parochiales, etiam invitis Rectoribus. *pag.*119. §. *Notissima*, & *seq.*

Neminem debet ordinare titulo patrimonii, aut pensionis absque necessitate, vel utilitate Ecclesiæ. *pag.* 223. §. *Hæc.*

Tenetur ex proprio providere promoto cum patrimonio insufficienti, donec is congruum obtinuerit Beneficium. *pag.* 224. §. *Dubitatum.*

Ejus arbitrio remittitur, an in constituenda patrimonii Sacri congrua, detrahenda sint onera Missarum Beneficiis annexa. *p.*61. §. *Quod.*

Indultum habens reducendi onera Missarum, reducere nequit ea, quæ fuerunt per contractum acceptata. *pag.*125. §. *Quamvis.*

Sed debet partes Judicis assumere, & inquirere an locus sit juxta regulas juris, rescissioni, seu reductioni contractus ad æqualitatem. *ibid.*

Ad Ecclesiam accedens Pontificalia peracturus, a quibus, & quomodo deducendus, & excipiendus? *pag.*193. §. *Petra*, & *seq.*

Erectionem Beneficii debet facere juxta voluntatem Fundatoris. *pag.* 203. §. *Lambertinus.*

Potest exigere quotannis ab Administratoribus Locorum piorum redditiones rationis, non obstante contraria consuetudine immemorabili. *pag.*210. §. *Monet.*

Cum Promotis per saltum, si non ministraverint, potest ex legitima causa dispensare. *pag.*227. §. *Concilium.*

Erectio Beneficii fieri debet juxta fundationem. *pag.*203. §. *Lambertinus.*

Aliter facta reformari potest. *ibid.*

Novæ Parochiæ. Vid. *Parochia.*

Exceptiones adversus testes in materia Simoniæ quænam admittendæ. *pag.*28. §. *Hisce.*

F

Falsificantes litteras Ordinarii, vel Capituli ab officio, & Beneficio suspenduntur, *pag.*19. §. *Irregularitatem.* & *pag.*226. §. *Cum.*

Et hujusmodi suspensio reservata est Sedi Apostolicæ. *ibid.*

Fenestræ in Ecclesiis è Sæcularium domibus prospicientes nequeunt retineri pro Sacris audiendis. *pag.*185. §. *Servitutes*, & *seq.*

Nequidem a Magnatibus, etiam si essent Domini Loci. *pag.*186. §. *Hanc.*

Sed debent, uti januæ, obturari. *p.* 185. §. *Servitutes*, & *seq.*

Patronis, & insignibus Benefactoribus earum retentio permittitur, si in fundatione jus illud sibi reservaverint. *pag.*186. §. *Sustinet.*

Ex omissa namque reservatione indultum fuit ipsis denegatum. *ibid.*

Functiones publicæ servitutem in tota Ecclesia inducentes peragi nequeunt a Patrono Capellæ absque assensu Rectoris Ecclesiæ, *pag.*209. §. *Quoad.*

Secus aliæ, uti Missarum celebratio sine cantu. *ibid.*

Fundator in limine fundationis potest sibi reservare facultatem variandi in totum, vel in parte. *pag.*200. §. *Præ oculis.*

Hinc potest ex intervallo tollere, & adjicere quascumque substitutiones sibi benevisas. *ibid.*, & *pag.*203. §. *Lambertinus.*

Imo variare leges fundationis ante decretum erectionis. *ibid.*

Fundationibus diversis extantibus, attendenda, & præferenda est ea, quæ munita reperitur Episcopi assensu. *ibid.*

Funera. Vid. *Parochus.*

Furiosus occidens, aut mutilans non fit irregularis. *pag.*40. §. *Statutum.*

H

Homicida voluntarius, etiam occultus ab altaris ministerio perpetuo arcendus. *pag.* 40. §. *Statutum*, *pag.*71. §. *Notum*, & *pag.* 179. §. *Ab altaris.*

Homicidium commissum a furioso, infante, aut dormiente non inducit irregularitatem. *pag.*40. §. *Statutum.*

Prout commissum ad sui defensionem. *ibid.*

Servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. *pag.*41. §. *Homicidium.*

Ad quod servandum tria requiruntur. §. *Videndum.*

Casuale inducit irregularitatem, si opera detur rei illicitæ. *pag.* 71. §. *Notum.*

Imo licitæ, si neglecta fuerit debita diligentia. *ibid.*

I

Januam aperiendi indultum conceditur Patrono, aut insigni Benefactori, ut ex domo accessum habeat ad Ecclesiam, si in actu fundationis jus sibi reservaverit. *pag.* 186. §. *Sustinet*.

Inclementia aeris causam præbet reducendi servitium Chori. *pag.* 15. §. *Plures*.

Indigentiis Parochialium quomodo occurrendum. *pag.* 121. §. *Urgente*.

Indultum abessendi. Vid. *Abessendi indultum*.

Infans occidens, aut mutilans non fit irregularis. *pag.* 40. §. *Statutum*, & *pag.* 72. §. *Quamvis*.

Sexus impubes proximus pubertati. *ibid.*

Institutio Beneficii danda legitimè præsentato a Patrono. *pag.* 23. §. *Regula*.

Interpretationes omnes, & limitationes recipit lex nova disponens in re antiqua, quas res ipsa in antiquis legibus admittebat. *pag.* 227. §. *Consultum*.

Iracundia reputatur insania. *pag.* 180. §. *Verùm*.

Irregularis sit suspensus, si in officio ministret. *pag.* 20. §. *Panam*, *pag.* 55. §. *Bonifacius*, & *pag.* 223. §. *Hæc*.

Cum eodem dispensatur, si bonis moribus imbutus, resipiscentiæ signa dederit, ac tempus effluxerit a die delicti *pag.* 55. §. *Bonifacius*.

Percutiens lethaliter, licet percussus ab alio occidatur. *pag.* 71. §. *Notum est*.

Quisque homicidio interfuerit, dum nescirì potest quis illud perpetraverit. *ibid.*

Clericus in bello justo defensivo propriis manibus occidens, vel mutilans. *pag.* 223. §. *Si tamen*.

Etiamsi in subsidium præliatus fuerit. *ibid.*

Sed cum eodem facilius dispensatur. §. *Irregularitatem*, & *seq.*

Irregularitas contrahitur ex homicidio casuali, si opera detur rei illicitæ *pag.* 71. §. *Notum*.

Imò licitæ obnon adhibitam diligentiam. *ibid.*

Ex homicidio patrato in calore iracundiæ, & in rixa, etiamsi abfuerit animus occidendi. *pag.* 180. §. *Incurritur*.

Non contrahitur a Clerico, si licitè ludens, homicidium, inspectis omnibus circumstantiis, casuale commiserit. *pag.* 74. §. *Cum*.

Neque a furioso, infante, aut dormiente. *pag.* 40. §. *Statutum*.

Neque ab occisore ad propriam defensionem. *ibid.*

Servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. *pag.* 41. §. *Homicidium*.

Ad quod servandum tria requiruntur. §. *Videndum*.

An nova irregularitas induci possit? *pag.* 74. §. *Illud*.

Irretitus censura Ecclesiastica. Vid. *Censura*.

Jubilatio concedi solet Beneficiatis post expletum 40. annorum servitium *pag.* 82. §. *In more*.

Non obstante parvo numero aliorum inservientium. *pag.* 83. §. *Aliud*.

Dummodo continuum, & laudabile fuerit. *pag.* 82. §. *In more*.

Aliàs non sustinetur concessum indultum. *ibid.*

Quænam absentiæ computanda in spatio 40. annorum ad effectum obtinendæ jubilationis? §. *In Nepesina*.

L

Laici quibus in casibus retinere possint claves Reliquiarum? *pag.* 208. §. *Ad* 1.

Lectio Scripturæ Sacræ per Canonicum Theologum peragenda *pag.* 147. §. *Laudabilem*.

Nec propterea prætermittendæ aliæ, quæ ex consuetudine, vel aliter reperiuntur institutæ. *pag.* 150. §. *Hæc*.

Legatum Missarum intuitu Ecclesiæ factum, per illius Rectorem est adimplendum *pag.* 23. §. *Regula*.

Legati prò Missis, & aliis piis operibus relicti si fructus imminuantur, reducenda sunt potius pia opera, quam Missæ *pag.* 61. §. *Nullam*.

Nisi peculiaris fundus prò singulis fuerit designatus. *ibid.*

Taxativi imminuntur onera, imminutis fructibus. *pag.* 163. §. *Notissima*.

Demonstrativi verò nequaquam. *ibid.*

Si bona perierint, & nullus teneatur ad supplendum, delentur onera *pag.* 115. §. *Juxta*.

Legatorum piorum in distributione spectanda voluntas Testatoris, & perpendendæ qualitates concurrentium *pag.* 34. §. *Dum agitur*.

M

Magistratus Sæcularis debet ex aula Palatii Episcopalis comitari, & præcedere Episcopum ad Ecclesiam accedentem ad peragenda Pontificalia *pag.* 193. §. *Plura*.

Quomodo se gerere debeat, si advenerit incepta jam Missa, vel Officio? *pag.* 194. §. *Si autem*.

Missarum numerus præservandus est, si ob imminutionem reditum legati Missas, & alia pia opera complectentis, faciunda sit reductio. *pag.* 61. §. *Nullam*.

Nisi peculiaris fundus prò Missis fuerit designatus. *ibid.*

Reductio. Vid. *Reductio*.

Onera Beneficiis annexa arbitrio Episcopi relinquuntur detrahenda in constitutione patrimonii Sacri *pag.*61. §. *Quod*.

Mutilatio a furioso, infante, seù dormiente facta nullam inducit irregularitatem *pag.*40. §. *Statutum*.

Prout facta ad sui defensionem. *ibid.*

N

Nominatio Vicarii perpetui spectat ad illum, cui unita est Parochia. *pag.*36. §. *Concilium*.

Nominato a Patrono debetur institutio Beneficii. *pag.*23. §. *Regula*.

O

Onera Missarum Beneficiis annexa arbitrio Episcopi relinquuntur detrahenda in constitutione congruæ patrimonii Sacri *pag.*61. §. *Quod attinet*.

Delenda, si omnes reditus perierint, & nullus teneatur ad supplendum. *pag.* 115. §. *Juxtà*.

Reducenda, si reditus imminuerint *pag.*110. §. *Certa*, & *pag.* 125. §. *Quamvis*.

Nisi per contractum fuerint acceptata, *ibid.*

Vid. etiam *Reductio*.

Ordinari non debet nisi certus, & pacificus possessor Beneficii Ecclesiastici ad victum sufficientis *pag.*123. §. *Hæc quoad*.

Nullus autem titulo patrimonii, aut pensionis, nisi ab Episcopo judicetur Ecclesiæ necessarius, vel utilis *ibid.*

Constito priùs de vera patrimonii, aut pensionis possessione, ac sufficientia. *ibid.*

Ordinatus cum patrimonio insufficienti, de supplemento provideri debet ab Episcopo ex proprio, donec Beneficium competens fuerit assecutus. *pag* 224. §. *Dubitatum*.

Cum titulo ficto, suspensionem, & si in ordine ministraverit, irregularitatem incurrit. *pag.*223. §. *Hæc quoad*, & *seq.*

Prout ordinatus sine dimissoriis proprii Ordinarii, vel cum falsis. *pag.*225. §. *Progrediendum*, & *seq.*

Ante legitimam ætatem, vel extra tempora sine dispensatione Apostolica. *ibid.*

Per saltum. *pag.*227. §. *Concilium*.

Cum eodem, si non ministraverit, Episcopus potest dispensare ex legitima causa. *ibid.*

Prævia collatione Ordinis prætermissi. *pag.* 228. §. *Prò*.

Ordinum minorum collatio quandoque prætermissa in primitiva Ecclesia *pag.*226. §. *Denique*.

Nunquam tamen Diaconatus in Presbytero, nec Presbyteratus in Episcopo. *ibid.*

Subindè nonnisi gradatim facienda *p.*227. §. *Attamen*.

P

Pœnitentiarii institutio antiquissima *p.*131. §. *De Pœnitentiario*.

Et in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, & Conventualibus præscripta. *pag.* 132. §. *Sæculo*.

Reliqua vid. verbo, *Canonicus Pœnitentiarius*.

Parochi onus præcipuum habent explicandi catechesim *pag.*152. §. *Hæc quoad*.

Ubi Populus ita numerosus est, ut Spirituali ejus indigentiæ non sufficiant, tenentur assumere adjutores. *pag.* 120. §. *Concilium*.

Turpiter, & scandalosè viventes, prævia monitione, castigandi. *pag.* 113. §. *De Parochis*.

Et si sint incorrigibiles, juxtà Canonicas sanctiones, Beneficiis privandi. *ibid.*, & *seq.*

Occasione funerum ingredi possunt Ecclesias Regularium cum stola, & cruce elevata *pag.*79. §. *Quæ ad*.

Dummodo nullum officium super cadavere peragant. *ibid.*

Parochiæ indigentiis quomodò occurrendum? *pag.*121. §. *Urgente*.

Provisum fuit per applicationem, & unionem bonorum relictorum prò celebratione Missarum, celebratis Missis 24. quolibet anno *pag.* 141. §. *Rursus*.

Novæ erectio quibus de causis fieri, & ejus Rectori provideri possit? *pag.*119. §. *Nonissima*, & *seq.*

Sufficit si alternativè concurrat vel locorum distantia, vel difficilis accessus ab arbitrio, & prudentia Episcopi dependens. *pag.*121. §. *Patet*.

Quandoque admissa, concurrente justa causa, & perpensis omnibus circumstantiis. §. *Sacra*.

Quandoque rejecta, præsertim si necessitati consuli possit per deputationem Vicarii Curati. *ibid.*

Antequam decernatur, de Parochi congrua inquirendum. §. *Urgente*.

Patrimonii, aut pensionis titulo promovendi tantum sunt ii ad Sacros Ordines, quos Episcopus judicaverit necessarios, vel utiles. *pag.*223. §. *Hæc quoad*.

Inspe-

Inspecto priùs an patrimonium, aut pensio verè obtineatur, & sufficiat ad vitam honestè sustentandam. *ibid.*

Alienatio quævis prohibita absque licentia Episcopi. *ibid.*

Patronus pauperi succurrendum est. *pag.*204. §. *Patrono.*

Necnon & uxori, & filiis *ibid.*

Ex superfluis necessitati Beneficiati, & cultus Divini. *pag.*205. §. *Petit.*

Nisi habeat fratrem divitem, vel possit, salva honestate, sibi victum ex industria quærere. §. *Ad assequenda.*

Honor processionis debetur. *pag.* 204. §. *Patrono.*

Patronatus reservatio fieri debet, juxtà mentem Fundatoris. *pag.* 203. §. *Lambertinus.*

Paupertas requiritur ad consequenda alimenta. *pag.*205. §. *Ad assequenda.*

Non extrema, sed respectiva. *ibid.*

Pauperes consanguinei ex præsumpta Testatoris voluntate exteris præferendi. *pag.* 34. §. *Dum agitur.*

Permutatio rerum Ecclesiæ permittitur concurrente justa, & rationabili causa *pag.*170. §. *Permittitur.* Vid. etiam *Alienatio.*

Præbendarum tenuitati succurrendum per unionem Beneficiorum simplicium, vel suppressionem nonnullarum. *pag.*58. §. *Ad consulendum.*

Ac etiam per reductionem servitii Chori. *pag.*15. §. *Pluries.*

Præbenda Theologalis. Vid. *Theologalis Præbenda.*

Privatio Beneficii ipso facto inducitur ex alienatione facta ab inferioribus Prælatis, & Beneficiatis ejus bonorum. *pag.*11. §. *Dubium.*

Scandalosè viventis, & incorrigibilis fieri potest post trinam monitionem. *pag.* 113. §. *De Parochis, & seq.*

Prohibitio hominis spernenda, si nulli honestæ, & laudabili causæ nitatur. *pag.*170. §. *Permittitur.*

Promovendi ad Beneficia scientia congrua debent esse instructi, *pag.* 91. §. *Videndum.*

Proprietas Regularibus vetita, & ab iis abdicanda sub gravibus pœnis. *pag.*153. §. *Plura, & seq.*

Prorogatio quas solemnitates requirat? *p.*10. §. *De Communitatis.*

Puer homicida an irregularitatem incurrat? *pag.*72. §. *Quamvis, & seq.*

Pubertati proximus quando dicatur? §. *Qui hanc.*

Delinquens mitiùs puniendus. *pag.* 73. §. *Quodquid.*

Q

Qualitates concurrentium perpendendæ sunt in distributione piorum legatorum. *pag.*34. §. *Dum agitur.*

R

Reddition rationis. Vid. *Administratores. Episcopus.*

Reductio fit onerum deficientibus reditibus. *pag.*110. §. *Certa, & pag.*125. §. *Quamvis.*

Legati taxativè relicti. *pag.*163. §. *Notissima.*

Denegatur autem, si legatum fuerit demonstrativè relictum. *ibid.*

Necnon si onera per contractum fuerint acceptata. *pag.*125. §. *Quamvis.*

Uti pluries fuit denegata, *pag.* 126. §. *Sacra.*

Et factæ ab Episcopis, vigore indulti reductionis a Sede Apostolica concessi, irritæ fuerunt declaratæ. *ibid.*

Inquirere quippè debent Episcopi ad tramites juris de lesione contractus. *pag.*125. §. *Quamvis.*

Fieri debet potiùs aliorum onerum, quam Missarum. *pag.*61. §. *Nullam.*

Nisi peculiaris fundus prò singulis fuerit designatus. *ibid.*

Nonnullorum onerum Missarum fuit indulta, ut augerentur distributiones quotidianæ. *pag.*58. §. *Ad consulendum.*

Applicationis Missæ Conventualis ad Festos tantum dies ob redituum tenuitatem petì potest. *pag.*24. §. *Quamvis.*

Et constito de redituum insufficientia pluries fuit indulta §. *Sacra.*

Servitii Chori. Vid. *Servitium Chori.*

Regulares nil proprium retinere possunt. *p.*153. §. *Plura, & seq.*

Nequidem cum Superioris dispensatione. *pag.*154. §. *San. mem.*

Sed incontinenti debent illud abdicare, & Superiori tradere sub gravibus pœnis. *pag.*153. §. *Plura, & seq.*

Nec ullam possunt de acquisitis facere dispositionem, etiam ad pias causas, & de Superioris licentia. *pag.* 155. §. *Ex quo.*

Quandoque a S. Sede justa ex causa ipsis indulgetur facultas testandi cum Superioris consensu, & de modica quantitate. *p.*155 §. *Ex quo, & seq.*

Quandoque denegatur. *pag.*156. §. *Aliter.*

Pro habenda concione in eorum Ecclesia, cæteris paribus, præferendi sunt exteris. *pag.*209. §. *Agitur.*

Reliquiarum claves in quibus casibus retineri possunt a Laicis. *pag.*208. §. *Ad 1.*

Reservatio Patronatus fieri debet juxtà mentem Fundatoris *p.*203. §. *Lambertinus*.

S

SCholasticus constituendus est in qualibet Ecclesia Cathedrali, & aliis sufficientes reditus habentibus prò erudiendis gratis Clericis, & pauperibus. *pag.*146. §. *Alexander*. & *seq.*

Scholares in Scholis publicis studentes lucrantur in absentia fructus Præbendarum, & Beneficiorum. *pag.*147. §. *Laudabilem*.

Scripturæ Sacræ lectio. Vid. *Lectio*. *Theologalis Præbenda*.

Seminatio ex præscripto S. Conc. Trident. erigendo quomodo providendum? *pag.*173. §. *Demandata*.

Quinam eximantur ab illius contributione? *pag.*174. §. *Dubitatum*.

Servitii assidui chori exemptio in quibus casibus canonicis indulgenda? *pag.*16. §. *Qualitatem*.

Ob aeris inclementiam, vel Præbendarum tenuitatem ad tres menses fuit indulta. §. *Pluries*.

Quandoque per tertiariam, vel mediariam præstatio fuit remissa. *ibid.*

Cum lege tamen, quod omnes tempore Adventus, & Quadragesimæ, diebus Dominicis, & Festis tenerentur Choro interesse. *ibid.*

Durante redituum tenuitate. *ibid.*

Alternativa sex mensium fuit concessa, attento augmento octo Cappellanorum ex propriis distributionibus Canonicorum, §. *Cum autem*.

Servitutum in Ecclesiis impositio utroque jure prohibita. *pag.*185. §. *Servitutes*. Vid. *Fenestra*. *Janua*.

Simonia Ecclesiæ valdè exosa. *pag.*27. §. *A Simonia*.

Dicitur hæresis, ad cujus comparationem, cætera crimina quasi prò nihilo reputantur. *pag.*28. §. *Hisce*.

In illius materia quinam testes admittendi, quinam rejiciendi? *ibid.* Vid. etiam *Testes*.

Simoniaci dignitatibus, & Beneficiis privantur, & Ecclesiasticis pœnis plectuntur. *p.*27. §. *A simonia*.

Simoniaca est electio, si electoribus, imò uni tantum, pecunia, aut alia res temporalis detur, aut promittatur. *ibid.*

Etiam insciò electo. *pag.* 28. §. *Dubitatum*.

Nisi id malitiosè fieret in ejus dispendium. *ibid.*

Quævis dispositio Beneficii facta per Simoniacam conventionem est nulla, etiamsi illa conventio non fit executa. §. *Disputant*.

Solemnioribus diebus ornatiora debent esse templa. *pag.*208. §. *Ad* 11.

Subsidia dotalia. Vid. *Dotalia subsidia*.

Suppressio nonnullarum Præbendarum permittitur, si aliter earum tenuitati provideri non potest. *pag.*58. §. *Ad compulendum*.

Suspensio præstationis dotalium subsidiorum fuit indulta, juxta votum Episcopi ad restaurandam Ecclesiam. *pag.* 155. §. *Duplici*.

Nominationis Capellaniæ, aut Beneficii indulgeri solet, ut reditus erogentur in meliorandis bonis. *pag.*254. §. *In Felio*.

Cum lege tamen, quod priùs adimpleantur onera, & bonorum administratio penes Ecclesiasticam personam resideat. *ibid.*

Suspensionem incurrunt promoti per saltum, *pag.*227. §. *Concilium*.

Cum titulo ficto. *pag.* 224. §. *Dubitatum*.

Antè legitimam ætatem, aut extrà tempora absque dispensatione Apostolica. *p.*225. §. *Prægrediendum*.

Sine litteris dimissoriis proprii Ordinarii. *ibid.*

Aut cum falsis. *pag.* 226. §. *Cum autem*.

Suspensio promoti cum falsis dimissoriis Sedi Apostolicæ est reservata. *ibid.*

T

TEmpla solemnioribus diebus debent esse ornatiora. *pag.*208. §. *Ad* 11.

Tenuitas Præbendarum præbet causam reductioni servitii chori. *pag.*15. §. *Pluries*.

Et applicationis Missæ Conventualis ad dies Festos tantùm *pag.*24. §. *Sacra*.

Necnon suppressioni nonnullarum Præbendarum, si aliter earum tenuitati provideri nequit. *pag.*58. §. *Ad compulendum*.

Testamento statuta, excepta hæredis institutione, possunt mutari in codicilio. *p.*263. §. *Disposita*.

Testatoris voluntas. Vid. *Voluntas Testatoris*,

Testes etiam criminosi admittuntur in materia simoniæ. *pag.*28. §. *Hisce*.

Dummodò non sint conspiratores, vel inimici capitales. *ibid.*

Non tamen, ut faciant plenam fidem, nisi junctis aliis adminiculis. *ibid.*

Theologalis Præbenda in omnibus Cathedralibus, & insignibus Collegiatis instituenda per unionem Præbendæ primò vacaturæ. *pag.*147. §. *Laudabilem*.

Et si Præbenda unienda sit insufficiens, per unionem etiam Beneficii simplicis. *ibid.*

Per concursum conferenda Doctori in Sacra Theologia, vel intra annum ejus lauream suscepturo. *pag.*132. §. *Ut autem*.

Aut ex dispensatione Doctoratum in jure Canonico. *pag.*151. §. *In Virginem*.

Illam

Illam obtinentes docere debent Sacram Scripturam . *pag.*147. §. *Laudabilem* .

Et docentes publicè , gaudent in absentia fructibus Præbendarum , & Beneficiorum . *ibid.*

An autem expositioni Sacræ Scripturæ substituere possint lectionem Theologiæ scholasticæ ? *pag.*149. §. *Dum, & seq.*

V

VAcatio trium mensium omnibus Ecclesiarum servitio addictis a Sac. Concil. Trident. non concessa *pag.* 166. §. *Advertit* .

Vid. etiam *Absentia* , *Servitium Chori* .

Variatio ante decretum erectionis nùm Fundatori permissa ? *pag.*200. §. *Præ oculis* .

Dispositorum per actum ultimæ voluntatis licita . *pag.*202. §. *Dispositа* .

Vicarii perpetui deputatio in Parochialibus unitis relinquitur arbitrio Ordinarii. *pag.*36. §. *Concilium* .

Pluries a Sac. Congreg. fuit demandata *pag.*37. §. *Hinc* .

Nominatio spectat ad illum , cui unita est Parochia . *pag.*36. §. *Concilium* .

Visitatio Parochialium quibuscumque Locis unitarum ab Ordinariis Locorum quotannis peragenda . *ibid.*

Voluntas Testatoris spectanda in distributione piorum legatorum . *pag.* 34. §. *Dum agitur* .

Ponderanda in reductione onerum. *p.*110. §. *Certa* .

Nonnisi ex justa , & necessaria causa commutanda . *pag.*140. §. *Ultimarum* , & *pag.* 242. §. *Commutationem* .

Uti est magna Ecclesiæ utilitas , vel necessitas . *pag.*170. §. *Permittitur* .

Commutata fuit prò constructione Altaris majoris . *pag.*140. §. *Ultimarum* .

Et pro applicatione , & unione bonorum Parochiæ pauperi . *pag.* 141. §. *Rursus* .

Dum præscripto modo adimpleri nequit, commutari indulgetur . *pag.*95. §. *Regula* .

In alium , qui magis conformis sit ejusdem voluntati . *ibid.*

Unio Beneficiorum simplicium fieri potest ab Ordinario cum consensu Capituli ad consulendum tenuitati Præbendarum , & distributionum quotidianarum . *pag.*58. §. *Ad consulendum* .

Necnon paupertati Ecclesiarum Parochialium . *pag.*121. §. *Urgente* .

FINIS

BX
1935
A36
t.52-53

Catholic Church. Congregatio Concilii
Thesaurus resolutionum Sacrae Congregationis Concilii

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 13 18 04 008 3